SCHROEDER, P.G.

Vol II

PHILIPPI GEORGII SCHROEDER

PH. ET MED. DOCTORIS, ARCHIATRI MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET MEDICINAE IN ACADEMIA GOETTINGENSI PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII

OPVSCVLA MEDICA,

ANTEHAC SEORSIM EDITA, NVNC VERO


COLLECTA

STVDIO

IOANNIS CHRISTIANI GOTTL. ACKERMANN

MEDICINAE DOCTORIS.

VOLVMEN II.



NORIMBERGAE
APVD IOH. GEORG. LOCHNER.
1779.





BENEVOLO LECTORI
S. D.
J. CHR. GOTTL. ACKERMANN.

Quum opuſculorum academicorum SCHROEDERI, *V. Cl.* collectionem moliremur, omnes, quibus nomen illius inſcriptum erat, diſputationes colligere, atque duobus voluminibus, forma, qua primum jam prodiit, octaua, comprehendere animus erat.

 Re




Re vero diligentius penſitata, conſilium antea captum, mutauimus. Quasdam enim nulla, vel exigua argumenti grauitate conſpicuas, et ſi vllo modo, ſolo certe SCHROEDERI nomine commendabiles, ne parum vtilibus rebus libri moles augeretur, aut denique lectione rerum vel vulgatarum, vel noſtro, quo viuimus aeuo, minus accommodatarum, lector taedio afficeretur, earum, quas Tibi exhibemus, Beneuole Lector, ordini ſubtraximus, quarum en recenſum!

Omiſimus vero Marburgi et Rintelii a SCHROEDERO editas diſputationes et inuitationes academicas, quarum quidem numerus mediocris, et numero conueniens (ſi viro iuueni de viri doctiſſimi ſcriptis judicare fas eſt) argumentum eſt.

Flo-

Floruit autem inprimis vir optimus doctrinae laude maxima ab anno 1764. ad annum vsque 1772. quibus Goettingam vocatus, artem magna cum laude exercuit, maxima vero publice tradidit. In hoc temporis Spatium optima quaeque SCHROEDERI ſcripta cadunt, quae exhibuimus. Verum tamen neque ab illo, neque ab auditoribus illius profecta, nec non imperfecta optimi viri opera omiſimus.

Omiſimus itaque conſilio forſan haud penitus malo, de quo tamen me peritiores judicent, diſputationem de febrilibus metaſtaſibus, nec non eam quae ſub ejus auſpiciis de cognatione inter arthritidem et calculum edita eſt, quippe ab aliis viris profectas. Omiſimus et ſcripta academica, quae de inſitione variolarum agunt, argumento, quo noſtris tem-



poribus nullum fere aliud vberius expositum est.

Habes itaque, Beneuole Lector, non plenam quidem, verum vt non spero solum, verum etiam confido, vsui Tuo magis inseruientem opusculorum viri doctissimi collectionem, quam vt talem Tibi exhiberem, non ratio solum, verum et auctoritas optimi mei praeceptoris, in eadem academia, qua SCHROEDERVS floruit, professoris medicinae primarii munere fungentis, suasit. Vale. Dabam *Zeulenrodae Varisc. d.* 3. *mens. Febr.* 1779.



In



In hoc volumine continentur.



VII.

Ej. diff. de haemoptyfi in genere, et fpeciatim ejus nexu cum varia aduerfa ex hypochondriis valetudine. Gott. 1766. Refp. *G. A. Gramberg.*

VIII.

Ej. diff. de apoplexiae ex praecordiorum vitiis origine analecta. Gott. 1767. Refp. *G. Ph. Koch.*

IX.

Ej. diff. de arthritide vaga. Gott. 1768. Refp. *Balth. Dugend.*

X.

Ej. diff. de puris absque praegreffa inflammatione origine. Gott. 1766. Refp. *Io. Chr. Grimmann.*

XI.

Ej. Progr. quo experimentorum ad veriorem cyfticae bilis indolem explorandam captorum Sectionem I. proponit. Gott. 1764. *)



I.

*) Altera hujus programmatis Sectio non prodiit.



I.

Diſſertatio de frequentioribus febrium prodromis. Publice propoſita Gott. 1769. Reſp. GVIL. CHPH. REICHMANN, *Brunſuicenſi.*

---

§. I.

Haemorrhagias videmus hominibus multiplices accidere, plurimisque rationibus inter ſe diuerſas. Sic pro partium locorumue corporis diuerſitate fit fluxus ſanguinis ex ore, ejusue partibus variis, ex naribus, oculis, auribus, ex faucibus, aſpera arteria, pulmonibus, ex ventriculo, inteſtinis, hepate, ſplene, renibus, veſica lotii, pene, vtero, ejusue vagina, ano, habitu externo, digitis, temporibus, aliisque locis extraordinariis. Pro cauſarum differentiis oritur haemorrhagia vel per vulnera, lacerationem, diruptionem, lapſum, frictionem aſperam, eroſionem, motum vehementem externum, vt ſternutationis, cantus, tuſſis, vomitus, equitationis, concubitus, et ſimilia: vel per commotionem ſanguinis inter-

 nam,

nam, vt ab ira, terrore, aere calido, vino, ſpiritibus ardentibus, aromatibus, medicamentis ex aloe, myrrha, ſimilibusue: vel per ſpontaneas naturae ſeu viuentis corporis actiones, in orgasmis, congeſtionibus, ſpaſmis, febre, criſi, etc. vel ex vtroque ſimul cauſarum genere, tam violento, quam ſpontaneo. Pro ſtatu corporis ſanguis erumpit vel extra morbos proprie dictos et in media ſanitate, tam per vim externam, vt in vulneribus, plagis, motu nimio, cet. quam ſponte naturae, vt in plethora, vnde narium haemorrhagia, menſtrua, haemorrhoidum fluxus, aliique; vel in morbis, vt in febribus, inflammationibus, mania, melancholia, cet. idque pariter tam violento modo, per eroſionem diſſolutionemue vaſorum, in aneurysmate, carcinomate, ſcorbuto, ſaliuatione, cet. quam ſpontaneo, in criſi, plurimisque febribus: Porro, contingunt ſanguinis effuſiones, reſpectu circumſtantium corporis, in adoleſcentibus, juuenibus, viris, ſenibus, feminis adultis, mulieribus grauidis, viduis, annoſis, cet. Quidam fluxus per ſe naſcuntur, id eſt, ita vt ab eſſentiali affectu, non ab alia conjuncta affectione excitentur, vt plerumque ſpontaneae, tum haemorrhoides, menſes, haemorrhagia vteri, multaeque febriles: alii per accidens oriuntur, ſiue ex diuerſa vel ſymptomatica corporis affectione haemorrhagiam inferente, vt ſi inter ſaliuationem ſanguis a mercurii violentia vel acrimonia, quae vaſa rumpat, protruditur;

ſi

ſi in febribus ira, terror, calefacientia acriora, tuſſis, eroſio, humoris vel motuum quaedam peruerſitas, ſanguinem effundat. Modum, quo fiat haemorrhagia, conſiſtere vel in anaſtomoſi vaſorum, vel in diapedeſi, vel in diaereſi, vel in diabroſi, ſatis cognitum eſt.

§. II.

Quodſi diuerſitates iſtas propius conſideramus, inprimis majoris momenti diſcrimen intercedere deprehendimus inter eas haemorrhagias, quae per vim externam vaſis illatam eueniunt, qua haec diuiduntur, lacerantur, rumpuntur, vt fit in diſſolutionibus partium violentis quibuslibet: et eas, quae naſcuntur ex interna cauſa ſanguinem commouente, vel diſſoluente, vaſa diſtendente, nonnunquam et rumpente, velut ex ira, aeſtu, vino, medicamentis, congeſtione, febre, criſi, vlcere, cet. Nam in violentis iſtis, quia vaſorum tantum contextus laeditur diſſoluiturque, hactenus, quantum ad ipſum ſanguinis fluxum attinet, illa maxime ſolidorum laeſio attendenda eſt. In iis contra fluxibus, qui per internam ſanguinis commotionem ejusue aut vaſorum alienationem cientur, ad internarum praecipue partium atque morbi conjuncti conditionem reſpiciendum, curaque dirigenda eſt. Neque autem reticendum, ſanguinis illos curſus, qui ab interna humoris concitatione generantur, multa diſcrimina recipere; ſiquidem aliter comparatum

ratum

ratum est, si sanguis ab ira, calore aeris, vino, similibusue causis procatarcticis commotus est: aliter, si extra morbum, a plethora sola fluxus nascitur, sicut ordinarie menses et haemorrhoides sanorum: aliter, si a morbosa corporis labe, quemadmodum in scorbuto, hydrope, dysenteria, cet. praecipueque plurimis morbis febrilibus. Denique nonnunquam violenta causa et spontanea simul ad haemorrhagiam ciendam concurrunt; vt, si sanguis abundans concitatusque vasa membranasue disrumpat in apoplexia, haemoptysi, etc.

§. III.

Et violentarum quidem profusionum expeditior videtur ratio, siquidem manifestim per vasorum distensionem aut variam dissolutionem, externam internamue, contingant: spontaneae vero reconditam magis naturam habent. Nimirum, dum hae fiunt, sanguis quandoque copiosius fortiusue propellitur versus locum, ex quo profunditur: dum igitur ad locum exitus magis mouetur, necesse est, vt interim ab aliis partibus quadamtenus repellatur, haeque minorem ejus quantitatem retineant accipiantue: porro, sanguis ad distantiam quamcunque locorum pellitur actione continentium partium, id est, cordis, vasorum, praesertim arteriarum, et ambientium musculorum: quum autem hi motus ferantur ad locum, vbi fit sanguinis effusio, sequitur, vt motus ad haemorrhagiae locum versus

major

major ſit, ad alias partes minor, hoc eſt, vt motus ſolidorum ſit inaequalis ſiue ſpaſticus. Vnde quoque fieri ſolet, vt in partibus humorem recipientibus animaduertatur major arteriarum pulſus, habitus laxior tumidiorque, rubicundior, calidior, cum aliquarum moleſtiarum ſenſu; ab humore ſcilicet copioſius aggeſto validiusque moto, partesque grauante: contra, in locis ſanguinem repellentibus quaedam conſtrictio, pallor, frigus percipiatur, cum conjunctis et conſequentibus. Quod autem iſte motus ad certum illum locum tendit, vbi ſanguinis fluxus accidit; in hoc loco, neceſſe eſt, exiſtat aliqua res aut conditio, quae faciat, vt huc potius, quam alio verſus impetus dirigatur. Atque haec conditio vix alia eſſe poterit, quantum ad fabricam corporis ejusque mouendae leges attinet, niſi quod pars recipiens vel debilius reſiſtit impulſo humori, quam aliae: vel quod in loco profuſionis materia quaedam aut affectio praeſens adeſt, quae motum irritet eoue deriuet: vel quod vtraque ratio ſimul exiſtit. Et certe videmus, partes laxiores minusue reſiſtentes haemorrhagiis potiſſimum expoſitas eſſe, nominatim, per ipſam natiuam fabricam, tunicam mollem narium, pulmones, vterum, ventriculum, rectum inteſtinum, cet. propter imbecillitatem vero ex affectione morbida contractam, varices, aneurysmata, vaſa membranasue ſcorbuto, hydrope, ſimiliue labe affectas. Deprehendimus etiam, aliquamdiu ante, quam ſan-

ſanguis ex naribus, ex pectore, ex ventriculo, ex ano, ex vulua, ex gingiuis ſcorbuto laborantibus, etc. erumpat, grauitatem ibi locorum, titillationem, aut irritationem qualemcunque ſentiri; id quod ſine dubio a ſanguine jam ad locum congeſto et exitum moliente proficiſcitur. Nam in hujusmodi haemorrhagiis, quae ſine violentia contingunt, nec ſubito ſanguis ad locum deſtinatum confluere ſolet, nec eodem momento ſtatim effundi; ſed ordinarie paullatim colligitur, pluribusque et repetitis ſpaſticis et moleſtis, etiam febrilibus, turgeſcentium humorum motibus conflatur agitaturque, donec tandem perrumpat. Quodſi quaeratur, quid ſit, quod faciat, vt ſic paulatim humor in certo loco accumuletur; id fieri puto partim propter ſtructuram ſitumque partium, quatenus eae magis aptae ſunt ad humorem admittendum: partim propter complures cauſas antecedentes et occaſionales, quo pertinent calor externus locum certum magis incendens, laxans, aut rarefaciens, praeſertim ſi cum calore ſimul humor locum afficiat: externa frictio, conſtrictio durior vicinorum, obſtructio viſceris cujusdam, ſuppreſſio conſuetarum alias aut naturalium haemorrhagiarum, quies partis, vel contra nimius motus; et quae ſunt ſimilia. Sic caput inprimis humoribus colligendis opportunum eſt propter ingentem vaſorum, quae eo tendunt, numerum: in quibus menſes aut haemorrhoides obſtruuntur, facile naſcitur haemoptyſis,

ſis, ſanguineus vomitus, aliaeque eruptiones: qui ſcribendo vacant et caput interim pronum inclinare conſueuerunt, frequentius in narium haemorrhagiam incidere ſolent: qui multum ſedendo, vel et equitando, vitam agunt, ad haemorrhoides menſiumue exceſſum procliues ſunt: mariti concubitum acrius exercentes, in aetate prouectiore mictum ſanguinis ſaepe contrahunt; et ſic porro. Ex his omnibus conficitur, quantum intelligentia aſſequi licet, ſpontaneas haemorrhagias fieri motibus humorum ſpaſticis ſiue inaequalibus, ad certum locum, varias ob cauſas, directis *a*). Qua in re ſupponitur, quod verum eſt, partes motum exercentes a Deo viuis motricibus viribus eſſe praeditas; vt hactenus non neceſſe ſit ad Animam recurrere rationalem: ſufficit, totum corpus vita ſemel donatum, eaque jugi facultate ſuas actiones exercere.

§. IV.

Materia, quae per haemorrhagias excernitur ſpontaneas, eſt, quemadmodum oculis patet, ipſe ſan-

a) FRID. HOFFMANNVS in *Medicina ſyſtematica*, Tomo IV. Parte 2. Sectione I. Prolegomenis §. X. docet quidem, *haemorrhagias* hujus generis, *quibuscunque etiam in locis prodeant, proxime et directe ab extra ad intus conuerſo motu atque inaequalitate circulationis ſanguinis oriri*: ſed rationes, cur ad certa prae caeteris loca ferantur, non explicat. Idem §. XI. pro antecedente haemorrhagiarum cauſa ſolam ponit *viſcerum obſtructionem*: quam tamen in omnibus exiſtere vel valere, minime crediderim.

ſanguis, qualis in vaſis continetur *b*). Et quum omnis ſpontanea virium motricium actio a re quadam irritante naſcatur, ſicut in praecedente ſectione expoſitum eſt; poteſt vtique haec ſanguinis materia motus iſtos prouocare; vel quantitate ſua, vel qualitate, vel vtraque. Id quod etiam ſaepe reapſe fieri videmus, quando, verbi cauſa, poſt juſtum corporis incrementum perfectum, ſanguis abundans, certis periodis collectus, per nares, per vuluam, per ſedis vaſa profunditur: quando poſt obſtructas has vias, idem haemoptyſi, vomitu, vel mictu reiicitur: quando poſt truncatum aliquod membrum majus, dum tantundem ſanguinis genitum paucioribus jam vaſis mouetur, propterea corpus haemorrhagiis obnoxium redditur: quando phrenitis, apoplexia, mania, melancholia, ſynochos febris, aliique plures morbi ſanguine largius effuſo ſanantur: quando feruidior ſanguis caput petit grauatque, tum per nares erumpens, aegritudinem leuat: quando qualitas ſanguinis quaſi fermentans, hunc nimis expandit, vel ejus acrimonia vires motrices exſtimulat, vel ejus nimia tenuitas juſto facilius pellentibus viribus cedit. Hujusmodi hae-

b) HOFFMANNVS alleg. l. §. VIII. aſſerit, *non ſanguinis boni et conſiſtentis, fibroſi, purpureo colore praediti, abundantiam pro cauſa haemorrhagiarum praecipua et proxima materiali agnoſcendam eſſe: ſed ſerum*, quod *copioſius et vltra proportionem in vaſis continetur*. Quod quanquam ſaepenumero ſic ſe habere videatur, tamen plures dari differentias in materia ſanguinis, quae haemorrhagiis eum aptum reddant, exiſtimo, ſicut etiam ſubinde monui.

haemorrhagiae recte videntur *actiuae* appellari, vbi ſcilicet ſanguis quacunque de cauſa commotus ad excretionem ſui naturam ſtimulat: quemadmodum alii humores abundantes aut turgentes, ſerum, pituita, mucus, lympha, ſaliua, glandularum variarum humor, bilis, cet. alia excretionum genera mouere ſolent, catarrhos, coryzam, tuſſim, ſudores, diarrhoeam, vomitum, choleram, pollutionem nocturnam, cet. Quanquam igitur plethora quaelibet, ſiue ſit abundantia ſanguinis vera, ſiue ejus expanſio commotioue nimia, quomodocunque vaſa nimis diſtendat, haemorrhagiarum exſiſtit cauſa; non tamen ſemper ſanguis ſolus, ſiue ſincerus per ſe partes mouentes ad haemorrhagias faciendas inducit atque concitat: ira quoque, vina vehementia, ſpiritus ardentes, aromata acria, medicamenta ex aloe, myrrha, croco parata, ſimiliaque, poſſunt pariter, ac ſaepe ſolent, ſtimulum praebere, quo vaſa ad ſanguinem validius mouendum et effundendum ſollicitentur, licet per ſe ſanguis non abundet, neque irritante qualitate peccet; ſicut videmus, ab inebriantibus haemoptyſin et apoplexiam inferri, a graui terroris affectu nonnunquam ſubito ſanguinem per nares, os, aures, oculos copioſe pertinaciterque protrudi, *c*) cet. Etſi

c) Exemplum memorabile refert PETRVS KOLB in deſcriptione Capitis Bonae Spei pag. 340. editionis Germanicae Norimb. 1719. f. Conf. aliud apud CHRISTIAN. FRANC. PAVLLINI *Obſeruationum Centuria* 2. Obſeru. 51.

Etsi vero tales haemorrhagias inter actiuas quoque referre par est, quatenus natura irritata sanguinem expellit, aliter quam in ejusmodi haemorrhagiis sit, quae per vulnera quaecunque eueniunt, vbi sanguis tantummodo ordinario motu profluit, non ab alia, intus nata, causa concitatur, quales proinde haemorrhagiae *Passiuae* merito vocantur: tamen has posterioris generis actiuas, quae subito vehementerque ab occasionalibus causis nascuntur, multum differre patet ab istis prioribus, quae ab interiore causa sensim conflata, leniore modo paulatim suscitantur. Et hae quidem proprie *spontaneae* videntur appellari; vt sic duplicis generis *actiuae* sint, partim *spontaneae:* partim *violentae*, subitaneae scilicet modo dictae *d*).

§. V.

d) Celeb. Stahlii schola haemorrhagias actiuas consistere statuit in spontaneis actibus principii vitalis, deliberato consilio institutis, quo plethora diminuatur, et sic sanitas conseruetur, multaque damna ab abundante sanguine metuenda praecaueantur: vel saltim ob solam assuetudinem repetitis actibus. Vid. e. g. *Stahlii Collegium Practicum* a JOH. STORCHIO editum, Sectio 1. Membrum 2. §. 1. JOH. FRIEDERICI *de* SANDE Disp. Inaug. *de Haemorrhagiis Actiuis*. Cap. 1. III. Verum sic multae species excluduntur aut praetereuntur, in quibus tamen manifesto irritatae motrices naturae vires agunt, tam in statu sano, quam in morbis. Neque deliberatum animae consilium haemorrhagias regere aut moderari videmus, quum saepe perperam vel incongrue fiant, vel male cedant: saepe quidem etiam bene; sed vtroque modo effectum ex caecis causis, secundum leges motuum agentibus, consequi,

§. V.

Operae quoque pretium fuerit, eam diligentius confiderare differentiam, qua vel extra morbum alium contingunt haemorrhagiae actiuae et fpontaneae, vel ex aliis affectionibus, vel denique cum talibus conjunctis. Etenim, quae extra morbos praefentes eueniunt, vel a fola plethora proficifcuntur, eaedemque morbis caufam praecidunt, quos alias ex ifta plethora orituros metuendum erat, quosque numerofos effe conftat: vel a caufis occafionalibus concitantur, ficut proxime ante de actiuis violentis dictum eft, eaeque hactenus per fe parum boni promittunt; quodfi vtramque fimul originem agnofcant, vt haemorrhagia narium in plethorico poft vini compotationem, cet. ambiguae funt, hoc eft, quatenus fanguinis copia minuitur, vtilitatem praeftant: quatenus autem a peregrina re fanguis vehementius commouetur, facile modum excedere poffunt. Quae morbos alios comitantur, vt fi in phrenitide, in hydrope, fcorbuto, pefte, variolis, petechiis, febribus aliis accidant; eae ex horum morborum rationibus dijudicandae funt. Quibus tandem alii affectus fefe adjungunt, vt, fi febris accedat, fi fpafmus aut conuulfio, fi defectio animi, etc. haec figna ftatus rerum pro fua quaeque ratione praebent; vt, febris indicat majorem fanguinis feu vitalis humoris perturbationem: conuulfio, et lipothymia, nimiam profufionem, mortisque periculum; et fic porro.

§. VI.

Ex illis affectionibus, quae vel haemorrhagias excitant, vel vna cum iis se manifestant, speciatim nunc febres contemplandas sumo; quas proinde *febriles* appello. Primum apparet, hujus generis haemorrhagias esse ex spontanearum numero; siquidem febris sine spontaneo motu cogitari non potest; vnde, quatenus ipsa in motu interno praeter naturam versatur, haemorrhagias facere potest: quatenus autem a vi vitae irritata mouetur, ad haemorrhagias accedit. In violentis quoque, si quando febris obseruatur, vt in illis quae post vehementiores corporis motus fiunt, vel post exesam a praua materia vasorum compagem, etc. vel actio spontanea violentiaque simul exsistunt, haemorrhagiaque ex vtroque genere composita est: vel febris tum demum adjungitur, postquam ea quoque a suis causis accensa est, vt a nimio motu, ab aestu, ab efferuescente materia, etc. Solet vero febris, id est, motus sanguinis praeter naturam citatior spontaneus, cum laesis functionibus, ab interna causa, naturae inimica, proficiscens, quantum ad haemorrhagias attinet, a sanguinis quantitate et qualitate, quae naturalem ejus indolem motumue peruertant, concitari, quo ex conflictu tum variae consequuntur mutationes affectionesque solidorum, humorum, motuum, et functionum, in melius quidem, si causae laedentes superabiles sunt; in pejus autem, si minus. Porro innumerabilis est diuersitas laeden-

tis

tis quantitatis, qualitatis, et graduum laeſionis; vnde pariter febres, earumue gradus, innumerabiles exſiſtunt; vt adeo vix detur haemorrhagia ſpontanea, quantumuis leuis, quam non aliqua febricula, aliquid febrilis motus comitetur. Sane, ſi attendimus, etiam in illis, qui cetera commode valent, conſuetum ſanguinis ex naribus curſum, menſtruorum et haemorrhoidum fluxum ordinarium, non ſine majore citatioreque ſanguinis motu, moleſtiisue nonnullis febrilibus ſuccedere experimur, id quod etiam ex capitis, aliarumue partium, vel totius corporis grauitate pigritiaue, doloribus, horroribus, phlogoſi, ſimilibusue ſymptomatibus cognoſcitur. Manifeſtius tamen haec apparent, vbi febris euidentius et majore gradu ſe exſerit; quales tum febres, varias ob conditiones, ſpecialibus quoque nominibus donari conſueuerunt, et appellari ephemera, ſynochos, et quae ſunt reliqua.

§. VII.

Sigillatim, in *ephemera* ſiue diaria febre nonnunquam *e*), ſed rarius tamen, ſanguis per nares profunditur, ita vt eo febris tollatur. Naſcitur enim haec febris ab ejusmodi rebus externis ſeu cauſis procatarcticis, quae ſanguinem in aeſtum et juſto celeriorem motum concitare poſſunt, prae-

 ſertim

e) Vid. exemplum apud PET. FORESTVM *Obſeruationum et Curationum Medicinalium* Libro 13. Obſeru. 12. Conf. FR. BOISSIER *de* SAVVAGES *Noſologia Methodica*, Tom. 2. Pars 1. pag. 215. ſeqq.

ſertim ſi is ſimul paulo copioſior fuerit; quales res ſunt calor externus ſolis, balnei, hypocauſti, crapula, calefacientia ingeſta, fatigatio corporis ab immoderato labore vel exercitatione, ſuppreſſa ſubito perſpiratio, et ſimilia. Quare non mirum eſt, ſi, rebus ita comparatis, ſanguis calidior ad caput feratur, nares aliquando perrumpat, eoque ſic imminuto aeſtus et motus ſubſidant, febrisque ſeſe ſubducat. Magis tamen aliis mutationum excretionumue generibus, maximeque reſolutione et ſudore, vel et madore aliquo diaria febris ſolui ſolet, quum plethora et congeſtionum in his mitius aegrotantibus cauſae ſaepe deſint, vixque ſanguis a naturali ſua craſi deflectat, neque aucto valde impetu vaſa diſtendat. Quapropter etiam, ob contrariam rationem in *ſynocha*, ſeu ſanguinea ſtricte dicta, febre longe frequentius ſanguinem naribus fundi obſeruamus, ſiue ſimplex ſit ea febris, ſiue putris, vbi nimirum ejusdem cum diaria generis febris, et iisdem fere de cauſis, ſed grauioribus nata, ad quatuor, ſeptem, pluresue dies producitur, quo tum longiore ſpatio praeterea quoque via facilius ad transmittendum ſanguinem parari poteſt. *Ardens* febris ſeu *cauſos*, vt prae aliis vehemens eſt, et plures etiam per dies continenter affligit, rationes fere ſimiles habet; ita nec mirum illam, alias inter excretiones, largam quoque narium aliamue haemorrhagiam, pro leuamine aut criſi frequentius mouere. De febribus autem his grauioribus etiam

notari

notari meretur, quod, vbi forte illarum in decurſu nimis attenuatus fuerit ſanguis, aut acrior in praecordiis bilis abundauerit, qualis *cauſi* praeſertim conditio eſſe ſolet *f*); aut quae vehementiorem

f) Conf. VAN SWIETEN *Comment. in aph.* BOERH. *T. II. p.* 454. in illuſtratione §. 740. PRINGLE *Obſervations on the Diſeaſes of the Army, edit in* 4. *Lond.* 1765. *p.* 64. 65. *et* 180. Grauem valde epidemicam putridam et bilioſam febrem, cum haemorrhagiis nunc ſalutaribus nunc etiam inutilibus et noxiis deſcribit HVXHAMVS *de aere et morb. epid. Oper. edit. cel.* REICHELII *T.* 1. *p.* 234. *ſqq.* Sic Idem ſollertiſſimus Obſeruator in febre alia epidemica, quam putridam malignam nominauit, ſaepe cum puſtulis rubellis, ſaepe cum petechiis incedente haemorrhagias enormes interdum ex ore, naribus, vtero, praeſertim cum maculae praelargae fuere ac liuidae, aut nigrae, aut violaceae, acceſſiſſe memorat. *Ibid. p.* 317. Ceterum etiam quae Auctor hicce praeſtantiſſimus de ſanguinis diſſoluti in putridis febribus indole ad haemorrhagias facile pernicioſas proniori tradidit, quoad noſtram doctrinam, conferri quam digniſſima videntur. *Oper. T.* 11. *c. V.* Notabilia quoque valde ſunt ipſius obſeruata de pertinacibus in ictero ſaeuiore ac febrili ſanguinis profuſionibus, quae plures per vias iis in aegris contigerint. *T.* 1. *p.* 158. 150. Quam terribilis autem bilis vis in putridis febribus, quoad haemorrhagias excitandas, euadere poſſit, inprimis ex hiſtoria patet febris illius grauiſſimae, apud Indos occidentales frequentioris, quam Angli *the yellovv Fever* vocare ſolent, quamque ſub nomine *putridae bilioſae* ex propria ſua obſeruatione cel. HILLARY prae aliis accuratiſſime deſcripſiſſe videtur. Juuabit forte ipſa adduxiſſe ejus verba: *in the latter Stage of this Fever the blood is ſo attenuated and diſſolved, that vve frequently ſee it flovving, not only out of the Noſe and Mouth, but from the Eyes, and even through the very Pores of the Skin; alſo great Quantities of black half-baked, or half-mortified Blood is frequently voided, both by Vomiting and by Stool, vvith great Quantities of yellovv and blackish putrid Bile by the ſame vvays; und the Urine, vvhich vvas before*

et nimis pertinacem spasticam congestionem excitet, in visceribus causa latuerit, haemorrhagia etiam talis spontanea in aegri detrimentum cedere queat. Variaque talis fere est ratio plurimarum febrium remittentium continuarum; in quibus nempe toties, tum cum leuamine, tum instar criseos, tum etiam inutiliter, aut majori minoriue cum noxa, sanguinem naturae efficacia profundi animaduertimus. Quoad vias vero tutissimam plerumque illam ex naribus habemus, nisi morbi genius, sexusque vel aetatis conditio corporisque habitudo illas ex vtero aut haemorrhoidibus praeferendam postulent. Mictum equidem vomitumque sanguinis, et ejusdem sincerioris cum tussi rejectionem mali plerumque ominis esse satis compertum est.

§. VIII.

of a high ictericious Colour, is novv almost black, and is frequently mixed vvith a considerable Quantity of half-dissolved Blood v. HILLARY'S *Observations on the Changes of the Air and the concomitant Epidemical Diseases in te Island of Barbados.* Lond. 1759. p. 151. 152. Conferri etiam de hac ipsa obseruatione meretur JO. MOULTRIE *Diss. de febre maligna biliosa Amer.* quam recudi curauit cel. BALDINGER, Longosal. 1768. p. 4. 5. et CHARLES BISSETS *Medical Essays and observations* p 20. Quae autem in hacce graui febre magna et manifesta est, in aliis quidem apud nos minor et saepe occultior atque lentior, attamen verissime quoque, nec valde raro aliqua reperitur, noxia bilis et cacochyliae putridae efficacia in excitandis febrilibus haemorrhagiis, iisdemque pertinaciter producendis. v. praecipue cel. TISSOTI *Diss, de febre biliosa Laus annensi p.* 120.

§. VIII.

In exanthematicis pariter febribus, in variolis nempe, morbillis, purpurata et ſcarlatina febre, etc. varios non raro ſanguinis fluxus, quoad vias, qualitatem, cauſas, copiam et effectus, obſeruamus, quos etiam in hocce morborum genere fere ſimili ratione ſecundum ipſas corporibus inhaerentes cauſas, atque diſcrepantes febrium conjunctarum conditiones, ac in ſimplicibus continuis dijudicandas cenſemus, niſi quod criticae metaſtaſeos ad cutem, quam exanthematum plura genera praeſtant, indoles, atque ſingularis illorum cujusque decurſus, peculiarem aliquam attentionem ſibi poſtulare ſoleant. Nonnunquam plurimo cum aegrotantium leuamento, primis in diebus febris varioloſae vehementioris, attamen melioris indolis, largam ex naribus haemorrhagiam accedere, praeſertim, vbi grauis capitis dolor, ſopor, vel delirium adfuerint; etiam fauſtum et mitem inde aliquando ſequi decurſum, ex certiſſima et vulgari obſeruatione ſatis conſtat. Neque minus exoptatum talem ſimili ex haemorrhagia ſucceſſum in morbilloſae, purpuratae rubrae et ſcarlatinae febris, licet in binis hisce poſterioribus rarius, initio quandoque animaduertimus. Attamen nequaquam ſemper fluente ſanguine plane ſecuros nos eſſe licet, quum et nonnunquam paucae modo ſtillae appareant, aliquando etiam nimis copioſa profuſio, peſſimi ominis et cum difficili valde rerum ſtatu occurrant;

immo et ipse fluxus sanguinis sua natura quandoque in aegri potius detrimentum, quam commodum vergere videatur; qualia exempla plures apud Auctores, et inter alios apud laudatissimum inprimis HVXHAMVM reperire licet. Faustus successus vera ex plethora, sed non sola tamen, verum et ex sanguine integriore, moderato ejus fluxu, viscerum laudabili conditione, systematis neruosi vigore, absentia prauorum symptomatum et praesertim quoque biliosae colluuiei, subinde et variis demum ex haemorrhagiae effectibus, aestimandus videtur. Dubia magis et facilius periculosa rerum conditio est, vbi pustulis jam praesentibus sanguis profluat. *Nunquam sane non prognosticum est mortiferum*, ait HVXHAMVS, *si quando maculae et haemorrhagiae in vera variolarum eruptione apparent, et aeger raro aut nunquam ad nonum morbi diem vsque vitam trahit; cum sanguis sine mora in dissolutionem et putredinem ruat* g). Petechialis febris rarius, quod frequentissime ad putridarum aliquod genus referri mereatur, largiorem absque noxa haemorrhagiam admittit, etsi nequaquam generatim semper detrimentum inde metuendum, sed potius aliquando verum inde commodum exspectandum sit *h*). Multo autem adhuc minus, in simplici miliari alba, ob junctam illi ordinarie virium vitalium penuriam, pro-

g) *Oper. T. II. p.* 59.

h) v. F. HOFFMANNI *med. system. T. IV. P. I. Sect. I. C. XI. Obs. VI.* CL. HASENOEHRL. *hist. trium morb. p.* 83. KLOEKHOF *opusc. med. p.* 99.

probandae plerumque ſunt haemorrhagiae, neque etiam illa laborantes hisce facile obnoxii reperiuntur; quamuis vtique plures etiam varietates atque complicationes hic morbus admittat, quas inter occurrere ſatis compertum eſt, in quibus et ſanguinis miſſioni locus *i*), et ex fluxu moderato ſpontaneo, praeſertim illo lochiorum in puerperis, commodum inſequatur *k*).

§. IX.

Inflammatoriis etiam febribus ſanguinei fluxus non nunquam accedunt, easdemque ſaepe leuare, quandoque fere curare valent; attamen pariter quoque cum aegrotantium detrimento illos nonnunquam contingere, omni dubio vacat. Ad ſanguineos autem fluxus minus referri ſolent frequentes illae et ordinariae ſanguinis pauci ex inflammata parte, ſub ipſo morborum initio et cruditate quaſi expreſſi, et cum muco varia ratione remixti, rejectiones, quae in angina, peripneumonia, pleuropneumonia, ventriculi et inteſtinorum inflammatione, nephritide et inflammatione veſicae ſaepiſſime ex viis maxime propinquis obſeruantur. Veriores

i) F. HOFFMANNVS *L. c. Sect. I. C. IX. p. m.* 214. FORDYCE *hiſt. febr. miliaris S.* 92. *et ſeqq.* HVXHAM oper. T. I. p. 171. HAMILTON *curat. febr. mil. edit. Geneu.* operum Sydenh. T. I. annex. p. 390.

k) DE FISCHER *de febre miliari* p. 17. ſalutarem in grauida, quae alba ſimul cum rubra purpura laborauerat, haemorrhagiam narium refert p. 48.

riores autem, et quae frequentius leuamini aut crisi his in morbis inseruiunt, haemorrhagiae, etiam hic praecipue memorandae sunt illae ex naribus atque haemorrhoidibus. Hisque viis etiam fauent corporum illae affectiones, quas vt aliis in vehementioribus continuis, ita etiam in inflammatoriis haud raro deprehendimus, euidentiora nempe stafeos, licet spasticae modo ac transitoriae, in visceribus hypochondriacis indicia, praecordia tensa, quodammodo dolentia, obstrictam vel duriorem saltem aluum, cum aestu et dolore capitis ac ceruicis, et cum impetu sanguinis ad partes praecipue dolentes grauiori. Facilius autem in aegrorum hujusmodi febribus afflictorum commodum cedere obseruantur haemorrhagiae, vbi prioribus diebus accedant, modo bonam sanguis indolem habeat, et sufficiente, non tamen immoderata copia profluat *l*). Ceterum, quod ratione causarum et euentuum de simplicibus continuis atque exanthematicis, praesertim quoad febrium varietatem, jam notatum fuit, de inflammatoriis etiam valere satis habere licet exploratum *m*).

§. X.

Intermittentes febres rarius longe continuis euidam sanguinis profusioni ansam praebent. Haud fre-

l) conf. ill. TRILLER *de pleurit p. 7.*

m) v. ill. TISSOTI *diss. de febr. bil. Lauf. p.* 130. 146. Ill. PRAESIDIS et cl. ELLERT. *diss. de pleurit. partitione.*

frequenter illae plethoricos, venaesectione magis indigentes, quibus nempe densior simul et integrior sanguis fuerit, prehendere videntur, neque ea iis indoles est, quae pluribus in continuis locum habet, vt ad crisin per aliquam haemorrhagiam pronae sint, quum potius vix non semper eam per diaphoresin et vrinam fere solas postulent. Ipsa etiam intercalaris ἀπυρεξία, dum per vices remissiorem, etiam subinde naturali debiliorem, sanguinis motum praestat, efficaciam congestionum, quo minus haemorrhagiam tam facile excitent, infringere quodammodo poterit; siquidem aliquando tanta est paroxysmorum cum symptomatibus haemorrhagiam alias praenunciantibus violentia, vt, nisi mitior breui status euaderet, ipsa profusio sanguinis quam facillime excitaretur. Vix praeterea dubitandum, peculiarem aliquam, quae intermittentes foueat febres, systemati neruoso debilitatem inhaerere, cui sanguinei fluxus plerumque non respondeant, ita quidem, vt etiam, si forte acciderint, pariter ac venae sectio, difficiliorem morbum aut grauiores ejusdem metaschematismos facile excitare possint *n*). Verum tamen et aliquando intermittentibus verissime conjuncta reperitur nociua sanguinis abundantia, talisque illius orgasmus, vt sanguis ex naribus aut ano ad insigne leuamen aegri profundatur, nisi forte venae sectione opportune insti-

n) v. HIPP. *aph.* 3. *Sect.* *VIII.* SYDENH. *oper. vniu. edit.* *Leyd.* 1754. 91. 94. *p.* 298.

instituta is fluxus praeuertatur *o*). Et nonnunquam, vbi etiam staseos cujusdam sanguinis in hypochondriaco viscere probabilia indicia praesto fuerunt, saluti aut commodo cessit aliqua ex iisdem viis haemorrhagia *p*).

§. XI.

Similiter de aliis Febrium speciebus, quas sigillatim exponere nimis longum foret; et de morbis, in quibus haemorrhagiae cum febre eueniunt, existimandum est. In vniuersum, quae *criticae* sunt, bonae esse consueuerunt; quae *symptomaticae* ab istis recte distinguuntur, a febre scilicet, quamuis fortasse non sola, excitatae, nunc malae nunc bonae; similisque conditio est aliunde *superuenientium*. Criticae autem eo dignoscuntur, si vires vitae bene valent, quodammodo inter crisin increscunt: si febre paulatim jam ad vigorem producta, siue coctione peracta, fit euacuatio: si cum euacuatione decrescit febris, affectioque morbosa magis magisque leuatur: si, quod necessario ex his consequitur, tantum sanguinis, quantum valetudini aduersum est, hoc est, multum pro re nata, profunditur: si per vias commodas, siue patentiores ad emittendum sanguinem, profluit, quales sunt potissimum nares, vterus, haemorrhoides; minus com-

o) Conf WERLHOFII *obseru. de febr. p.* 73. 74.

p) FORESTVS *Libri III. obs.* 41. Ill. de HAEN *rat. med. T. XI. p.* 6.

commodi pulmones: adhuc magis incongrui renes, ventriculus, inteſtina, aures, oculi. Nonnunquam tamen etiam per vias, quae minus conuenire videntur, ſalutares contingunt haemorrhagiae, modo ceterae conditiones bene ſe habeant. Quemadmodum nec de menſura excretionis alia fere, quae in vniuerſum valeat, regula dari poterit, quam vt in melius aegri ſtatus et functiones mutentur. Sic non pauca reperiuntur apud autores obſeruationum exempla, vbi per haemoptyſin, vel cruentum vomitum, mictumue ſanguineum, itemque ex naribus aut haemorrhoidibus ingens humoris copia ſalutariter aut ſine detrimento valetudinis effuſa fuit *q*). At ſi vires per excretionem dejiciuntur, ſi pulſus debilior fit, ſi ſpiritus ſemper difficilius trahitur, mens non bene conſtat, ceteraeque functiones in pejus vertunt: ſi paucae tantummodo guttae ſanguinis profluunt: ſi nullum ſequitur morbi leuamen, ſed potius ſopor, ſpaſmi, extremorum refrigeratio, et quae ſunt alia ſupra dictis

q) De Haemoptyſi vid. exempli cauſa AVG. QVIR. RIVINVS in *Diſſertationibus Academicis* collectis pag. 332. JOH. STORCH. in *Praxi Stahliana*, Sectione I. Membro 7. 2. m. 353. de vomitu cruento idem STORCH. ibid. p. 382. de ſanguinis Mictu HOFFMANN. *Medic. Syſtem.* T. IV. P. 1. Sect. I. Cap. VI. §. VII. STORCH. ibid. p. 456. et 458. (vbi ſigillatim de critico in *ſcarlatina febre*). De largiſſima ſalutari narium haemorrhagia KLOECKHOF. *opuſc. med. p.* 99. BALLONII *oper. edit.* TRONCHINI *T. IV. p.* 327. De omnibus ill. RICHTERI diſp. *Natura morborum per morbos victrix*, paſſim.

ctis bonis signis contraria; tunc haemorrhagiae tales cum discrimine vitae omnino conjunctae sunt, saepius morbi praeualentis et naturae fatiscentis indicia praebent; etsi etiam verae criticae r) ita nonnunquam excedant, vt artis auxilio, quo illae mitigentur vel cohibeantur, aliquando vtique indigeant. Quod ad symptomaticas haemorrhagias attinet, hae non semper malae putandae sunt, sed aliquando bonae, tum praesertim, vbi sanguinis abundans copia, quae non quidem ipsum morbum faciat, sed tamen eum aut ejus accidentia augeat, curationemue reddat difficiliorem, virtute naturae et motuum enatorum propellitur diminuiturque; sicut in variis febribus aliquando fieri supra dictum est.

§. XII.

Itaque, si in febribus res naturae permittatur, eaque per se negotium gerat, neque in suis moliminibus impediatur, persaepe sanguinem abundantem et turgentem spontaneis haemorrhagiis in emolumentum valetudinis effundi, certum est. Quamobrem

r) Criticas euacuationes de faustis intelligo, quo sensu haec vox accipi consueuit, quando simpliciter adhibetur. Ceterum latiores vocis Criseos significationes explicat cl. BRAWII sub Ill. mei Praesidis moderamine habita Dissertatio Inauguralis, *de Coctionis atque Criseos in Febribus impedimentis*, §. 2. SAVVAGESIVS criticam febrilem haemorrhagiam inter symptomaticas refert, essentialibus oppositas, *Nosologia Methodica* Tomo III. Parte 2. pag. 19. Sed nolumus, cum opus non videatur, ab vsitatiore discedere loquendi ratione.

obrem nec licebit, ſi jam ſanguis in curſu eſt, aut futurae criſeos indicia comparent, vt pulſus caprizans, titillatio ſeu pruritus aut moleſtia ſimilis in naribus aut ano, ſputum pleuriticum, cet. non licebit, inquam, hos naturae motus compeſcere, ſufflaminare, impedire, aut interuertere, ſed potius adjuuare, ſi opus eſt, ſaltim ſinere; et tantummodo praeſtolari, num forte ſigna nimis immoderatae profuſionis ſubſequantur, quae nimirum ſedanda vel comprimenda. Antea vero quam haemorrhagia fiat, aut ejus breui oriturae certa praeſto fuerint indicia, in quaeſtionem adduci poteſt, num ſanguinem arte detrahere conſultum ſit, eoque ſpontaneam euacuationem anteuertere? Nam ad ſanguinis profuſionem, cui vera plethora, ſiue illa ad molem dicta *s*), anſam praebuerit, rite auertendam non alia datur apta via, quam ipſius ſanguinis vicaria, quae per artem fit, diminutio. Quamuis enim viſum quibusdam fuerit, plenitudinem ſanguinis in morbis etiam eo modo plerumque ſatis diminui poſſe, vt abundans ejus pars motibus febrilibus, et aptae auxilio diaetae, ac medicinae, in ſerum reſoluatur, tumque ſuperfluum illud per ſudorem, aluum, coryzam, vrinam, ſimilesue excretionum vias eliminetur; potius tamen credibile eſt, ejusmodi plethoram, niſi reapſe vel in ipſa ſua ſubſtantia detrahatur, multiplices corruptiones ſuſce-

s) GAVBII *pathol. medic.* §. 388.

ſuſcepturam, grauesque morbos aut ſymptomata, nominatim inflammationes, putredines, ſpasmos, dolores, ſpontaneas haemorrhagias et congeſtiones facile periculoſas creaturam eſſe; id quod etiam experientia ſatis ſuperque confirmat, certeque conſtat, febres, quae plethorae ſuam debent originem, aut eam habent conjunctam, longe difficilius, vixque ſine majori aegrotantis diſcrimine, curari ſine detractione ſinceri ſanguinis, quam hac, quoad ſufficit, adhibita. Denique, ſanguinis partem abundantem non poſſe alio commodo modo conſumi, niſi ipſius ſinceri ſanguinis excretione, hoc ſatis videtur eſſe documenti, quod ſaepe, adhibitis etiam optimis auxiliis ad moderandum ſanguinis impetum, omiſſa modo ejusdem detractione, ipſa tandem haemorrhagia ſuccedere morbumque leuare aut ſoluere ſoleat, niſi jam alienata ipſius vitalis laticis conditio fuerit, aut viſceribus ac neruis grauior illata ſit injuria; nonnunquam vero et febre ſuperata varias ex plethora nondum imminuta moleſtias, et pericula remanere. Ipſam ſpontaneam autem haemorrhagiam, antea ſatis exhauſto per artem ſanguine, longe rarius euenturam eſſe, hoc minus dubitandum eſt, quod praeſentem quoque haemorrhagiam miſſione ſanguinis imminui ſupprimique videmus. Jam conſiderandum eſt, ſpontaneas iſtas euacuationes multis difficultatibus eſſe circumſeptas: grauia interim, dum ad bonam excretionem via praeparatur, ab abundante et aeſtu-

ante

ante ſanguine induci ſymptomata: quin ipſius ſanguinis periculoſas metuendas eſſe corruptiones, nec non ſymptomaticas ejusdem, aut incongruas alienis in locis, perniciosaſque eruptiones, vel partium interiorum laeſiones multiplices: denique, nec certo ſciri poſſe, ſpontaneam fore haemorrhagiam, et, ſi vel maxime fieret, tamen eam vel imperfectam, vel nimiam eſſe poſſe; quodſi non eueniat fluxus, noxas ſanguinis inhaerentis putreſcentisque, graues admodum, exſpectandas eſſe: ſi nimis paucum ſanguinis profluat, intus reſtantem materiam aegrum oppreſſurum ac confecturum eſſe: ſi nimis multum, conſecuturam imbecillitatem vniuerſalem, mentis perturbationem, delirium, pallorem et frigus, cachexiam, hydropem, tabem, conuulſiones, et ipſam aliquando mortem. Quibus omnibus bene perpenſis adducor, vt exiſtimem, Medicum oportere, niſi de feliciori critico ſanguinis profluuio mox aduenturo ſatis certa ſpes fuerit, quoad fieri poteſt, haemorrhagiis ſpontaneis febrilibus, quibus plethora ſiue ad molem ſiue ad volumen, et quibus ſpaſtica congeſtio, itemque nimia tenuitas ſanguinis, nimiaue fabricae quarundam corporis partium debilitas anſam dederit, perite praecauendis operam dare, eaque propter etiam, vbi modo de ſanguinis praeſertim integrioris abundantia conſtiterit, ſuperfluum emittere, quoad licet, ita nempe, ne vires reliquo morbo ſuperando neceſſariae proſternantur aut exhaurian-

 tur.

tur. Sic officio suo, ducem sequendi naturam, satisfacit Medicus, quatenus sanguinem detrahit, quem verisimiliter alias, vbi res feliciter cesserit, natura ipsa detractura foret. Negari quidem nequaquam poterit, sanguinis detractione in mitiori febre haud semper opus esse, etiamsi aliqua rubri hujus laticis abundantia se prodere videatur, praesertim si hunc ante morbum certa ejus indicia non fuerint, neque periodicis sanguinis fluxibus aut missionibus sanitati congruis nondum assuetus quis fuerit. Qui etiam diaetae, et curationis antiphlogisticae et antisepticae potens auxilium, frequentemque febrilis ebullitionis ex praecordiis originem, aptis praecipue domandam euacuationibus, probe habuerit cognitam, facile verissima reperiet ill. Tissoti asserta monitaque, *frequenter hodie abesse plethoram*, licet adesse videatur, *seruandumque sanguinem esse, quo ad arcendos morbos non sanguineos ipse quoque suum afferat auxilium t)*. Neque nimis praeterea meticulosos nos esse decet, ratione incidentis forte moderatae spontaneae haemorrhagiae, in sanguineis febribus toties, vt per vulgus notum, salutari, atque futurae valetudini saepe magis conueniente ac detractio artificialis. Tantum tamen abest quoque, vt prudente, verisque ex rationibus instituta, venaesectione vis naturae debilitetur, ne sufficiat ad debellandum morbum, vt ab impedimento, quod sanguis abundans ac turgescens ob-

t) *Diss. de febr. biliosis.* p. 122.

objiciebat, jam libera, magis inſurgat, et parte rerum aduerſarum remota, hoc potentius ad reliquas vincendas inualeſcat; vnde quoque tum pulſum fieri liberiorem majoremque, reſpirationem faciliorem, ſenſus animaeque reliquas facultates expeditiores, excretiones promtiores, caeterasque functiones quaslibet meliores; adeoque minui febrem cum ſuis ſymptomatibus, experientia docet.

§. XIII.

Attamen alia plane incedendum via exiſtimo, vbi aliae praeter plethoram veram cauſſae metuendarum aut jam praeſentium haemorrhagiarum febrilium in aegris reperiantur. Ita, quum bilioſae colluuiei, quam ex grauioribus haemorrhagiarum cauſſis eſſe jam ſupra innuimus, indicia praeſto fuerint, ſaepe quidem facillime apparere talis rerum conditio poterit, ac ſi venaeſectione opus foret, ſiquidem aeſtus quandoque totius corporis vehementior, et ipſae viſcerum inflammationes et aliae moleſtiſſimae congeſtiones nonnunquam animaduertuntur; attamen magna tunc ſemper cautione opus eſt in mittendo ſanguine, vtpote illum non modo ſine commodo aegri, ſed vera et grauiſſima ſaepe cum ejusdem noxa emiſſum eſſe, certiſſime plurium obſeruatione conſtitit. Ita etiam ipſo in *cauſo*, quem hujus generis eſſe indicauimus, ſummus BOERHAAVE, licet ob eam, quam expoſuerat, morbi naturam, inflammationem videlicet per vniuerſum

corpus, maxime necessaria sanguinis missio censeri posset, tales constituit venae secandae cautiones, quae peculiarem facilis noxae metum prodere, indoli autem biliosae putridaeque febris praesertim accommodatae videntur. *Venaesectionem* enim ad causi curationem tunc modo commendat, *si morbi initium, plethorae indicia, inflammationis singularis signa, calor intolerabilis, rarefactio nimia, reuulsio necessaria, symptomata vrgentia, neque alio remedio facile superanda, illam exegerint u*). Atque accuratissimus magni hujus viri Commentator van Swieten, bene memorat, Medicos etiam veteres, vtpote qui pro biliosa febre illam habuere, parum aut vix quid venaesectioni hujus in febris sanatione tribuisse, licet in aliis multum ex illa commodi sperauerint *v*). Praeter alios autem in primis quoad hanc doctrinam laudandus videtur praestantissimus Tissotus, qui pluribus ex rationibus experientia perpetua confirmatis noxas facile graues ex venaesectione in biliosis febribus, praesertim vbi manifestius putridae simul fuerint, accurate exposuit *w*); licet merito etiam ejusmodi complicationem admiserit *x*) ac bene descripserit *y*), vbi plethora vera, et inflammatoria sanguinis dispositio, et ex impacto alicubi sanguine metuendum nec alia ratione auertendum

dum

u) BOERHAAVE *aphor. de cogn. et cur. morb.* §. 743.
v) *Comment. T. II. p.* 496.
vv) *Diss. de febr. biliosis p.* 121 *et seqq.*
x) *Ibid. p.* 147. *seqq. et Avis au peuple* §. 241. *p.* 268.
y) *Lettre a Mr.* ZIMMERMANN *sur l'Epidemie courante.*

dum periculum, ſectionem venae poſtulare ſoleant. Optime cum his plurimorum quoque aliorum monita, obſeruationi accuratiori innixa conſentiunt, quorum ſatis multa ipſe Tissotus adduxit, quibusque plura ſuperaddi facile poſſent. Sic et ill. Pringle, de bilioſis ſcribens febribus: *When the Fever of the Marſhes is of an ardent Kind, it may ſeem to require large Bleeding; but in general as the Humours have here a more putrid Tendency than common, this Diſeaſe admits leſſ of Bleeding than the Camp-Fever, in which by frequent and great Colds the Blood becoming Sizy fixes the Inflammation* z). Eo autem inprimis redeunt venaeſectionum in bilioſis febribus, in grauioribus maxime, noxae, quod rapiendo ad ſanguinis maſſam bile plura ſpaſtica excitet vel augeat ſymptomata, majori humorum putredini anſam praebeat, aeſtum cum imminutis viribus facile auctum ſiſtat, animi deliquiis, deliriis, ſoporibus proniores aegros reddat, coctionem inde quoque turbet, criſinque difficiliorem efficiat, immo et aliquando arti cuiuis inſuperabilem ſtatum producat. In ejusmodi ergo febribus ſpontaneas arcere haemorrhagias maxime conueniet, quod ipſum diluente inprimis acidulo potu, et antiſepticis diureticis, blandisque, prout indicantia poſtulauerint, primas vias ſenſim expurgantibus remediis, dein vero etiam tonicis atque diaphoreticis antiſepticis peragi poſſe, experientia toties comprobauit.

 §. XIV.

z) *Obſerv. on the Diſeaſes of the Army Part. III. Cap. 4. p. m. 208.*

§. XIV.

Neque iis in putridis febribus, quas, cum a corrupta biliofa in primis viis colluuie illas minus pendere animaduertamus, a biliofis merito diftinguimus, quibusque *fynochi putridae* nomen melius, ac illud *malignae febris*, (licet fummi inter Anglos viri hanc vocem ita nunc fumant,) conuenire cenfemus, veri quid commodi ex venaefectione, absque follicita cautione inftitutae, vel ad arcendas tollendasque haemorrhagias fpontaneas, facile nociuas, vel quoad reliquam vniuerfam curationem, exfpectandum exiftimamus. Etiamfi enim rationes mittendi fanguinis his etiam in febribus occurrere, fauftique euentus detractam fatis tempeftiue abundantiam infequi poffint, quum et plethora increfcentem foueat putredinem; non folum tamen ipfa faepe his in febribus obferuata pronitas ad haemorrhagias, etiam deficiente omni plethora ex feruido nimis ac diffoluto fanguine oriundas *a*), fed perniciofus etiam ille, qui non raro inftitutae ex probabili ratione venaefectioni fucceffit, virium vitalium languor, cum deliriis, fopore, ftupore, conuulfiuis affectionibus faepe et facile coniunctus, mortemque vel fummum aegrorum periculum intulit, fatis probant, non nifi fumma cautione ad auertendas haemorrhagias artificialem fanguinis detractionem adhibendam, eidemque tunc etiam

a) Conf. van SWIETEN *Comment. T. II. p.* 421.

etiam ſoli parum confidendum eſſe *b*). Etſi ergo probe ſemper obſeruandi quorumuis hujus generis morborum genius et complicatio ſint, quibus maxime differre illos conſtat, medendique ſecundum indicantia methodus varia ſape requiratur; praecipua tamen curationis pars, et ipſis aduerſa ſpontaneis ex tenuitate ac feruore ſanguinis oriundis haemorrhagiis, plerumque, praemiſſis, vbi opus, primas vias expurgantibus, juſto continetur vſu antiſepticorum, tum acidorum, et ſpiritus inprimis vitriolici, tum incraſſantium et quodammodo adſtringentium, vt potus frigidi *c*), corticis Peruuiani, aluminis, ſucci catechu, tum et ipſorum ſubinde excitantium cardiacorum, et ex his praeſertim vini boni ſubacidi et auſteri, tum aptorum denique diaphoreticorum, in primis camphorae radicisque ſerpentariae Virginianae *d*).

§. XV.

Supra etiam ſpaſmodicas congeſtiones ad haemorrhagiarum ſponte contingentium cauſas retulimus, et experientia omnino ſatis manifeſte conſtat, illas etiam ſubinde absque indiciis vniuerſalis

b) PRINGLE *on the Diſeaſes of the Army P. III. Ch.* 7. *p.* 307. HVXHAM *oper. T. I. p.* 329. *T. II. p.* 105.

c) van SWIETEN *Comment. T. II. p.* 422.

d) De his conferri praeter alios merentur HVXHAMVS, PRINGLIVS, MONROVS, TISSOTVS.

nimiae vaſorum plenitudinis *e*), in febribus variae indolis locum habere. Plura facile affectionum genera, quae ſpaſmodicarum conſtrictionum efficacia ſanguinem ad interiora atque certam ad partem depelli, et in arteriis collectum majori actione ad extrema illarum cogi, deſignant, febrilesque haemorrhagias, praecipue illam narium praecedunt et comitantur, ipſum apud HIPPOCRATEM reperire licet, hodiernae experientiae etiamnum plane conſona. Ita enim horroris ſenſum *f*), tumidaque dura et dolentia praecordia *g*), eademque palpitantia *h*) et lumborum orisque ventriculi dolorem *i*), neque minus dolorem ceruicis cum tenſionis ſenſu *k*) et capitis grauitatem *l*) et venarum in temporibus pulſum cum facie bene habita *m*), ſaepiſſime ſanguinis ex naribus profluuium praeſertim in febribus acutis praenunciare idem docuit. Neque ipſe praetermiſit quodammodo ſimiles, quae alias haemorrhagias praecederent, ſpaſmodicas affectiones memorare. Pluribus communes eſſe frequens docet ob-

e) Memorabile propterea et hoc reſpectu dictum illud Hippocraticum eſt, quod experientia ſaepe confirmauit: *Qui in febribus ad contactum nullum ardoris ſenſum prae ſe ferunt, phrenitici fiunt, iique magis ſi ſanguis fluxerit. Coac.* 228.

f) *Coac.* 24 326. *Praedict. I.* 134.

g) *Coac.* 280.

h) *Praedict. I.* 144.

i) *Coac.* 306. 307.

k) *Coac.* 555. *Praedict. I.* 135.

l) *Praedict. I.* 135.

m) *Coac.* 128. 142.

obſeruatio horrorem in vniuerſo corpore, tenſionis et ſtricturae in hypochondriis et in dorſo ſenſum, anxietatem, aluum obſtructam, pulſumque contractum ac duriorem. Non autem ſolum in ſalutaribus criticis aut leuantibus haemorrhagiis, ſed in iſtis etiam, quae diſcrimen aegrorum augere videntur, molimina illa naturae, ſpaſticas excitantis congeſtiones, animaduertimus. Solent enim et haec ſaepe ſtillas comitari perpuſillas, plerumque malas *n*); variisque cauſis et alias proritantur, vbi copia effluentis ſanguinis periculum inferre valet, et vbi potius optandum foret, neque congeſtiones illas neque haemorrhagias fuiſſe ſubſecutas. Ex iis vero, quae antea expoſuimus, facile apparet, eo plus hiſce ex affectionibus ſpaſmodicis metuendum eſſe, quo grauius illarum plures ſimul aegrum infeſtauerint, quo minus diminuendae plethorae adſit ratio, quo certiora praeſentis colluuiei bilioſae, praeſertim putridae, indicia reperiantur, quo magis jam increuerit putrida ſanguinis diſſolutio, quo magis depreſſae jam ſint, quae pulſu et calore innoteſcunt, aegri vires, quo magis denique perturbatae fuerint, ſine plethorae, inflammationum, colluuiei bilioſae, quae originem forte praebere malo poſſent. ſignis, neruoſi ſyſtematis functiones. Quum tamen omnino exempla occurrant, vbi leuamini et ipſi criſi ita excitata haemorrhagia inſeruiat, vbi et nihil periculi plane ipſis in ſpaſticis meli-

n) *Coac.* 57.

moliminibus animaduertatur, integerrimaque fubfequatur faepe valetudo, non femper quid fufcipiendum exiftimamus, quo futura illa eruptio praepediatur, aut praefens breui tollatur. Subinde vero etiam nimium, qui inftare videtur, fluxum, nonnunquam et omnem, auertere vtique ex re erit, pro varia morbi aegrique conditione. Et ipfi quidem venaefectioni locus effe poterit, vbi abundantia vere adfuerit, et ex caufarum numero effe reperiatur, aut nimis valida congeftio fuerit, ac detractio nihil detrimenti minetur. Alias optima erunt auxilia, quae fpafmos tuto leniant ac tollant, et liberum fanguini per vafa, quae conftricta fuere, progreffum reftituant. Salutariter tunc faepe, vbi per vias corporis fuperiores exiturus fanguis fuerit, pediluuia tepida, clyfteres emollientes, lenes artuum frictiones adhibendo, HIPPOCRATIS imitamur confilium, *quae perfrigerata funt*, praecipientis, *excalefacere oportet*, *praeterquam quae fanguinem profundunt, aut funt profufura* o). Magna etiam nitri, frequentius et majore dofi exhibiti, atque fubfrigidi et fubacidi potus efficacitatem, vbi modo potentiora non poftulauerit putrida diffolutio, plane compertiffimum habere licet. Multum quoque commodi a felectioribus antifpafmodicis et anodynis, morbi genio et aegrotantis integrae difpofitioni accommodatis, ex F. HOFFMANNI p) plu-

o) *Aph.* 19 *Sect. V.*

p) *Med. Syft. T. IV. P. II. p.* 17. §. 111. Conf. Cl. TRALLES *Vfus opii Sect. II. cap. I.*

pluriumque consilio exspectari poterit. Insigni praeterea praesidio erunt aluum blande ducentia et purgantia, dum hanc viam ipsa natura, docente cum HIPPOCRATE *q*) experientia, sponte cessantibus haemorrhagiis, affectare saepe solet, et, quae mali originem perfrequenter fouet, acris praecordiorum colluuies, laudato etiam F. HOFFMANNO *r*) bene monente, hac ratione aptissime expellitur, nisi forte materiae satis mobilis grauior ad superiora orgasmus, spasmis antea sedatis, atque corpore quoad reliqua etiam bene praeparato, emeticum mite praeferendum postulet. Caeterum nec omittendum hoc loco esse, vbi quis viscerum infarctus animaduertatur, commodorum deobstruentium, et cum debilitas viscerum aut neruorum remanserit, roborantium medicamentorum, corticis praesertim Peruuiani, vsum, quisque rationalis indicationum doctrinae haud ignarus facile perspexerit.

§. XVI.

Tali autem modo, sanguine satis detracto, aliisue, quibus opus, auxiliis subministratis, etiam leuantes, forsitan et criticae haemorrhagiae nonnunquam plane impediri vel, vt minores atque moderatiores succedant, effici poterit. Nihil tamen inde metuendum erit noxae, vbi varia incommoda

spem

q) *Quibus per febres sanguinis copia vndecunque eruperit, in refectionibus his alui humectantur. Aph. 27. Sect. IV. Coac.* 153. 355.

r) *L. modo cit. p.* 18. §. *V.*

ſpem ſalutaris haemorrhagiae probabilem fecerint, tutiorique modo, quam ſi haec ipſa exſpectetur, quia nempe quodammodo dubius quoad illam euentus eſt, et ipſe fluxus nonnunquam plane non, aliquando vero non niſi poſt grauiora, increſcente ſenſim morbo, exorta ſymptomata, ſubſequitur, ad probatiorum indicantium normam aegro ſubueniatur. Haec enim animaduerſio non ſolum ad haemorrhagias pertinet, ſed etiam ad reliquas euacuationes leuantes et criticas, de quibus nimirum valent ea, quae in allegata diſſertatione Cl. BRAWII *s*) ex ill. PRAESIDIS ſententia, monita ſunt: *Nemo non optabilem habuerit morbi ſine ancipiti illa perturbatione critica progreſſum, quam nempe varia ratione criſis mala, atque naturae oppreſſio ſequi poteſt; ſed quo exactius pleniusque memorata et plura certius cognita impedimenta remouere ſtudeamus, eo minus irritamenti eliminandi naturae relinquemus, quod negotium illi faceſſere poſſit.* Similiter de haemorrhagiis pariter ac de aliis criſium ſpeciebus pronunciat ill. ANTONIVS *de* HAEN *t*): *Vbi quis cum Hippocraticis Sydenhamiana et Boerhauiana conjunxerit, ſcilicet venaeſectiones crebriores, medicamentaque et plura et efficaciora adhibuerit, interea dum ab Hippocraticis ne latum vnguem diſcedat; ille videtur in ſuis aegris ejusmodi perturbationes habiturus rariores.* Etſi vero etiam ſalutares forte quodam reſpectu futuras in mor-

s) §. IV. p. 14.

t) *Rat. med.* Parte I. Cap. IV. pag. 70.

morbis haemorrhagias, dum illarum cauſſas, quae praeter naturam occurrunt, morbi genio et aegri naturae conuenienter tollamus, anteuertere conſultum putem, non tamen, vti ſupra jam monitum fuit, in naturalibus aut conſuetis narium, haemorrhoidum, maximeque menſtruorum fluxibus, qui moderate ſe gerant, idem tentandum exiſtimo. In his enim, ſi recte enueniant, iſtae ſupra poſitae prauitates plethorae criticaque pericula, aut ex humorum, viſcerum et neruorum vitiis oriunda diſcrimina, timenda non ſunt: et vita ſenſuque praedita corporis natura tempus ac modum euacuationis ſaepe rectius inuenit, quam ipſe Medicus vel peritiſſimus hariolari potuerit. Quodſi difficultates exſiſtant, quae tales fluxus remorentur, aut ſi iidem vel nimis parce vel nimis copioſe fluant, aut ſi qua ſimul alia plethorae valetudinem laedentis fuerint indicia; tunc etiam ante vel inter naturales haemorrhagias venaeſectionibus aliisue, quae praeſens rerum conditio ad promouendos vel minuendos fluxus poſtulauerit, ſecundum principia expoſita, locum dari, facillime perſpicitur.

§. XVII.

Quoad inſtantes etiam haemorrhagias, quas ſalutares fore augurari licet, aliquando praeterea contingere notandum, vt non amplius conueniat miſſione ſanguinis, aliisue auxiliis, ejus fluxum ſpontaneum auertere, vel quia jam firmius certae

parti

parti impactus est humor, vt non aliter nisi cum tempore materiam et vias praeparando solui educique possit: vel quia jam in procinctu stat haemorrhagia: vel adeo jam prorumpit. In hoc enim statu venaesectionibus institutis, partim nihilo minus fit haemorrhagia, et vires duplici fluxu nimis consumuntur, partim verendum est, ne ex ea quam natura selegit via justo parcius fluat, vel ibidem ex toto intercipiatur, et sic in affecta illa parte sanguis inhaerens, aut ejus aliquid, restet, quod perniciem, aut certe grauem noxam afferat. Quod autem humor certo loco paulatim aliquando fortius affigatur, qui deinde solutis viis profluat; ex eo cognoscendum videtur, quia criticae haemorrhagiae certis demum temporum interuallis prodeunt, postquam sanguis coctionis, quae dicitur, apparatu maturus ad exitum redditus est. In principiis autem morborum sanguinem non ita fixam occupare sedem, sed patentiorem habere per venas reditum, qui vero postea impeditior fiat; inde scire licet, quoniam congestionibus tunc occurrentibus transitoriae magis causae, quibus non difficulter saepe medemur, ansam praebent, sanguinisque in minora vascula violentae penetrationi tum illius non ita multum prouecta resolutio, tum in his adhuc praesens majus robur obesse facile potest. Ergo, si hoc jam praeteriit tempus, et criticus sanguinis fluxus sperandus est; id saltim, si opus est, agere oportet, vt caueatur, partim, ne tardior minorque justo

fiat;

fiat; partim, ne modum excedat. Ne nimis diu differatur crisis, neue, pauco tantum sanguine per eam proeunte, reliquus intus maneat; opus est, vt liber, expeditus, ac placidus humorum per vasa motus sit; sic enim ad destinatum criseos locum promte mouebuntur. Quam quidem ad rem necesse est, vt sanguis satis dilutus temperatusque sit, partes, per quas mouetur, et ad quas tendit, satis laxae, agitatioque humorum ac tensio fibrarum, praesertim in loco vbi sanguis profundendus est, satis moderatae sint. Conferunt itaque hoc etiam fine, quae corpus humectant, quae aestum temperant, quae spissum sanguinem attenuant, quae vias aperiunt, quae spasmos grauiores soluunt. Quamuis enim spasticis motibus ipsae salutares haemorrhagiae excitari quoque soleant, illos tamen leuiores modo probamus, grauiores enim spasmi, vel impedire bonam excretionem, vel etiam haemorrhagias immoderatas, vel incongruas excitare facile poterunt. Ad spasmos vero leuandos, quae maxime valeant, siue externa, siue interna, jam antea innuimus, et nunc modo addimus venaesectioni etiam, licet ea jam non amplius haemorrhagiam auertere queat, tamen aliquando adhibendae locum esse, nempe tum ad praecauendam nimiam haemorrhagiae vehementiam, tum quoque ad promouendum moderatae haemorrhagiae faciliorem successum. Quod ad immoderatum sanguinis fluxum attinet, qui quidem in criticis haemorrhagiis raro

timendus est; ille iisdem, quae secundum proposita causas excedentis fluxus tollunt, saepe caueri, et vbi jam adest, minui vel quoque sisti poterit. Aliquando tamen ad propric sanguinem sistentia externa quoque confugiendum, quibus autem recensendis, quum in generali themate versemur, nunc abstinemus *u*).

II.

Dissertatio de coctionis atque criseos in febribus impedimentis, variisque noxis inde oriundis. Publice proposita Gott. 1768. Resp. GERH. MATH. FR. BRAWE, *Hannouerano.*

---

§. I.

Etsi equidem ad omnis morbi sanationem ipsius naturae efficacia salutaris necessaria sit, in morbis tamen praecipue febrilibus istae vires, ratione peculiari, ad perficiendam alienae febrimque cientis materiae separationem, per sic dictas coctiones et crises manifestius actuosae, ac ad morbos hosce deuincendos valentiores, deprehenduntur. Quod ipsum prouti perpetua medentium obseruatione quam euidentissime constat, ita nec mirum, a viris

u) Conferri de his meretur cel. TRALLES *Vsus opii Sect. II.* p. 18, 19. 27. 39. 49. 50.

viris optimis, accuratiori edoctis experientia, ipsam febrem pro singulari et fausto saepe salutis praesidio haberi. Hancce laudem febribus quoque veteres artis nostrae principes passim asseruere, et qui vestigia Hippocratis tam sollicite secutus est, febrium praesertim sollertissimus aeque obseruator, ac domator felicissimus, diuus ille Sydenhamus, febrim ipsam *naturae instrumentum* vocat, *quo partes impuras a puris secernat a)*; et alibi, *solemnem dicit naturae machinam, qua tum in praeparanda tum in eliminanda materie quauis inimica in sanguine latente praecipue vtitur b)*. Verum tamen haud minus certo, nec minus euidenter obseruando constitit, quam saepissime naturam sua in operatione ita impediri, vt vel a justo tramite deflectat, vel a materie oppressa fatiscat, vel etiam ad agendum nimis illam stimulari, vt aptos excedat vehementia sua limites. Hinc est, quod multa quoque apud auctores optimos legantur febrium vituperia, quorum amplum catalogum recensuit de febrium doctrina quam praeclarissime meritus b. Werlhofius c). Sed quamuis permagna plurimaque febrium pericula diffiteri nemo facile ausit, dubitari tamen vix poterit, cum vere jam excitati sunt febriles illi motus, et vbi modo satis potentes, neque tamen nimis vehementes, ratione deuincendae causae, fuerint, neque

 vllum

a) *Opp. vniu. S. I. Cap. IV. edit. Lugd.* 1754 *pag.* 62.
b) *Diss. epist. ad* GVIL. COLE, *opp. vniu. p.* 363.
c) *Caution. med. Tract. I. p.* 50. *seqq.*

vllum etiam adsit, quod moderatae illorum actioni obsit, impedimentum, neque talis simul corpori conditio inhaereat, aut in illo excitetur, quae sinistris ab istorum natura et ordine alienis motibus ansam praebeat, eam vtique illorum indolem esse, vt ad subigendam et eliminandam illam, quae febrem effecit, materiem, si non omnem, aliquam tamen ejus partem, inseruiat. Licet ergo cum ASCLEPIADE, febre ipsa praecipue ad remedium febrium vtendum esse *d*), existimemus, amplissimum tamen arti locum esse contendimus, ad moderandos atque dirigendos motus febriles, et ad arcenda salutaris illorum efficaciae impedimenta. Et horum quidem postremum, primarium et summum habere in febrium curatione momentum eo minus dubitamus, quo clarius patet, proficua plurima ad illud ipsum tendere artis auxilia, etiam quae ad moderandos ac dirigendos motus febriles capiuntur, consilia eo plerumque spectare, vt facilior, integriorque succedat febrilis materiae exterminatio, et quo rarius in id, (quod nempe vnicum haud semper commode ad idem caput retuleris) intendere opus est, aut expedit, vt naturae viribus ipso in acutarum decursu roborantibus vel nutrientibus succurras. Haec ipsa quum meum de argumento speciminis inauguralis eligendo meditantem subirent animum, operae pretium fore existimaui, si, quoad pro virium tenuitate liceret, de impedimentis tractarem,

quae

d) CELSVS *de medic. Lib. III. Cap. IV. p.* 118. *edit. ab Almel.*

quae ſalutari naturae virium in febribus acutis efficaciae obſtant, atque noxas inde metuendas exponerem; ad ipſa non ex inſtituto tranſiturus artis praecepta, quae ab hiſce periculis aegrum tutiorem praeſtare, aut ab iis quoque felicius illum vindicare doceant.

§. II.

Quae vero ad febres proprie pertinent naturae in ſalutem aegri actuoſae, conamina, ſi vſitatis artis noſtrae terminis exponantur, in crudi coctione, coctique critica excretione, vel ejusdem ex humorum circulo ſeparati ad corporis certa loca depoſitione conſiſtunt; hisque merito quidem varia, quae in morborum decurſu natura ſibi parat leuamina accenſentur, quamuis haec ex parte minus proprie motuum febrilium effectus habeantur. In tradendis, quae experientia doceat, cruditatis, coctionis et criſeos ſignis multi ſunt ſcriptores veteres, horumque in primis anteſignanus HIPPOCRATES, et poſt hos quoque complures illorum veſtigia et exempla ſecuti e), vt ergo minime habeamus, quod in hiſce colligendis et repetendis prolixi ſimus. Coctio iſta febrilis πεπασμός Graecis plerumque dicitur, notante enim GALENO πέψις ἐςί τῶν παρὰ φύσιν, ὁ πεπασμὸς τȣ̃ νȣσήματος f), aptiusque cum

e) *Conferri ex his merentur imprimis* THOM. GLASS *commentarii de febribus ad Hipp. diſcipl. accomm. II. et III.*

f) *Comment. in Lib. I. epid.* HIPP.

Dvreto *mitificatio g*), aut potius cum aliis *maturatio* verteretur. Bene illuſtrauit Erotianvs hujus vocis Hippocrati vſitatam ſignificationem, inquiens: Κυρίως μὲν ἐπὶ τῶν ἀκροδρύων εἴρηται, ὅταν ἐξ ὠμότητος πέπειροι οἱ καρποὶ γίγνωνται, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων σωμάτων, ὅταν οἱ χυμοὶ πεπανθῶσι. Vix autem melius coctionem hance febrilem definiueris, quam illuſtr. van Swieten verbis, maturationem nempe illam eſſe, per quam febrium materialis morbi cauſſa ſic mutetur, vt minus noceat, et apta euadat, vt expurgari commode poſſit *h*). Notae autem coctionis omnium maxime ex vrinis, non raro etiam e ſputis, nonnumquam et ex alui dejectionibus et vomitionibus, etiam ex pulſu et ex reliqua ſolidorum conditione deſumuntur *i*). Quoad igitur hae notae adhuc defecerint, *cruditas* adeſſe dicitur *k*). Liberantur autem a febribus aegri ſuperſtites varia ratione: aliquando nempe inſenſibili modo, plerumque vero, excretionum ope, ſponte obortarum, ſignis coctionis praegreſſis, et ſaepe quoque poſt ſimilia ſigna per abſceſſus. Primum ex his modum aliquando locum habere clare docuit ipſe Hip-

g) *Comment. in Coac.* HIPP. *p.* 9.

h) *Comm. in* BOERH. *Aph. T. II. p.* 49. 50. *conf. quoque* BOERHAAVE *inſtit. med.* §. 926-928.

i) *Conf.* PROSPERI ALPINI *de praeſag. vita et morte L. VI. C. I. Etiam elegantem Diſſ.* CORN. ALB. KLOEKHOF *de criſibus, in opuſc. med. p.* 200.

k) *Conf.* BOERHAAVE *inſtit. med.* §. 925.

Hippocrates, dum *fuiſſe* refert, *quibus febres nulla obſeruata judicatione deſinerent l*). Et praeſtantiſſimus quoque Sydenhamvs idem teſtatur, *dari quasdam febrium ſpecies*, inquiens, *quas natura methodo ſibi peculiari, ſine viſibili aliqua euacuatione, ablegat, reducendo ſcilicet in ſanguinis maſſam, eique adſimilando materiam illam morbificam, quae cum eodem minus quadrabat m*). Praeterea tamen ipſis veterum ex monumentis et multis recentiorum obſeruatis vtique ſatis conſtat, fieri poſſe, vt perfecta coctione, longe grauior fiat aegri conditio, dum ſymptomatum numerus et vehementia fere ſubito increſcit; et huic perturbationi vel euacuatio largior aut abſceſſus, quibus febris plane tollitur, ſanitasque reſtituitur, ſuccedant, vel mors quoque ſubſequatur; verumtamen haud minus certo quoque compertum habetur, interdum contingere, vt magnam ejusmodi mutationem paſſi non ſtatim ſanentur, neque ſubito moriantur, ſed modo melius vel deterius nunc ſeſe habeant. Atque tales repentinas in morbis febrilibus per ipſam naturae efficaciam productas mutationes Graeci plerumque *criſin* dixerunt *n*). Subitam vero morbi ad ſanitatem conuerſionem *criſin per excellentiam* dici voluit Galenvs, tunc vero *imperfectam* vocauit, vbi non penitus ablata fuerit febris cauſſa materialis, ſed morbus vel mi-

 nori

l) *Epid. L. I. Lind. T. I. p. 656. et 660.*

m) *Opp. Sect. V. C. II. p. m. 226.*

n) GALENVS *in Comment. ad aph. XXIII. S. II. et comm. 3. in progn.* HIPP.

nori gradu pergat, vel remanens materia recidiuae aut alii morbo ansam praebeat. Memoratam praeterea subitam febris ad mortem vel in deterius mutationem vbi criticam perturbationem subsecuta fuerit, *crisin malam* ipse nominare solet *o*). Sollicite autem a mala crisi distinxit GALENVS alios modos, quibus ad mortem vel in deterius transire status aegri posset, morbi aeque initio ac eodem vigente *p*); vbi eo respexit, quod ad illam aliqua etiam coctio, vel ei saltem analoga in humoribus mutatio, simulque manifesta naturae efficacitas, licet sinistre operetur, necessaria sit. Vbi grauior perturbatio in febre circa vigorem non contingat, subsequentem in melius vel deterius morbi mutationem voce *crisis* non insigniendam existimauit GALENVS, atque tunc febres tantum *solui* docuit *q*). Hanc autem vocem pro generica sumit, quae crisin ipsam comprehendat, siquidem κρίσιν quoque explicet per τὴν ὀξύῤῥοπον τῆς νόσȣ λύσιν *r*). HIPPOCRATES autem magis promiscue voce κρίσις vsus est, quippe qui etiam, vbi sine magna quadam perturbatione, et lentis gradibus, repetitisque euacuationibus, aegri febribus absoluuntur, hos quoque *judicatos* in historiis aegrotorum pronunciauit *s*). Quid? quod hic ipse generalius etiam definiuerit

crises

o) *De crisibus L.* III. *C.* I. *et* II.

p) *Ibid. C.* IX. *et* X.

q) *Ibid. C.* IV.

r) De *crif. Lib.* II. C. VII.

s) *P.* I. *et* III. *Epid.*

crises *t*), *judicari in morbis*, dicens, *est*, *quum morbi augescunt*, *aut marcescunt*, *aut in alium morbum transeunt*, *aut desinunt*. Alibique *u*) judicationem simpliciter dixit esse morbi ἀπόλυσιν. Quum ergo in grauioribus quoque febribus, Hollerio jam bene notante *x*), *apud nos rarius incidant repentina illa et perturbationis plena judicia*, *quas* κρίσεις *proprie appellari voluit* Galenvs, *saepius autem exsoluantur alternantibus coctione et excretionibus*, nonnumquam et intercurrentibus vel subsequentibus abscessibus; omnino etiam aptissime hujus generis benigniores, et frequentius occurrentes febrium solutiones *judicationum* haberi species poterunt, ita quidem vt *criticarum* cognomine illas excretiones et abscessus coctioni factae respondentes, distinguamus. Optime quoque notauit Corn. Alb. Kloeckhof: *ad pellendam nunc coctam morbi materiem quae sanguini mista fuit*, *aut vasis haeret*, *rarius vno egestionis genere*, *vel abscessu solo natura vtitur. Haemorrhagia*, *sudor*, *vrina crassa hypostatica*, *vomitus*, *alui fluxus*, *si solitarie interdum*, *at saepius varie conjuncta*, *in crisi accedunt y*). Licebit autem sine dubio quoque successiuas ejusmodi excretiones vel abscessus in complexu sumtos pro *perfecta* aut *integra* et *absoluta crisi* haberi, vbi de morbo ejusque caussa in corpore nihil remanserit. Non opus est addere, quando

t) *De affectionibus* C. VIII. *Lind. T.* II. *p.* 165.
u) *Praeceptionum* C. XII. *Lind. T.* I. *p.* 67.
x) *Comment. in coac.* HIPP. *p.* 398.
y) *Diss.* de *crisibus*, *in opusc. med. p.* 214.

imperfectam ejusmodi crisin dicendam existimemus. Sed praeterea nunc etiam aliqua *leuaminum* facienda mentio est, quae per excretiones et abscessus vel cujuscumque generis metastases, non critico tamen molimine, contingunt, quum ista sine praecedente coctione accidentia, eo nomine satis apte distinguantur. In ipso nempe morbi acuti initio et primo progressu corpus sese persaepe exonerat materiae morbidae parte, si quando turget; vel humoribus bonis, vbi vel re vera redundent, vel aestus copiae vicem suppleat. Inde hoc morbi tempore vomitus, alui fluxus, haemorrhagia multiplex, forte etiam sudor, aliaque frequentia sunt. Bona ejusmodi euacuatio est, si vitio apta sit, atque morbum extenuet *z*), alias inter symptomata morbi crudi recenseri meretur. Pari fere jure nonnumquam exanthemata quaedam et varices, et exterius subortum erysipelas, et articulorum dolor, similia ad leuamina referri possunt, etsi haec varias ob difficultates, quibus haud raro implicata reperiuntur, magna ex parte minus istis sint optabilia. His autem modis alleuata natura coctionem ipsam et crisin facilius expedit, certiusque ad integritatem aegros perducit.

§. III.

z) HIPPOCR. *aph. S. I. conf.* THOM. GLASS. *comm. de febr.* IV. p. 37.

§. III.

Quum ergo, ſub moderato motu febrili, ex ipſa naturae efficacia, morbidae, quae febrem incendit, materiae laudabilis maturatio et huic ſuccedens ejus eliminatio exſpectanda ſit, quisque facile intellexerit non niſi in detrimentum aegri cedere poſſe, vbi ſalutaria iſta naturae molimina qualicunque ratione impediantur. Etſi enim febres, vt antea jam notatum fuit, ſine judicatione ſenſibili, cum bonis aegrorum rebus, deſinere queant, non ſolum tamen *benigna* ejusmodi *reſolutio*, qualem SYDENHAMVS et BOERHAAVIVS *a*) memorant, rarius longe quam reliqui febrium exitus obſeruantur, vt quoque ill. DE HAEN, praxi medica in XXIX. annum occupatus, nec dum potuerit caſum talem obſeruare *b*); ſed etiam vbi febris illa reſolutio contingit, ab actione virium naturae eadem pariter atque ipſa criſis pendet *c*), pariterque non ſine incommodo aegri ſimiles per errores impediretur. Quam raram ill. DE HAEN habeat inſenſibilem illam et ſecuram febrium terminationem alia occaſione repetit, noxasque ſimul deficientis manifeſtae judicationis vbique metuendas proponit, addens: *eam ob cauſſam ſemper ſe et praedixiſſe et euentu confirmaſſe, aut recidiuas, aut alios morbos, aut mortem,* *ſi*

a) *Aphor. de cogn. et cur. morb.* §. 595.

b) *Rat. med. P.* VIII. *p.* 23.

c) BOERHAAVE *inſtit. med.* §. 930.

si casus talis (febris sine quapiam euacuatione desinentis), *obseruaretur d*). Quod ad ipsa autem attinet coctionis et criseos impedimenta, ea fere infinita esse posse, quisque facile largietur, qui ad summa illorum genera modo leuiter attenderit. Secundum certiora autem obseruata clare liquet, istis naturae moliminibus nonnunquam ipsam obesse febris indolem, ejusque corpori inhaerentes caussas, variasque partium singularium affectiones, nonnunquam impedimento esse peculiarem aegro propriam constitutionem, alias quoque potentias eas nocentes quae rebus insunt non naturalibus ad aegri statum minus apte comparatis, vel iisdem, quoad hominum subjectae sunt arbitrio, minus bene administratis; alias denique difficultates oriri posse ex curationis institutae methodo, ad omnes aegri conditiones non satis accommodata. Sed horum omnium accuratior pleniorque expositio, quum non modo maximam verae, vel quae nobis saltem probetur, practicae de curatione febrium doctrinae partem, si non ipsam integram iis morbis medendi methodum, fundamenti loco praemissam, verum quoque dein eidem oppositos quam plurimos, de quibus constat, errores, et quaslibet fausto successui contrarias et aegri et morbi et externarum rerum conditiones declaratas, postulet; vix aliud mihi hic agendum existimo, ne tractatio mea nimis prolixa euadat, quam vt, ex variis istis impedimen-

d) Rat. med. P. VIII. p. 62. 63.

mentorum generibus, nonnulla ſaltim exempla ſpeciminum loco ſubminiſtrem.

§. IV.

Magnam omnino in febribus diuerſitatem quoad faciliorem vel difficiliorem coctionem atque criſin experientia ſatis manifeſte confirmat. Hac equidem obſeruatione maxime nititur peruulgatum discrimen, inter benignas atque malignas febres conſtitui ſolitum, quum in illis de fauſtiori ex omni parte ſucceſſu, ideoque praeſertim etiam quoad integriorem coctionem et criſin, minus quam in his dubitandum ſit. Ita quoque ſimplicioris indolis febres plerumque prae complicatis facilius ex voto terminantur, et ex vtrisque imputres ordinariae, tum inflammatoriae tum bilioſae, prae putridis, aeque bilioſis ac ſimplicibus, ad bonas integrasque criſes magis pronae deprehenduntur. In neruoſis autem febribus peculiaris difficultas eſt coctionis et criſeos, quae vtpote ad metaſtaſes varias valde procliues ſunt, et in quibus etiam ampliſſimus arti locus datur, quo naturâ ſubleuetur, viresque excitentur. Speciatim vero haud rarum, difficiliorem fieri coctionem et criſin, vbi ſanguinis copia turgeat, neque natura excitato ejus profluuio apta ſibi leuamina praeſtet, nec medicus ſecundum indicantia, in primis cum phlogiſtica diatheſis adſit, ſanguinem mittendo naturae ſubueniat. Nec forte quis dubitabit, vbi febris cum inflammatione con-

juncta fuerit, grauius et magis anceps fore negotium naturae in perficienda coctione et crisi, cum quae in artis poteftate funt ad refoluendam et auferendam inflammationem non fatis apte et efficaciter fufcipiantur. Vtque haud rarae funt humorum vitiofae ad primas vias in febribus colluuies, quibus vel ex parte natura faepius, faufto cum fucceffu, vomitu aut aluo corpus liberat, fic nequaquam dubitandum, remittente hoc ab opere natura, neque veftigiis ejus infiftente medico, quin magis incerti euentus futura fint onere alienae hujus materiae impedita molimina critica *e*). Lubenter hinc adftipulamur ill. DE HAEN referenti: *Auditores fuos fecum animaduertiffe, emetica tunc pulcerrimas edere curas, quando putrida bilis, fuis fignis confpicua, tumultus crearet: expellere namque illa tum furfum, tum etiam paffim deorfum morbi cauffam; datisque dein mox paregoricis, reliquum morbum et tranquillius tolerari et curari facilius; eandemque ob caufam et purgantia auxiliari f*). Neque minus etiam perfaepe profundius

et

e) *Conf. inter alios* CORN. ALB. KLOEKHOF, *medici maxime Hippocratici hiftor. febris epid. a.* 1741. *Opufc. med. p.* 58-80. vbi multis contendit, HIPPOCRATEM quoque probare emetica et purgantia, in acutorum initiis et incrementis juftas fecundum cautiones exhibita. Conf. quoque ejusdem optimi Viri *diff. de crifibus Opufc. med. p.* 190-194. et TH. GLASS *comment. de febr.* VII. et BAGLIVI *epift. de purgat. in principio febrium, Oper. omn. p.* 703. *feqq.* et FREIND *comment. de febribus* VI. *et* VII.

f) *Rat. med.* P. II. C. I. *de methodi Hippocr. Sydenh. ac* Boerh. *praeftantia p.* 4.

et firmius impacta vasculis, glandulis et visceribus haeret aliena et vitiosa materies, cui soluendae, diluendae et mobiliori reddendae ars multum conferre valet, hujus autem intermisso auxilio, omnino difficilior erit naturae efficacitas, in coctione crisique ex voto perficiendis. Nemo non optabilem habuerit morbi ad crisin ac declinationem sine ancipiti illa perturbatione critica progressum, quam nempe varia ratione crisis mala, atque naturae oppressio sequi potest; sed quo exactius pleniusque memorata et plura certius cognita impedimenta remouere studeamus, eo minus irritamenti eliminandi naturae relinquemus, quod negotium illi facessere queat. Maxime confirmat hanc sententiam ill. DE HAEN, inquiens: *Si detur conjecturae locus, vbi quis cum Hippocraticis, Sydenhamiana et Boerhaauiana conjunxerit, scilicet venae sectiones crebriores, medicamenta et plura et efficaciora adhibuerit, interea dum ab Hippocraticis ne latum vnguem discedat, ille videtur in suis aegris ejusmodi perturbationes habiturus rariores* g).

§. V.

Speciatim quoque inter impedimenta coctionis et criseos referri meretur, naturae per morbi decursum, et praesertim circa stadium criticum nimius languor, ratione materiae morbidae majori copia praesentis; siue oppressae hac ipsa fuerint, siue aliunde in febre attritae et consumtae istae vires

g) *Rat. med.* P. I. c. IV. p. 70.

res aegroti, ſiue jam ante morbum vndecunque debilior ejus conſtitutio fuerit. Ita enim fit, vt ſola naturae vi materies illa reſolui, atque per criſin euacuari ſatis commode nequeat, quamuis in hocce caſu partim per accommodata roborantia, partim per reſoluentia et per aliqua etiam euacuantia, viae, ad quam natura vergit, reſpondentia, perſaepe ars ex voto naturae ſuccurrat. Quod vero ad prima iſta attinet auxilia, facillime error committi poterit, ſi talibus a nutrientibus et excitantibus vſum quis ſine juſta cautione exſpectauerit, quae licet ſanis et aliis a febre liberis optime conueniant, carnibus ſcilicet earumque juſculis, ouis, aromatibus, vino, tam facile tamen praeſente febre, vel primis in viis in acrem et rancidam materiam degenerant, noxasque praeſentis ibidem vitioſae colluuiei augent, vel ſanguinem in majorem orgaſmum concitant, et ſymptomaticis ejus profluuiis aut ſudoribus aut inflammationibus vel aliis ad viſcera nobiliora congeſtionibus, vel ſyſtematis neruoſi perturbationi anſam praebent. Ipſa experientia non raro haſce graues noxas victus iſtius nutrientis et roborantis in febribus commendati vel conceſſi confirmat; quo ergo his in morbis non niſi cautiſſime vtendum eoque plerumque abſtinendum eſſe clare docuerunt HIPPOCRATIS, SYDENHAMI, BOERHAAVII, aliorumque maxime ſalutaria diaetae praecepta *h*).

Pari

h) *Conf.* GLASS *de victus ratione in acutis, in comment. V. de febribus,* *Ill.* VAN SWIETEN *comm. in* BOERH. *aph. T.* II. §. 599. *p.* 100. *Ill.* DE HAEN *Rat. med.* P. I. C. I. KLOEKHOF *opuſc. med. p.* 20.

Pari fere modo coctioni et criſi facile obicem poni, ac difficilibus variis affectionibus anſam praeberi poſſe non dubitamus, praematuro vſu medicamentorum roborantium ac aliquo gradu adſtringentium, corticis nominatim Peruuiani, eo nimirum tempore exhibitorum, quo vel materia morbida vlteriori adhuc indiget reſolutione, motibus ipſis febrilibus, etiam artis auxilio ſubleuatis, perficienda, vt e corpore ſatis euacuari poſſit; vel etiam quo neceſſaria ejus eliminatio nondum abſoluta eſt, aegri praeſertim conditione ita comparata, vt ejus vires hoc ad negotium omnino ſuffecturas praeuidere liceat. Eo etiam plus difficultatis in criſi, indeque plus noxae ab iſto ceteroquin valde aeſtimabili artis praeſidio in febrium decurſu metuendum exiſtimamus, quo magis ad inflammatoriam indolem morbus inclinauerit; quo certius adhuc variis leuaminibus natura indigeat quoad minuendam ſanguinis copiam, quoad ejiciendam e primis viis colluuiem, quoad educenda e pectore ſputa; ſiue haec ipſa ſibi ſola ſit praeſtitura, ſiue artis adjumento ad eadem excitanda ſit: porro etiam quo magis adſidue ad vigorem cum ſignis coctionis properauerit morbus, ſiue continentis, ſiue continue remittentis fuerit indolis. *Nonnulli*, refert BAGLIVVS, *in hiſce caſibus* (variarum nempe febrium inflammatoriarum et meſentericarum) *ſolent more ſolito chinam chinae praeſcribere, quo autem cum ſucceſſu, pluribus in locis hujus operis animaduerti; nam hoc remedium impuro*

corpore dare, saepe in aegroti perniciem vertitur i). Nec dispar huic SYDENHAMI fuit sententia, asserentis, *in peste, atque epidemicis continuis, debellandis, non alios effectus ex vsu corticis Peruuiani exspectare licet quam eos, quos hodie in pleuritide, peripneumonia, angina, ac id genus febribus inflammatoriis videmus, quibus non tantum non prodest, sed et plane obest k).* Nostrum autem hic non est conditiones exponere, intermittentium, aliarumque febrium, quarundam nempe remittentium, et putridarum, et neruosarum, quibus saepissime idem cortex alia inter praestantissima quoque est medicina.

§. VI.

Pari jure ac roborantium abusum, etiam omnino ad coctionis criseósque impedimenta referre licet justo largiorem et praeter indicantia et absque necessaria cautione, susceptam eorum quae vires infringunt, motusque febriles minuunt, administrationem. Certo satis constat, ejusmodi dari febres, acutas etiam, quae nullam ferant sanguinis missionem sine majori, et nonnunquam euidentissimo aegrorum periculo; aliquando etiam tales occurrere, in quibus hoc auxilii genus per aegri plu- res

i) *Opp. omn. edit. Lugd. p. 58. conf. p. 740.*

k) *Epist. resp. ad* ROB. BRADY, *opp. vniu. p. 317. Exactissime quoque suis obseruatis idem ipsum confirmarunt* b. WERLHOF *obs. de febr. S. II. §. V. p. 50. 51.* CLIFT. WINTRINGHAM *comment. nosol. p. 138. Qu. 54.* et HVXHAM *opp. T. I. p. 299. multique alii celebres Viri.*

res affectiones, aestum vehementiorem, pulsum magnum ac durum, respirationem difficilem, praesentia inflammationis indicia, requiri videatur, idemque tamen vbi adhibetur, vere grauiorem reddat morbum, crisinque impediat. Pertinet huc monitum HIPPOCRATIS: *Lateris dolores in febribus, leuiter firmatos, et absque significatione, venae sectio laedit, siue cibum auersetur aeger, siue sublata praecordia habeat l).* Et vel ipsa ex febre diuus idem Auctor nonnunquam rationem omittendae constituit venae sectionis *m*). Facile MARTIANO, *Hippocratis* optimo commentatori, hujusmodi febres a biliosa primarum viarum colluuie deriuanti assensum praebuerit, qui aliis etiam a praestantissimis practicis hoc ipsum obseruatione confirmatum deprehenderit. Ita enim et BAGLIVVS, *sciendum est*, ait, *pleuritidem aliquando purgatione tolli debere, etiam in principio morbi, sed non inflammationis caussa, verum ratione materiae morbosae magna copia primis viis congestae ac pleuritidem immediate producentis, et quotidie fouentis n*). Exemplum quoque necessariae in phlebotomia administranda cautionis in ipsius febris ardentis curatione haberi potest, febris illius, in qua

l) *Coac. n.* 491.

m) *Epid. L.* II. *S.* V. *Lind. T.* I. *p.* 706. 707.

n) *Opp. omn. p.* 40. *Conf. etiam, quae ipse allegauit ex* BALLONIO, *p.* 41. *ipsaque* BALLONII *dogmata opp. omn T.* IV. *ed.* TRONCH. *p.* 293. *et ill.* TISSOTI *Diss. de febr. bilios, et ejusd. Lettre a Mr.* ZIMMERMANN *sur l'epid. cour.*

summo incendio corpus extorreri dicitur *o*), quam vero et ipse HIPPOCRATES bile commota excitari docuit, et qua biliosos homines promtius prehendi adseruit *p*), adstipulantibus praeter alios celeb. GLASS *q*) et ill. PRINGLIO *r*). Minus certum vero auxilium, immo et noxam facile afferre venae sectionem, vel in primis diebus hujus febris administratam, ipse quoque ill. v. SWIETEN sapienter monuit *s*), licet inflammatoriam hujus febris indolem esse, antea cum BOERHAAVIO satis clare statuerit *t*). Praeterea quoque et alia dantur artis adminicula subinde vtilissima, quae tamen sine justo indicante adhibita, praeter alias noxas et vires infringunt, atque hac etiam ratione coctioni et crisi obesse possunt. Merito huc emetica pertinent atque purgantia, vbi mobilis non adfuerit, quam his ejicere conueniat, materies nociua, vbi nec ratione plethorae, inflammationis jam praesentis aut facile metuendae, aluique durioris aut suppressae corpori antea prospectum fuit, et vbi excretio cieatur impetuosior aut justo frequentior, et vbi nec potu satis alleuetur. Sed vsitatissimis etiam in febrium curatione medicamentis antiphlogisticis, si vltra, quam

o) LOMM. *obseru. med. p. 6.*

p) *De morb. L.* I. *c.* XII. *et* XXVII.

q) *Comm. de febr. p.* 98 - 180.

r) *Obseruat. on the Diseases of the army*, P. III. *ch.* 4. *edit. in* 4. *p.* 180.

s) *Comm. in* BOERH, *aph. T.* II. §. 743. *p.* 495 - 497.

t) §. 742.

quam febris poſtulauerit, illis vtaris, acidis praeſertim et nitro, coctrices febrium vires infringi, ipſaeque criſes difficiliores reddi poterunt. Praeter alios, optime hoc etiam notauit Io. FREIND, qui, poſtquam peſſimum ſudoriferorum abuſum damnauerat, haec addit: *Eſt et alia huic diuerſa inſania, quam inſaniunt nonnulli, quorum in acidis poſita eſt omnis curatio, quique ſpem nullam niſi in aceto aut pomorum agreſtium ſucco collocant, quaſi, quia nefas ſit aegrotum comburere, ideo protinus frigore enecare oporteat u).* Qui autem leuiorem febrem, in primis ex neruoſarum genere, et quamuis aliam, cujus mitior indoles fuerit ratione copioſioris morbidae materiae, multis ejusmodi refrigerantibus aggrediatur, ſimili fere modo ac detracto nimium ſanguine nocebit, ſpaſticis affectionibus facile anſam dabit, motibusque hinc ſalutaribus aeque leuantibus atque criticis obicem ponet. Bene ideo monuiſſe exiſtimo PROSPERVM MARTIANVM, licet equidem integram ejus theoriam amplecti nolim, *medicamentorum*, inquientem, *refrigerantium vſu, propter febrim incraſſatis humoribus corporibusque denſatis, ſpontaneae euacuationes ſaepe prohibentur, vt haec non ſit leuis cauſſa, cur noſtris temporibus tam raro fiant criſes, quae frequentiſſimae erant antiquis.*

u) *Comment. de febr.* III.

§. VII.

Porro nec vlli dubitationi locus eſt, quin artis quaecunque molimina, inſenſibili perſpirationi efficacius adaugendae, et magis etiam illa prouocando ſudori deſtinata, quam facillime fauſtis coctionis criſeosque ſucceſſibus obeſſe queant. Siue ad aeſtum, qui curationis hac methodo ſimul augeri ſolet, reſpiciamus, quo vehementiori grauiſſima ſymptomata vario modo facile excitantur, ſiue ad alienatam humorum tenuiori parte ſic orbatorum craſin, ſiue ad virium omnium aeque animalium ac vitalium debilitatem, a nimis aucta tenuiſſimi liquidi per cutim expulſione metuendam, ſatis vbique momenti deprehendemus, quo illius inſtituti noxa confirmetur. Hac vtique per cutim et pulmones via natura ſponte plerumque vtitur, antea modo ſatis leuata, vbi hoc opus fuerit, ad eliminandam vel omnem probe maturatam febrilem materiem vel inſigniorem ſaltim ejus partem, neque tunc vero et efficaci ſtimulo facile indiget. Et quamuis omnino quoque fieri poſſit, vt liberiori perſpiratione, et ſudore quoque ante coctionem abſolutam natura leuetur, obſeruante HIPPOCRATE, *ſudor optimus quidem eſt, qui febrem in die judicatorio ſoluit, commodus autem eſt et qui leuat vv)*, minus tamen certo de hujus procurandi leuaminis indicantibus conſtat, quam de rationibus alias per vias aegro ſalutares ciendi ex-

vv) *Coac. n 572.*

excretiones. Sapienter hinc monuit SYDENHAMVS: *quod ipſa diaphoreſis proprie loquendo naturae ipſius ſit methodus, qua materiem febrilem foras protrudit, et prae ceteris maxime genuina ſit et accommodatiſſima, quoties natura, ſuo relicta arbitrio, dictam materiem primum digerat, dein rite coctam per corporis habitum blande expellat, quo tamen dato et conceſſo, ars nihilominus quantamcunque naturae imitationem prae ſe ferat, id ſaltem ſibi priuilegii adrogare nequeat, vt febribus per ſudores certo exigendis par ſit x).* Atque certe, ſi complurium Auctorum experientiae habenda fides, vix vnquam, excepta ſecundum nonnullos peſte aliisque ſimilibus paucis y), ante abſolutam coctionem, opus eſt artis auxilia directe ad ſudores, qui leuamini ſint, mouendos adhibere, quum vbi futuri ſint, ſponte ſuboriri ſoleant, ſi modo non impediantur, atque reliqua curatio manifeſtiora ſecundum indicantia ſuſcipiatur z). Quam facile vero medicina et regimen ad ſudores excitandos commendari ſolita moderato et ſalutari febris decurſui obſint, apud multos pariter, et quos magna medicinae lumina ſuſpicimus, praeter SYDENHAMVM, iſti methodo ſudoriferae in primis inimiciſſimum, BAGLIVVM quoque *a*) FREINDVM *b*), HVX-

x) *In ſchedula monitor. de nou. febr. ingreſſu opp. vniu. p.* 538.

y) BAGLIV. *prax. med. L.* II. C. XII. §. 4. *Opp. p.* 233. GLASS *comm. de febr.* X. *p.* 196.

z) KLOEKHOF *opuſc. med. p.* 92. 93.

a) *Loco modo alleg. p.* 232.

b) *In lectu digniſſimo comment. de febr.* IV.

HAMVM c), VAN SWIETEN d), DE HAEN e) aliosque plures, propria per obſeruata ſatis ſuperque confirmatum reperimus. Quoad opiata praeterea et theriacalia, ſudoriferorum quoque genere comprehenſa, et quae etiamnum vel hoc ipſo ſcopo vel ob virtutem anodynam ad curationem febrium commendata legimus, diffiteri non poſſumus, illorum vſum plurimis in febrium generibus nobis ſuſpectum videri. Libenter abſtinemus in febribus inflammatoriis et bilioſis ab omni quod orgaſinum ſanguinis augere ſoleat. Cauemus in his aeque ac in aliis febribus quae animales vires minuant, irritabilitatem ventriculi et inteſtinorum infringant atque ideo leuantibus obſunt excretionibus, hiſce ex locis alias exſpectandis. Ab iis merito metuimus, quae majori vaſorum capitis pectoriſque repletioni anſam praebent, atque in delirii vel ſoporis ſtatum aegrum perducere valent. Satis autem exploratum habetur, ab opiatis in febrium decurſu datis iſta omnia oriri poſſe, etſi pro febrium et aegrotantium indole quoque minoris doſeos effecta nociua exigui momenti eſſe queant, etiam ratio adeſſe poſſit, quae cautum et prouidum medentem ad vſum illorum circumſpectum omnino permoueant; attamen vbi quaedam ex damnoſis iſtis affectionibus opii vſum inſecutae fuerint, non difficulter quis intellexerit,

c) *Opp. edit.* REICHELII *T.* II, *p.* 22. 85. 87. 113.
d) *Comment in* BOERH. *aph. T,* II. *p.* 84.
e) *In rat. med. paſſim.*

xerit, coctionem et crisin facile inde perturbari, varioque gradu praepediri posse. Placet ideo cel. TRALLESII monitum *f*), quod adducere haud alienum videtur. *Crisis*, inquit, *est euacuatio cocti non assimilandi, fitque per sputum, per vomitum, per diarrhoeam, per vrinam, per sudorem; sed opium supprimit omnes excretiones excepto sudore, atque obseruationes practicae abundant infaustis exemplis salubrium illarum excretionum, quae criticae futurae erant, quomodocunque suppressarum, irreparabili aegrotorum damno, quare merito de opio eas vere insita sua vi supprimente dicitur, quod turbet, et inhibeat crises, in damna aegrotantium.*

§. VIII.

Hisce nunc praemissis ad exponendum progredior, quid noxae metuendum sit, coctione et crisi ex voto non succedentibus. Quum coctio inseruiat ita mutandae et maturandae materiae morbificae, vt per crisin ex corpore possit exterminari, manifeste apparet, vbi coctio imperfecta fuerit aut eadem plane defecerit, minus integram modo vel nullam quoque crisin oriri posse. Malumque hunc euentum eo certius praesagire licet, quo plura et grauiora in aegro conuenerint faustae illius maturationis impedimenta, et quo minus dubia praesto fuerint perseuerantis cruditatis, morbo magis increscente satisque protracto, indicia. Quoad haec

 in-

f) *In Tract. de vsu opii Sect.* II. §. XII. *p.* 97.

inprimis notabile Hippocratis obseruatum: *quamdiu fulua fuerit vrina et tenuis, morbum crudum esse significat; si vero et diuturne fuerit talis existens, periculum est ne sufficere homo possit, donec vrina cocta fuerit g).* Sed quam plurima certe hic notanda veniunt, quae deficientem coctionem declarare queant, tum quoad alia vrinae et reliquorum excretorum vitia, tum quoad affectionum et symptomatum grauiorum pertinaciam, laesas inprimis et perturbatas systematis neruosi functiones, viriumque vitalium debilitatem, in quibus exponendis praecipue multus est Hippocrates. Plurimas etiam huc merito retuleris periculi et exitii a febribus metuendorum notas, a Lommio *h*) aliisque ex oraculis maxime Graecorum multo cum studio collectas. Etsi vero ἀκρισία, siue criseos defectus ex primariis quidem est perseuerantis cruditatis sequelis, ideoque et cum illa communia huic sunt pericula; non tamen ἀκρισίας nomine omne malum ex deficiente coctione oriundum bene comprehenditur; vti nec omnis ἀκρισία deficientem plane coctionem ponit. Notatu dignum est Hippocratis dictum de pertinacioris cruditatis noxis, inter quas juxta alia saltim ἀκρισίας mentionem facit, *cruda*, dicens, *et incocta* (ἄπεπτα) *et in malos abscessus conuersa, aut* ἀκρισίας *aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem aut morborum recidiuas significant i*). Quum enim morbida materia suae natu-

rae

g) *Obseru. medic. L.* I. *p.* 7-13. *et p.* 23-26.
h) *Prognost. n.* 75. *et coac. n.* 575. *etiam de indicationibus n.* 39.
i) *Epid. L.* I. *Sect.* II. *Lind. T.* I. *p.* 661. 662.

rae modo relinquatur, nec vi febris dometur et ſubigatur, non eadem penitus aegri a ceſſante febre ſuperſtitis conditio eſſe poterit, ac vbi facta qualitercunque coctione criſis non ſucceſſerit. Ipſa quippe coctio ſua indole ſemper inter fauſtiora pertinet; ideoque nec difficulter patet, eo pertinaciores ceſſantis ſine plenaria coctione febris ſequelas fore, quo plus incoctae materiae in corpore manſerit, ſiue quo minores natura hoc in opere ſuo progreſſus fecerit; etſi affirmare non liceat, majora ſemper deficiente coctione pericula eſſe, quam vbi, hac bene ſuccedente, criſis non ſequatur. Multa vtrobique pendent a morbi varia magnitudine et indole, a meliori aut qualitercunque corrupta viſcerum conſtitutione, a diuerſa virium neruoſarum quae coctioni et criſi praeſunt, poteſtate, ipſoque a modo etiam quo aeger, ratione diaetae, regiminis, aliorumque accidentium, et curationis tractetur.

§. IX.

Peſſimum autem et omnium maxime metuendum, quod *ἀκρισίαν* conſequi poteſt, ſiue coctionis defectus ſimul in culpa ſit, ſiue minus, mors eſt. Atque hanc nonnunquam ex febribus varia ratione obeunt aegri, cum ſigna coctionis verae abſunt. Aliquando enim loco fauſtae maturationis ejusmodi contingit putrida humorum corruptio, quae petechiis liuidis, caſtaneiue coloris aut nigri, vel ſimi-

lis

lis coloris majoribus maculis vel exanthematibus nigreſcentibus, vel ſpontanea ſanguinis ſine magna febris vi, profuſione, ſe prodit, vt vel nata ſimul intus gangraena, vel humoribus nimis ſenſim alienatis, quam vt vitalibus inſeruire functionibus queant, aeger extinguatur. Nonnunquam et tam graues viſcerum, ad vitae munia neceſſariorum, oppletiones, atque perturbationes contingunt, vt hinc aegri, perſeuerantibus etiam cruditatis vel alicujus coctionis minus conſtantibus indiciis, enecentur. Exemplo eſſe poterit mors complurium, qui phrenitide vera, et in primo aliquando dierum quaternario, vel apoplectica febre, vel ſimilibus hiſce minoris quidem vehementiae, attamen vere malignis affectionibus, perturbata neruorum functione, extinguuntur, aut qui peripneumonia vel angina ipſo in ſtadio inflammatorio ſuffocantur. Aliquando inflammatio viſceris febrem comitata vel ex mala etiam immaturae materiae metaſtaſi exorta, et in gangraenam tranſiens vitam aegro eripit. Quodſi etiam vires non ſuffecerint ad coctionem neceſſariae, vel materiae copia et indole refractaria oppreſſae, quod ipſum in quibusdam bilioſis neque minus in veris neruoſis accidere poteſt, vel etiam excretionibus vtilium humorum, aut vigiliis, deliriis, ſpaſmodicis affectionibus infractae et detritae, vel alio praegreſſo morbo exhauſtae, vel ex aegri debiliori natura deficientes, quandoque ſine animaduerſis coctionis ſignis aegri aut lente conſumuntur,

tur, aut quoque exitialem per metaſtaſin ſpiritu priuantur. Horum omnium exempla paſſim inter accuratiores morborum et aegrotantium a multis traditas hiſtorias reperire licet, plurimaque dictorum quoque confirmantur ipſis HIPPOCRATICIS de morborum epidemicorum vario euentu fidis narrationibus. Sed quamuis vtique melior adſit ſpes fauſti per futuram bonam criſin ſucceſſus, cum ſigna coctionis vera non defecerint, fieri tamen quoque tunc poterit, vt vel ſuccumbat natura imbecillior, vel peruerſo critico molimine opprimatur. Et priorem quidem euentum tunc merito metuimus, vbi ſigna coctionis minus conſtantia ſint, minusque tempori morbi atque reliquis aegri affectionibus reſponderint. Ideo et bene HIPPOCRATES notauit, *iis, quae non ſecundum rationem leuant, credendum haud eſſe k)*; ſpeciatim, *vrinas derepente praeter rationem parum coctas, vitioſas eſſe, in totum quoque, vrinam in morbo acuto praeter rationem coctam vitium denotare l); etiam periculum denunciare vrinam, quae in acutis colore ac ſedimento variat m)*. Et juxta hoc ſimul attendi meretur GALENI monitum: *primum*, dicentis, *et maximum in morbis lethalibus ſignum, quod ſine criſi mors eſt ſubſecutura, eſt virium imbecillitas, nam virtus ita proſtrata ad pugnam contra morbum non excitatur n)*. Tunc autem non

ἀκρι-

k) *Aph.* 27. *Sect.* II.
l) *Coac. n.* 579.
m) *Coac. n.* 578.
n) *De criſibus* L. III. *c.* X.

ἀκρισία, sed crisi potius mala, exstingui dicuntur aegri, vt supra jam notauimus, vbi post signa coctionis praestantiora, naturam tentasse constat morbi depulsionem, sed ejus magnitudine oppressam succubuisse; siquidem ipsi incerti naturae cum morbo conflictantis euentus crisis nomini, sic, vt initio declarauimus, vsurpando ansam dedisse perhibentur *o*). Atque hinc intelligitur, quare HIPPOCRATES *acutorum morborum non omnino tutas, quoad mortem et sanitatem praedictiones* habuerit *p*). Etiam huc pertinent plurima eundem apud Auctorem in vtramque partem graphice dicta, vbi cum signis variis judicatoriis, grauibusque cum symptomatibus in criticam perturbationem praesertim incidere solitis, periculum aeque vitae ac faustum a crisi successum conjungit. Ita enim, vt quaedam exempla proferamus, habet, *quibus in febre morbus regius superuenit ante septimum diem, malum est, nisi confluxus humorum ad aluum contingant q*). *Summi totius corporis perfrictiones in diebus judicatoriis, cum angore, et corporis inquietudine, si sine sudore fiunt, damno sunt, praecipue vero damnantur, qui ex his superueniunt rigores r*). *In praecipiti morbo, capitis dolor et praecordia reuulsa, nisi sanguis ex naribus profluat, ad phrenitidem deueniunt s*). *Quicunque sub febre*

o) *Idem de crif.* L. III. c. II.

p) *Aph.* XIX. *Sect.* II.

q) *Aph.* 62. *Sect.* IV. *Conf. de hocce dicto perill.* VAN SWIETEN *comment. in* BOERH. *aph. T.* III. *p.* 138.

r) *Praedict.* I. 61.

s) *Coac.* 119.

febre continua jacentes ſine voce, conniuentibus oculis nictant, ſi quidem ſanguine naribus fluente, aut vomitu accedente, locuti fuerint, atque ad ſe redierint, ſeruantur, ſi vero haec non fiant, difficulter ſpirantes ſubito moriuntur t). Ipſa autem ratio varia, qua mors coctione facta circa febris vigorem oriatur, ex iis non difficulter intelligi poterit, quae de funeſto cruditatis perſeuerantis euentu antea diximus.

§. X.

Sed cum a febre, absque criſi, eademue non perfecta, ceſſante ſuperſtites manſerint aegri, pluribus vtique ac diuerſae indolis malis obnoxii fiunt, pro varia ipſorum et morborum febrilium et reliquorum omnium, quorum aliqua in aegro admiſſa efficacitas fuerit, conditione. At vero primum, ne vel inani metu futurae affectionis moleſtae, vel nimia in bonis aegri rebus confidentia decipiamur, ſollicite juuabit attendere, an morbus ejusmodi fuerit, qui manifeſta indigeat criſi, et ſiue talis quaedam contigerit ſiue minus, qua ratione a febris ceſſatione homo valeat. Nec facile nimiam adhibemus curam in diſquirendo functionum quarumuis poſt febrim ſucceſſu, cum quoque exercitatis in arte viris criſes abſolutae apparuerint, quum tamen morbus idem breui ſponte redierit; nonnunquam contra criſes haud perfectae, minusque ſecurae viſae fuerint, aegris tamen ſenſim, ſine vlteriori

t) *Coac.* 17.

riori euacuatione ex voto conualescentibus *u*). Ab ipso autem criseos defectu, et vbi illa minus perfecte absoluatur, in superstitibus duo praecipue habemus pertimescenda, nempe vel praeteritae febris recursum, vel morbum qualemcunque alium; atque hisce continentur sequelae ἀκρισίας, siue coctio aliqua praecesserit, siue minus. Medici quidem veteres recidiuam in primis exspectandam esse monuerunt, cum vel sine euacuatione sensibili aut abscessu vel crisi saltem non absoluta febris finiretur, etsi alia euenta mala nequaquam praetermiserint. Ita HIPPOCRATES: *quibus febres cessant, neque apparentibus solutionis signis, neque in diebus criticis, illis recidiua exspectanda est x*). Sic et GALENVS: *solutiones morborum, qui non paulatim imminuti fuerunt, sed subito quieuerunt, vt fidae sint, requirunt omnino excretionem quandam copiosam vel abscessum insignem; nam qui sine his cessauerunt recidiuam facere amant y*). Neque minus vero hunc euentum ex imperfecta etiam crisi praedixerunt, *quae enim*, ait HIPPOCRATES, *in morbis post crisin relinquuntur, recidiuas facere solent z*); idemque ipsum dictum saepius in epidemicorum libris repetiit; neque raro, vt absolutam esse crisin declararet morborum historiis verba

u) *Conferri hac de re meretur in primis ill.* DE HAEN *rat. med.* P. VIII. c. II. c. IV. V. XI.

x) *Prognost. n.* 138.

y) *De dieb. crit. L.* I. *c.* I. *conf. quoque* CELSVS *de medic. L.* II. c. VII. p. 60.

z) *Aphor.* 12. *S.* II.

verba ſubjecit: ἐκ ὑπέϛρεψε. Praeterea vero et ex coctione deficiente recidiuam metuiſſe HIPPOCRATEM, ex ipſo illo dicto conſtat, quod ſupra allegauimus *a*). Neque dubitandum, quin febrium intermittentium quoque, vt quoad alia mala ex deficiente criſi oriunda cum acutis conueniunt, etiam quoad recidiuas metuendas conditio ſimilis reperiatur. Praeclare hinc b. WERLHOFIVS, *prono*, inquit, *conſequitur impetu, quam facile humoris impuri pars, a criſi particulari vniuscujuscunque paroxyſmi poſt motum immaturum relicta, ita profunde viſceribus et ſuccorum craſi immergi poſſit, vt nouis paroxyſmis pluribus, et longa aut recidiua febre opus ſit, ſi naturae virtute corpus repurgari deinceps debeat b*). Sed peculiaria etiam ſigna optimus habet Cous de febre, ex relicta in corpore materiae febrilis parte reuerſura, quae quidem praecipue morbidas affectiones ſiſtunt iis ſimiles, quae et ſaepe alias febrem aliquam inſtare denotant *c*). Ita enim, vt praecipua modo adducamus, *reuerſionibus tentari*, ait, *quibus febribus deſinentibus vigiliae pertinaces, aut turbulenti ſomni ac-*

a) *Epid. L. I. Sect. II. Lind. T. I. p.* 661. 662. *conf. etiam Epid. L.* II. *S.* I. *p.* 686.

b) *Obſeru. de febr. Sect.* IV. §. 2. *pag.* 135.

c) *Ex inſtituto haec ſigna expoſita reperiuntur in* GALENI *art. med.* C. XXXII. *de ſignis futurae aegritud. et apud* CELSVM *de med. L.* II. *C.* II. *Conf. quoque Diſſ. de frequentior. febr. prodromis, quam ill. Praeſes habuit c. cl.* LVD. IAC. HETTLING *Goettingae a.* 1765.

accedunt, aut corpus languet, aut singulorum membrorum dolores adsunt; etiam si deficiente febre sudor accedat, et vrinam fuluam minxerint d), quae non difficulter quisque cum vulgaribus prodromis febrium alias propinquarum cum nempe in corpore euolui coeperint, conuenire deprehenderit. Sed passim et alia quaedam signa tradit quae ipsum febris finem praecesserunt, vt vrinas ante judicationem suppressas *e*) aut plane non coctas, nec aliis secundum rationem euenientibus, porro quoque sub idem tempus exorta juxta aures tubercula, non suppurantia sed subsidentia *f*), denique cum judicatio coctionem perfectam anticipauerit *g*). Notandum vero et eodem docente opportunam purgationem post febres acutas conualescentes multoties ab imminente recidiua defendere, eandemque omissam relapsum quoque in febres post se trahere, etiam alui fluorem vel sedimentum *h*) vrinarum crassarum copiosam longamque recidiuam auertere posse *i*). Qui autem plura de vtilissima hac materie scire cupit, adeat elegantem et accuratam de recidiuis tractationem Corn. Alb. Kloekhofii *k*).

§. XI.

d) *De judicationibus c.* IX.

e) *Epid. L.* IV. *c.* XV. *p.* 753.

f) *De judicat. c.* X.

g) *Epid. L.* II. *S.* I. *p.* 686.

h) De febre quadam manifeste biliosa HIPPOCR. *L.* II. *de morb. c.* XXXVII. *Lind. T.* II. *p.* 64. sequentia praecipit: *vbi sedata febris fuerit, pharmacum deorsum purgans bibat, reuertitur enim quandoque morbus, si impurgatus permanserit.*

i) *De judicat. c.* X.

k) *Opusc. med. p.* 205.

§. XI.

Sed plurimis quoque aliis morbis febres absque omni, vel ſine perfecta criſi deſinentes anſam praebere ſolent, eosque vix non omnes a veteribus abſceſſuum (ἀποςασίων) nomine comprehendebantur, etſi hos etiam ipſo in febris decurſu tum inſtar ſymptomatis tum critico modo accidere poſſe atque per illos etiam criſes fieri, docuerint. Generatim quidem humoris ad partem qualemcunque factam translationem ea voce intellexiſſe videntur, quum alios fieri per effluxum, (κατ' ἔκρουν) alios per decubitum (κατ' ἀπόθεσιν) dixerint, saepius tamen qui poſteriori oriuntur modo eodem nomine ſimpliciter inſigniti reperiuntur, vt etiam abſceſſus ex febribus, vbi ad criſes, quae per excretionem fierent, minor ſpes fuit, generalius praedixerint. Ita enim HIPPOCRATES: *ſi febris deſinet et dolor non deſinit, neque ſputum ex ratione procedit, neque bilioſae ſunt alui egeſtiones, neque bene ſolutae, ſed ſincerae, neque vrina admodum multa, et copioſum habens ſedimentum, ſuffragantur vero ad ſalutem reliqua omnia ſalutaria ſigna, in his tales abſceſſus fore ſperandum eſt* l). Et GALENVS ſcribit, *in morbis acutis et calidis ſi criſis fiat primis periodis excretionem ſperandam eſſe, ſed ſi morbus fuerit diuturnus et tardus, atque vrinae fuerint longo tempore tenues et crudae abſceſſum futurum* m). Attamen et finitis febribus

 bus

l) *Prognoſt. n.* 112.
m) *De criſ. L. III, C. vlt.*

bus abſceſſus tales metuebant, criſi per excretionem non ſuccedente, ait enim Covs *quibus ex morbo reſurgentibus aliquid dolet, ibi abſceſſus fiunt n*). Quam vero amplam Hippocrates vſurpauerit abſceſſus ſignificationem e ſequentibus praecipue conſtare poteſt. *Abſceſſus fiunt aut per venas, aut per aluum, aut ad oſſa, aut neruos, aut ad ſpinalem medullam, aut ad cutem, aut per alias emotiones.* Eoque pertinent et varices et lumborum grauitates. Ex iis, quae per effluxionem fiunt, eſt ſanguis e naribus, pus ex aure, ſputum, vrina, menſes, aliaque. Sub cutem abſcedunt foras tubercula, velut putreſcentia, et quae ſuppurantur, aut vlcus, aut ejusmodi puſtulae, aut ſquamae, aut capillorum defluuium, vitiligines, leprae, aliaque ejusmodi. Mentionem quoque facit abſceſſus ad teſtes ex tuſſi et aliunde *o*), ad oculos *p*), ad articulos *q*), juxta aures *r*), ad internas partes quoque vt ad lienem *s*), etc. Vt vero idem Auctor varias per excretiones, vt alui fluorem, vrinam copioſam craſſam, narium haemorrhagiam, abſceſſus illos qui per ἀπόθεσιν fiunt, praeuerti obſeruauit, ſic etiam eosdem jam exortos ſimilibus et accommodatis effluxionibus

n) *Aph.* 32. *Sect. II.*

o) *Epid. L. II. Sect. I. p.* 687. 688.

p. *Epid. II. C.* 17. *p.* 254.

q) *Paſſim vt aph.* 31. *Sect. IV. et Praenot. n.* 139. *et epid.* I. *Sect.* I. *p.* 666.

r) *Coac.* 207. *et alibi paſſim.*

s) *Epid. II. Sect. III. p.* 700.

bus iterum in aegri ſalutem ſaepe tolli poſſe, vbi autem ſine ratione euaneſcant, et intus recurrant, recidiuas aut mortem metuendum eſſe pluribus in locis animaduertit.

§. XII.

Quodſi jam de ipſis morbis, praeter recidiuas ſpecialius denominandis quae experientia doceat ex impedita criſi frequentius exoriri, diſpiciamus, varii generis facile deprehendimus longiores ſaepeque pertinaces morbos, ex decubitu materiae morbificae ad partes varias nobiliores excitatos. Pertinent huc primum varia contabeſcentiae genera, lentaeque febres vel cum interna ſuppuratione vel absque illa. Plurima ſane exempla horum morborum ex reliquiis variarum febrium praegreſſarum frequentem originem confirmant, etſi ex aliis facilius, ex aliis rarius ac difficilius ſubnaſci ſoleant. Sed in vniuerſum quoque ex omni fere febri, criticis euacuationibus ex voto non ſuccedentibus ejusmodi chronicas oriri poſſe Fr. Hoffmannvs teſtatur t), vbi adſerit: *Quin omnes euacuationes in morbis criticae, maxime tamen per ſudorem ſi ſupprimuntur imprudenter, vel minus ſufficienter ſuccedunt, morbi recidiuas vel pejorem priori, et ſolemniter febrem lentam inuehere ſolent.* Et u): *Deinceps perpetuae et vberius confirmatae obſeruationis eſt, tabificas ejusmodi*

 febres

t) *In med. rat. ſyſt. Vol.* II. *Sect.* I. *C.* XV. *p.* 375.
u) L. c. *T.* IV. *Sect.* II. *C.* XIV. *p.* 576.

febres ſuccedere, quam maxime euacuationibus criticis ſolemnibus deficientibus, aut perperam prohibitis etc. Neque intermittentes ratione hujus morborum generis tutiores eſſe, declarat R. MORTON *x*), dum *a nulla alia febre frequentius quam ab intermittente phthiſeos originem ſe obſeruaſſe* retulit. Oriuntur autem iſtae febres lentae variae vix non ſemper ex aliqua morbificae materiae ad viſcera et glandulas depoſitione, qua fieri facile poteſt, vt ſecretiones neceſſariae impediantur, maſſaque humorum, ex perturbata ejus craſi, natisque hinc ad febriles motus irritamentis, perditis praeſertim haud ex aequo reſtitutis, magis magisque conſumatur, nec minus firmarum partium juſta intercipiatur nutritio. Nonnunquam vero ſimili ex decubitu ad viſcera glandulasque cum defecerit modo iſte ad motus febriles ſtimulus cachexia ſenſim, imo et hydrops quoque et tympanites, aliique morbi haud febriles chronici ſubnaſci ſolent. Inde bene LOMMIVS de leucophlegmatia refert: *magis ita affici eos, qui ex longo morbo conualeſcunt, vtique ſi id quoque temporis duro tumore, viſcus aliquod, maxime jecur aut lien obſidetur y*). Et HIPPOCRATES hydropem ex acutis quoque oriundum memorat, malumque eſſe dicit *z*). Quam facile autem ex intermittentibus praeſertim quartanis, et his inprimis autumnalibus, tum ſibi reli-

x) *In Phthiſiol. C.* XII. *p.* 127.

y) *Obſeruat. med. p.* 55.

z) *Prognoſt. n.* 42.

relictis, tum et minus rite tractatis cachexia et hydrops oriri queat, ita obseruationum frequentissimarum fide peruulgatum est, vt nullo peculiari testimonio hic opus esse videatur *a*). Tympanitem quoque ex febribus praesertim biliosis et dysentericis minus perfecte solutis et minus prudenter tractatis obseruarunt plures *b*). Nonnunquam et paralyticae et spasmodicae affectiones, et insaniae longae, quas nomine abscessuum ad neruos HIPPOCRATES comprehendit, inde ortum habent *c*). Similis etiam nec rara est arthritidum origo ab HIPPOCRATE ad nostra vsque tempora plurimis obseruatis comprobata. Ita quoque BALLONIVS morbum affinem, cui rheumatismi nomen imposuit, ea saepe corpora corripere adseruit, quae longo morbo laborant, sed qui jam est desiturus aut falsa et praecipite crisi videtur solui, quum tamen supersit *d*). Quoad reliqua vero quae huc referri possent ex deficiente perfecta crisi metuenda mala, et quae desiderari forte posset, specialiorem omnium expositionem, ab iis etiam exhibendis, ne speciminis Academici limites transgrediar, me nunc supersedere posse, vrgente praesertim temporis ad

a) b. WERLHOFIVS *obseru. de febr. Sect.* II. §. V. *p.* 76. 77.

b) *Conf. ill.* PRINGLE *obseruat. on the Dis. P.* III. *Ch.* IV. §. 2. *p.* 183. *et ill.* ZIMMERMANN *von der Ruhr c.* VII.

c) *Conf.* F. HOFFMANNI *Med. rat. Syst. T.* IV. *P.* IV. §. 17. *p.* 10. *et T.* IV. *P.* III. *Sect.* I. *C.* II. *et cl.* G. HEINRICI *Diss. de abscess. per materiem et ad neruos, Goett. a.* 1755.

d) *Vid. ejusd. Lib. de rheumatismo opp. T.* IV. *p.* 314.

ſcriptionem hancce mihi conceſſi breuitate, et beneuoli lectoris humanitate pariter ac aequitate confiſus, exiſtimo.

III.

Diſſertatio de viribus naturae debilioribus in febrium decurſu recte aeſtimandis, iisque accommodanda medendi ratione, Gott. 1770. Reſp. PAVL. HENR. WEISS. *Hamburgenſi.*

INSTITVTI RATIO.

Etſi conſtet, in humano etiam viuo corpore multa contingere, quae ex cauſſis perſpicue deriuare nemini hactenus licuit, quasuis tamen ejus mutationes, tum ex varia partium ejus indole, viribusque per illas diſtributis, tum ex mentis arctiſſimo illo, quod cum corpore obtinuit, commercio, tum ex rebus etiam externis, ſemper proficiſci, vix vlli obnoxium eſſe dubitationi exiſtimo.

Quum vero vires illae agendi peculiares, cum animali vita conjunctae, in perficiendis viui corporis et ſociatae ipſi mentis functionibus praeſertim efficaces reperiantur, ex primariis certe officiis eſt Medici, ſiue in reſtituenda ſanitate, ſiue in eadem tuenda verſetur, ſemper quoque et inprimis in illarum

rum

rum naturae virium conditionem accurate inquirere; et vbi etiam de agendi modis non conſtiterit, legum tamen, quas in agendo naturam ſequi obſeruatio docuit, rationem exactius habere. Atque nec de harum naturae virium ad febriles morbos ex voto ſuperandos neceſſitate vnquam dubitare quis poterit, modo parum in Medicorum doctrinis verſatus, quoniam eis deficientibus, experientia fere perpetuo ſatis manifeſte confirmante, vitioſa, quae adeſt materies, minus extricatur et eliminatur, verum potius eadem ſponte augetur, magisque nociua fit, nec raro etiam ad nobiliores corporis partes deponitur; contra vero, ipſa et ſola fere integrior natura, modo prudenter, vbi opus, dirigatur, plurimarum febrium, inprimis continuarum, curationem ex voto perficere ſolet.

Quum igitur in curatione febrium, et maxime quidem difficiliorum complurium et grauiorum, quam plurimum interſit, non ſolum virium iſtarum in agendo diſcrimina, ſed etiam varias, quibus impediuntur, imminuuntur, incitantur, ac ſuis in actionibus perturbantur, cauſſas, neque minus diuerſa ita mutatarum effecta, quoad fieri poſſit, accurate perſpecta habere, tantae mihi doctrina haecce grauitatis et vtilitatis eſſe apparet, vt ſpecimen inaugurale conſcripturus, operae pretium fore exiſtimem, hujus in argumenti partem, de naturae nempe viribus febrium in decurſu debilioribus recte

aeſtimandis et accommodanda illis medendi ratione, operam pro ingenii modulo impendere.

§. I.

Tam frequentem vocis naturae apud Medicos vſum reperias, ejusque tam peruulgatam, in qua fere praeſtantiores plurimi conueniunt, ideam, vt illam hoc loco explicare ſuperfluum videretur, niſi conſuetudinem ſequi, atque ſuſpicionem ſiniſtri, qui datur, ſenſus auertere nunc liberet. Per vocem vero *Naturae* nos hic intelligimus complexum principiorum agendi, corpori animali et ſpeciatim humano viuo propriorum. In aegro igitur ſuperſtites quasuis actiones, ſiue ſanitatis legibus conformes, ſiue ab illis alienae ſint, modo vitam adhuc praeſentem teſtentur, pro ipſis naturae effectibus habere licebit. Quum vero variis in partibus vario modo actuoſam reperiamus naturam, ita quidem, vt ceſſare plures ejus actiones poſſint, aliis perſeuerantibus, haud inepte, ſi phaenomenorum habeamus rationem, varias et plures ejusdem vires a ſe inuicem diſtinguemus.

§. II.

Non immorabimur exponendae illi differentiae, quae ſolidarum noſtri corporis partium viribus, a *cohaerentia* et *elaſticitate* oriundis, cum iis ipſis, quas ad naturam viui tantum hominis referimus, quasque *vitales* etiam dicunt, intercedit, quum

quum de illa ſatis inter omnes conſtare videatur. Neque a nobis exſpectari arbitramur, vt hoc loco ſyſtematis neruoſi miniſterium, quo viribus hisce vitalibus per corpus diſtribuendis inſeruit, quoad nobis perſpicere conceſſum, explicare ac definire adnitamur, ſiquidem et hanc doctrinam, quousque exponendo noſtro inſeruit argumento, ex ipſis diſciplinarum noſtri temporis elementis cognitam ſumere liceat. Notaſſe vero paucis forſan conuenerit, inter ſe multis in phaenomenis conſpirare vires vitales, ac illas ab elatere et ſoliditate pendentes, dum alteram altera in contrahendo et reſiſtendo juuat, viuidiores etiam ſe ambas frequentius comitari ſolere, pariter ac ſaepe ſimul debiliores comparent, neque minus ſimul quandoque deſtructae, vt in parte putrido tabo corrupta, offenduntur. Sed reperias etiam firmiorem compagem ſolidam in ſenibus et durioris vitae generis hominibus, cum vi minori vitali quoad certas functiones, et viciſſim laxiorem mollioremque et flaccidiorem illam fabricam cum actuoſiori vis vitalis, ſed etiam in certis modo actionibus, efficacia conjunctam. Et poſterioris quidem conditionis exempla plurima, ſed variae tamen ac diſcrepantis indolis, obſeruare licet, in juniori hominum aetate, in foeminis et in aliis molliori vitae generi adſuetis, multisque hyſtericis ac hypochondriacis. Praeterea quoque confirmat omnino accuratior naturae diuerſorum hominum contemplatio, cum optimo quandoque corporis

habitu,

habitu, et nisi praeter ordinem quid neruorum systema sollicitet vel debilitet, cum exoptato quoque functionum omnium successu, peculiarem et miram conjunctam esse, quoad varias et plures caussas procatarcticas, systematis neruosi sensibilitatem et mobilitatem; cujus quidem morbosae virium naturae proportionis in hominibus apparenter sanissimis veram ideam habuisse videtur SYDENHAMVS, vbi interioris, vti nominat, hominis ab exteriore differentiam proposuit *a*).

§. III.

Maxime vero notatu dignum censemus, latius patere virium vitalium potestatem, quam ex irritabilitate et sensibilitate, per experimenta vulgaria et euidentiora declarandis innotescit. Negandum enim haud est, vim illam vitalem pluribus in partibus, quas cultri apex in motum ciere non valuerit, aliis sub conditionibus in producendis motibus efficacem se praestare posse. Hujus enim vis mirae potestati merito quoque tribueris tum febriles tum alios horrores, siue calor cum illis naturalis perseueret, siue is simul mutatus reperiatur; pariterque aliquando calorem auctum et incidentes transitorios aestus et refrigeria cum pulsu naturali, interdum et rubores particulares et anxietates varias, plurimosque dolores et secretionum alienationes,

a) Diff. ejusd. ad GVIL. COLE. opp. edit. Lugd. Bat. 1754. p. 395.

nes, fluxusque pariter ac retentiones, et ſopores et deliria et alia plura, vbi ordinariae corporis mechanismo manifeſtius reſpondentes cauſſae defecerint. Quare igitur dubitare vix licet, quin et in fauſto functionum corporis omnium ſucceſſu multum a peculiari et ſingulis partibus accommodata vi vitali pendeat; atque hanc vim per corpus quam ſapientiſſime diſtributam ad quorumlibet morborum decurſum, et ad quorumuis ſymptomatum certam indolem et gradum producendum ſuam quoque ſymbolam, eamque majoris quidem momenti conferre; dum nunc bene et in commodum valetudinis integrioris conſeruandae, aut amiſſae illius reſtituendae agat, nunc vero exceſſu vel defectu peccet, nunc perturbata actione ſaluti contrarios effectus producat.

§. IV.

Vigorem naturae humanae exoptatum, qui functiones homini conuenientes, et mentis et corporis quaslibet, integerrimas praeſtet, et conſeruandae ex voto ſanitati non ſolum proſpiciat, ſed felicius quoque deuincendis, qui forte ſuboriantur, morbis ſuccurrere valeat, a plurimis pendere corporis conditionibus, ſatis certo magna ex parte cognitis, ac de quibus generalius conſideratis et expreſſis inter Phyſiologos euidenter conſtat, quisque facile, vel parum attentus, ſibi perſuaſum habebit. Ita enim omnino id manifeſte liquere videtur,

tur, de fabricae partium corporis integritate, de iufto toni fic dicti phyfici, feu cohaerentiae, flexilitatis, duritiei, elateris, per tota quaelibet organa gradu, de moderato fingulis conueniente, tum a fe inuicem, tum ab humoribus, tum a praefentibus vitae viribus oriunda, tenfione, ac de bona humorum firmae compagi, ejusque omni conditioni refpondente mixtione, denfitate, copia. Quo propius enim hanc ad normam comparatas corporis humani conditiones reperimus, eo magis actuofam ejus naturam in tuenda fanitate plerumque animaduertimus. Atque his etiam in corporum conditionibus, cum a recta menfura et iufta proportione fuerint, plerumque vera ratio confiftit, vel imminutarum, vel incitatarum nimis, aut in agendo perturbatarum naturae virium. Aliquam tamen et ea ipfa in virium vitalium integritate, qualem in hoc vniuerfo exoptare licet, graduum et proportionum, certarumque determinationum differentiam admittendam effe, difcrimina illa, etiam per vulgus cognita, aetatum, fexuum, temperamentorum, confuetudinum, etc. quam manifeftiffime declarant.

§. V.

Maxime efficacem plurimis in tollendis morbis humanam naturam fe gerere, inter omnes quidem conftat, ita autem haec ipfius poteftas etiam hisce in muniis fuis exercendis fe habet, vt in omni

etiam

etiam reliquo naturalium rerum ambitu obſeruari idonei quilibet contendunt veri aeſtimatores, eo nempe plura ſapientiſſimae opificis noſtri prouidentiae ſpecimina reperiri, quo ſtudioſius et attentius rerum ſingularum affectiones earumque nexus ac fines perquiſiuerimus. Praeclare hoc de argumento ipſum jam diuum noſtrum Covm cogitaſſe, plura ipſius aſſerta euidenter confirmant; vt, cum non modo *b*) *morborum naturas medicas* dixit, atque *nec edoctam naturam nulloque magiſtro vſum ea quibus opus eſt, facere* notauit *c*), ſed *eandem quoque artis peritis, quae facienda ſint, demonſtrare*, inter alia veriſſime docuit *d*). In plurimorum certe morborum origine ac decurſu ab initio ad finem actuoſam facile obſeruamus naturam, ita quidem, vt materialem morbi cauſſam certa ratione mutet, euoluat, ad ſeceſſum praeparet, poſteaque vel aliquam in partem deponat, vel ex corpore expellat, eaque vel ſola, vel artis auxilio adjuta, praeſtet. — Reperies quidem, vbi ab efficacia, quam optauimus, remittat, et in ſuo deficiat negotio; vbi etiam ſalutis in detrimentum morbos euoluat periculoſiſſimos, vbi motus varios excitando in diſcrimen aegros perducat, aut vbi omni fere actuoſitate ſua in perniciem illos praecipitet. — Neque tamen haec veram debitamque naturae humanae laudem in-

b) *Epid. VI. ſect. V.* LIND. *T.* 1. *p.* 809.

c) *Ibid. et de alim. cap. VIII.*

d) *De arte cap. XXII.*

infringunt, sed limites modo perfectionis a summo rerum arbitro in eadem ipsa et in rebus nos ambientibus constitutos, declarant.

§. VI.

Quam efficaces vero ad nostram salutem esse soleant naturae vires, in primis ex febrium decursu quam manifestissime plerumque innotescit, quum per eas et excitari febres ac plane tolli, meliori succedente valetudine, videamus; quum iis vigentibus eas praesertim functiones magis incitatas, quae deuincendo inseruiant morbo, reperiamus, imminutas autem eas vel deficientes, quae alias in aegri damnum facilius quam commodum cederent. Atque per faustos hujusmodi successus totius occurrentes, maxime instrui Medicum quisque facile largietur, quando et qua ratione vel succurrendum sit naturae, quo easdem, quas ipsa legit vias efficacius et felicius persequatur, vel et ejus actiones, cum ad sinistra ruere coeperint, ad valetudinis commoda ducere contendat, nisi quandoque aliam quandam singularem, eamque satis tutam et efficacem, saluti aegrorum consulendi methodum fida obseruatio docuerit atque confirmauerit *e*). Quae tamen qualiscunque sit, a naturae solius juuandi ratione recedens, artis methodus, nihilominus adhuc

e) Conf. TORTI *therap. spec. L. I. Cap. III.* KIRKLAND'S *Essay towards an improvement in the Cure of those Diseases, which are the Cause of Fevers. Lond.* 1767.

huc ſatis bonas et actuoſas naturae vires, quae ſalutari illius virtuti fulcimentum praebeant, omnino ſemper quoque praeſentes poſtulat.

§. VII.

Cum itaque in febribus quam plurimum a virium naturae integriori efficacia pendeat, omnino quoque in his morbis in illarum conditionem et gradum eo magis ſollicite inquirendum eſſe liquet, quo minus in primaria medelae parte quis error committatur. Et quoniam, vt jam notatum fuit, naturae virium efficacia ad functiones viui corporis omnes, vitales nempe, animales et naturales, ſe extendat, plura ſine dubio debilitatis in hiſce ſingulis, tum ſeorſim tum quoque conjunctim conſideratis, indicia reperire licebit. Primum quidem in vitalibus virium declarare imbecillitatem ſolent pulſus *paruus* et *mollis*, et illam quidem eo grauiorem, quo minores mollioresque pulſuum ictus fuerint. — Attamen quandoque ex leuioribus ac tranſitoriis quoque cauſſis hanc imbecillitatem naſci poſſe, etiam interdum illam cum reliquis melioribus aegrorum conditionibus, vt in iis, qui ex morbo jam conualeſcere incipiunt, reperiri, haud rara obſeruatione conſtitit. Pulſus praeterea *intermittens*, cum aliis quandoque grauioris debilitatis indiciis occurrit, et in ipſo horum numero, ſi reliqua conſentiunt,

tiunt, locum mereri videtur *f*). Fere certius autem *frequentia* pulsuum, cum hi exigui simul et molles fuerint, et vbi reliquus aegri status hoc judicium confirmat, verum subinde sistit effectum debilitatis *g*). Qui *inaequalis* sunt roboris et frequentiae pulsus, hinc etiam, quousque virium vitalium defectum designent, facile dijudicari poterunt. Neque *rarior solito* pulsus ex debilitatum indiciis excludendus est, quandoquidem grauioribus praesertim soporibus, ex encephalo per idiopathiam affecto oriundis, conjunctus esse solet. Sed vt alias etiam debilitas vitalis variae indolis spasmis facile ansam praebet, ita et ipsa durities pulsuum, vbi simul exigui sunt et contracti, virium quandoque defectum prodit. Praeterea vero nec raro grauiorem in vitalibus functionibus debilitatem minor caloris gradus designat, siue ipso naturali, siue illo etiam, quem alias reliqua febris conditio et vehementia, meliori sub rerum statu, inducere solet, inferior; pariterque et extremitatum frigus, et perfrigerii sensus, licet calor tunc ad contactum naturalis appareat; et cutis pallor et sudor frigidus, et respiratio difficilis, eademque parua, rara, anxia et praesertim frigida. — Debilitatem vero in functionibus naturalibus quandoque declarat appetentiae ciborum ac sitis defectus, mandendi ac deglutiendi difficultas, ventriculi et intestinorum imminuta irritabilitas,

f) conf. Ill. de HALLER *elem. Physiol. T. II. p.* 252.
g) *ibid. p.* 252.

bilitas, alui tarditas, vrinae et alui foecum inuoluntaria et ſine ſenſu contingens excretio, etiam vrina minus tincta, et nimis lente ſuccedens vel deficiens materiae febrilis coctio et criſis. — In animalibus denique functionibus pluribus quoque modis vitalis debilitas in febribus ſe exſerit. Et maxime quidem notatu dignum diſcrimen illud graduum videtur, quod in aegrorum laſſitudine obſeruamus, cum inſignioris certe ſit in formanda prognoſi momenti. Nunc enim reperies, qui nonnullam quidem in mouendis artubus difficultatem conqueruntur, attamen ita ſe gerunt, vt vix vllum ejus indicium animaduertas; nunc decumbentes cernes, minus alacres, triſtes, quietem amantes, nec ſine moleſtia artus mouentes, verum pro neceſſitate tamen corpus adhuc erigentes, et absque adminiculo, quandoque paſſus aliquot progredientes; ſed interdum quoque et eo res aegri perueniſſe dolebis, vt ſemper ſupinus cubet, artus et caput mouere, osque clauſum ſeruare et loqui vix amplius valeat, neque impedire queat, quo minus ex eleuatiori, quem ipſi dederis, ſitu, ad pedes, aut cum in latus eum collocaueris, in dorſum ſponte prolabatur. — Nonnunquam et ſpaſticis affectibus, tremoribus ac tendinum ſubſultibus ipſa debilitas anſam praebet. Praeterea vero et grauiorem praeſertim debilitatem deſignant ſenſuum externorum torpor, capitisque grauitas, et vertigo, aurium ſuſurrus, deficiens doloris ac moleſtiarum morbi

reliquarum perceptio, mentis ſtupor, rerumque neceſſariarum ac ipſius, in quo aeger verſatur, periculi incuria, et modo actorum aut perpeſſorum obliuio, et perpetua mentis in tranquilla quadam deſipientia confuſio, et plenarius conſcientiae defectus et ſomnolentia, cum oculis ſemiapertis, aut ſubſidentibus, aut illacrymantibus, aut diſtortis, etc. licet cauſſarum, integraeque conjunctae morbidae affectionis, in definiendis cujusuis horum debilitatis indiciorum momentis, habenda vtique ſemper ſit ratio. Quod ipſum inprimis quoque in ſubitae mortis illa imagine, quam animi deliquia ſiſtunt, locum habet, quae vtpote non quidem ſine grauiori et manifeſta occurrunt virium vitalium in omnibus viui corporis functionibus imbecillitate; attamen diuerſiſſimi, pro morbi reliqui cui acceſſerint, et cauſſarum, vnde ortum habuerint, varia conditione, momenti reperiuntur.

§. VIII.

Notatu hic digna videtur obſeruatio, imparia valde virium diuerſis in functionibus decrementa, in morbis praeſertim febrilibus, quam frequentiſſime deprehendi. Nihil in hoc morborum genere peruulgatius, quam vitalibus in functionibus vitae vires, ob ſtimulum praeſentem magis ac in ſanitate actuoſas, nimiaque contentione ſua ſaepe noxias, laſſitudinem comitari artuum, ſenſuumque internorum imminutum vigorem, et remittentem ventri-

culi

culi in cibos poteſtatem. Veruntamen contra etiam integriores mentis vires, minusque proſtratum appetitum, et quodammodo adhuc ſuccedentem ingeſtorum digeſtionem, et corpus erigendi qualemcunque facultatem, cum debiliori arteriarum pulſu et aliquando cum pronitate ad animi defectiones, et cum calore nimis remiſſo, conjuncta quandoque animaduertere licet. Habeas etiam, nonnunquam, quod maxime mireris ſanam mentem cum pulſu tali, quem vix perſentire queas, cum halitu jam frigido, cum ventriculi et inteſtinorum paralytica inſenſibilitate, vt quaeuis ingeſta et immiſſa, eademque ſubinde acriora, recipiant quidem, ſed ne minimum quidem inde moueantur, nihilque iterum expellant. Et ex minime raris eſt phaenomenis, cordis viribus non reſpondere calorem et ruborem corporis, exanthematum eruptionem, coctionis febrilis ſucceſſum, excretionum copiam, vbi etiam interdum in ordinariis, de quibus conſtat, illorum omnium cauſſis et conditionibus, euentuum rationes detegere non licet. Quare ergo cautiſſime procedendum eſſe, nemo dubitauerit, vbicunque ex debilitate vnius partis ad illam alterius, aut ex quarundam functionum languore ad illum aliarum argumentari libuerit; etiamſi ceteroquin verus partium nexus non lateat, muniaque vnius ab illis aliarum partium certo pendere ſatis liqueat; quum ſtudioſa hujus etiam generis euentuum obſeruatio tales naturae proprietates declaret, quales cognitis

ex principiis deriuare, nisi mortalium excedat perspicaciam, negotium tamen difficillimum semper fore videatur.

§. IX.

Dum vero de naturae viribus in febrium decursu debilioribus nunc sermo nobis est, nequaquam praetermittere diuisionem licebit, istas inter vires, quae strictius et magis proprie naturae humanae a Medicis attribui solent, quas nempe in morbis arcendis atque deuincendis manifestius efficaces comperimus, et reliquas illas constituendam, quae minus propinque ad hunc finem conferunt, ita quidem, vt hae quoque in commodum priorum, vel sine illarum damno saltem, quodammodo impeditae esse queant, quamuis etiam hae posteriores, ob suam cum illis conspirationem, ac vtrasque afficientium causarum conuenientiam, simul accurate attendi semper omnino mereantur. Ita ergo non erit, quod de naturae ad superandam febrim necessario vigore deficiente conqueramur, vbi justis temporibus, singula, quae coctioni obsint, impedimenta ex voto remoueat, leuamenta quaeuis, feliciori atque citiori febris decursui inseruientia, aptissima ratione praestet, nociua horreat, appetat vtilia, coctionem et crisin breuissimo tempore et perfectissime absoluat, sublataque febre, diaetae modo auxilia, quae augendis denuo illis atque firmandis conferant viribus, per febrem antea fractis,

desi-

deſideret, conceſſaque iſta in valetudinis commodum conuertat; licet praeſente febre, laſſitudo artuum grauis, et mentis alacritas nulla, et ſomnolentia, et plane deficiens cibos concoquendi facultas, et plura, quibus hujusmodi augeatur imbecillitas, adſint, et multam aegro moleſtiam faceſſant. Verumtamen nec negligendam quoque eſſe ſtudioſam has ad vires, quas illa ſtrictior et magis propria roboris naturae idea excludit, attentionem, ex ipſo nihilominus rerum vſu abunde ſatis innoteſcit; ſiquidem et grauiore praeſente imbecillitate artuum, atque tanta, vt ne caput quidem aeger mouere, clara proferre verba, linguamque exſerere valeat, et cum quarumuis morbi moleſtiarum ſenſus defecerit, cum ipſius recuperandae ſalutis omnem depoſuerit curam, vel vbi variis ex debilitantibus cauſſis deliria, ſopores, et conuulſiuae affectiones acceſſerint, in magno plerumque periculo aegrum verſari conſtet, isque rerum ſtatus a quibusuis artis noſtrae non plane imperitis merito valde metuatur. Ita grauiter enim debilitatis viribus animalibus, probabili conjectura colligere nobis licet, nec proprie dictas naturae vires aduerſus morbum ea efficacia ſalutari actuoſas fore, quae ipſa multam praeſertim ſucceſſus fauſti ſpem concipere permittit.

§. X.

Sed nostrum jam erit, ipsas illas in decursu febrium obuias variae debilitatis caussas proponere, ita quidem, vt in omni iis tribuenda potestate experientiam semper ducem sequi adnitamur. E re autem praesertim fore arbitramur, vt istarum quoque caussarum effecta specialius distinguamus, atque num in vitalibus aut naturalibus aut animalibus functionibus, et in quibus ex quolibet illorum genere, suam potissimam et primariam nocendi efficaciam exserere videantur, quoad perspicere concessum fuerit, succincte exponamus, quod alias nimis incerta forent, quae hoc niti fundamento debent, momentorum debilitatis aestimatio, ac declaranda pro varia aegrorum affectione consilia. Eo etiam nos intentos esse conueniet, vt hac in caussarum disquisitione, num quae ipsarum proprie et simpliciter dictas naturae vires, vel reliquas ab hisce remotius dependentes, potius debilitent, et quisnam ex harum imminuto robore in illarum actiones effectus redundet, sollicite notemus, quo ad ipsum illud, quod elegimus, argumentum, a nobis proponenda semper quoque dirigamus. Quoad plurimas praeterea debilitatis, in febrium decursu obuiae, caussas, discrimen quoddam generalius attendisse quoque juuabit, quod quidem tum conditio illarum manifesta et verus agendi modus, tum diuersorum etiam auxiliorum, quibus subuenire saepius

pius conceſſum, peculiaris indoles facile declarat. Sunt enim iis ex cauſſis aliae, quae praeſentes vere non minuunt vires, ſed earum modo actiones impediunt, et interdum vires quaſi opprimunt, vbi demtis aut imminutis iis cauſſis, absque roborante aut incitante vllo adhibito remedio, ſuam vires naturae efficaciam liberius exſerere ſponte incipiunt; dum aliae potius cauſſae ipſas virium poteſtates infringant, earumque partem qualicumque ratione conſumant. Licet vero quisque, hac modo diuiſione intellecta, habendam illius in medendo rationem eſſe, ſine dubio ſit largiturus, ob vtilitatem tamen ejus inſignem, aliquam ipſius mentionem hoc loco faciendam eſſe non dubitauimus.

§. XI.

In aeſtimandis autem cauſſarum, quas *procatarcticas* dicunt, veris poteſtatibus, atque in ipſa vitiorum corporis inde genitorum efficacia dijudicanda, ad propriam cujusuis aegri conſtitutionem, quoad inhaerentes illi cauſſas *proegumenas* attendendum ſemper eſſe, neminem Medicorum latet. Frequens equidem obſeruatio ſatis euidenter confirmat, variam naturae virium in febrium decurſu debilitatem, magna ex parte, a peculiari non ſolum corporis, ſed animi etiam aegrotantium conditione pendere. Non eadem tamen ratione quasuis ad occaſionales cauſſas, indeque oriundas corporum affectiones, in debilitate producenda, quaelibet ſe

gerunt in hominibus obuiae, et proegumenis hujus mali caussis comprehensae, dispositiones. Facilius ita succumbunt variis debilitantibus caussis, excretionibus scilicet nimiis, inediae, vigiliis, tenerior firmarum partium fabrica, humorumque tenuitas, quales infantili aetati ac aliquo gradu etiam sequiori sexui, multisque vita molliori vtentibus, solemnes sunt; verumtamen haec ipsa quoque corporis teneritas, ob actuosiores vitae vires plerumque conjunctas, multum simul boni sperare permittit, vbi caussae debilitantes aliae adfuerint, quas nunc incitatae vires illae superare valeant, si modo justa in medendo dexteritas adhibeatur. Neque manifestior etiam illa quibusdam in hystericis, hypochondriacis, grauidis, puerperis, neruosi systematis imbecillitas, licet multas minus commode ferat caussas debilitantes, semper defectum istarum simul virium naturae, quas febris postulat sanatio, producit; cum interdum his in aegris circulationis vehementiam antiphlogistica medela potius infringere conueniat. Sed inficias tamen ire non licet, hujusmodi etiam debiliori et mobiliori constitutioni, siue perseueranti siue temporariae, in caussarum praedisponentium numero locum omnino esse, praesertim cum ad vires naturae integrum per morbi decursum, quo optatus sequatur euentus, sustinendas, maxime quoque respiciendum sit. Praeter ejusmodi vero inhaerentes corporibus debilitates, aliae quoque praedisponentes occurrunt caussae, quae ad aegro-

aegrotantium certas in febribus affectiones, variam debilitatem inducentes, aptiora ipſorum reddit corpora, ac ideo ex harum, vt cauſſarum debilitatis proximarum, indole facile intelliguntur. Sic enim, vt exemplo ſententiam illuſtremus, nemo forte dubitauerit, ad humorum ſtaſes, ad craſes illorum alienas, ad excretiones aeque nimias ac easdem interceptas, ad plura motuum vitia, certas in corporibus dari diatheſes, quae multam et peculiarem his malis anſam praebeant. Ipſa autem ex contemplatione cauſſarum debilitatis proximarum quoque ſatis liquet, contrarias corporum affectiones, pro vario ipſarum gradu, atque pro diuerſa ipſius morbi conditione, debilitati in aegris producendae nonnunquam fauere: nunc firmarum nempe partium rigiditatem aut ſtricturam, nunc laxitatem illarum aut flacciditatem, humorum abundantiam aeque ac defectum, eorumque ſpiſſitudinem pariter ac tenuitatem, excreta non minus ac retenta. Generatim tamen obſeruandum, eam inprimis hominum conditionem, quae vel deficientes vel minus actuoſas naturae vires, praeſertim quoad functiones vitales, illasque viſcerum ac ſyſtematis neruoſi, declarat, qualisque in ſedentariis, cachecticis, tabidis, ſcorbuticis, in illis qui aliis ex morbis modo conualuerunt, in ſenibus, in meticuloſis denique ac ſpe dejectis *b*), reperiri ſolet, debiliorem

b) Singulare certe fuit, quod in amico olim, eademque mecum in ciuitate nato, erudito multaeque ſpei doctoralium in medicina

liorem modo in accedente febre naturae efficaciam promittere, facileque ansam praebere, quo plura dein

cina honorum Candidato IO. FRID. SIEMSEN obseruare mihi contigit, exemplum, animi, rara et insolita plane ratione perturbati, ex deposita subito et praeter opinionem omni salutis recuperandae spe, in stuporem fere et ἀναισθησίαν delapsi; cumque integra morbi, quo laborauit, conditio, plura tractationis meae capita illustret et confirmet, breuem illius historiam hoc loco subnectere non alienum censeo. — Firma is et inoffensa plures per annos gaudens valetudine, majoris momenti nonnulla subinde neglexit, paruique fecit salutaria ejus conseruandae praecepta, benigno confidens robustioris naturae praesidio. Postquam tamen grauiori cuidam indulserat animi sui indignationi, pluresque per dies eam sustentauerat, neque tunc valetudini suae, licet morbum quendam difficilem sibi instare, inde jam persentiret, vllo modo prospexerat, a. d. VIII. Maji h. a. febre continua correptus fuit. Atque licet hanc biliosam ipse censuerit, ancipite tamen minimeque probando consilio, quod alii certe non dedisset, vini gallici aliquot haustibus febrilem sibi molestum horrorem initio dispellere viresque languentes excitare tentauit. Quomodo vero inde se habuerit, mihi satis certo non constitit, cum nulli suorum amicorum hoc de morbo ante sextum diem quid aperuerit. Hoc saltem mihi postea innotuit, ipsum die morbi quarto emeticum, dein potionem, quae sal catharticum et nitrum cum succo citri continuerit, sumsisse, atque a die morbi quinto spiritus vitriolici largiorem copiam cum potu ad sitim hauriendo miscuisse, ipsumque his diebus plurimos habuisse vomitus biliosos aluique similes dejectiones. Continuabat vehementior diarrhoea redibantque nonnunquam adhuc sponte vomitus biliosi, arcessito die morbi sexto Ill. SCHROEDERO, Praeceptore et meo optimo, cujus auxilium rogare, petechiis inprimis nunc efflorescentibus, permouebatur. Petechiae, quas et ipse vidi, aegrum ab hoc tempore saepissime inuisens, floride rubri erant coloris, etiam parciores modo solitis in locis eruperant, in collo nempe, pectore, abdomine, dorso et artu-

dein ſuperueniant mala, quibus neceſſariae ad ſalutem vires perturbentur ac proſternantur.

§. XII.

artubus. Artuum viribus ſatis bene adhuc valuit, ſiquidem pro arbitrio non ſolum erigere corpus, ſed etiam ſine aliorum adminiculo ſurgere et ambulare potuerit. Calor naturalem parum ſuperauit, pulſusque adhuc aequalis nec debilis, licet nec fortis, fuit, reſpiratio etiam et vox a naturali vix diſcreparunt. Metuenda nulla ſymptomata hoc tempore apparebant, praeter diarrhoeam nimis frequentem, inter vomitus ſpontaneos bilioſos, cum amaritie, oris ſemper adhuc pertinaciter inhaerente, et obtuſum aliquem in praecordiis dolorem, ſomnique defectum; quibus autem nunc praeſertim acceſſit animi ipſius inſignis inquietudo, magna quidem parte ex rejecta fere omni conualeſcendi ſpe, quae nullis plane perſuaſionibus, vel maxime ſollicitis, nec Medici ſui, qui ſedulam in id operam adhibuit, licet is jam praeſentem metuerit hepatis inflammationem, nec amicorum ſuorum, nec optimi Sacrorum Antiſtitis, qui a confeſſionibus ipſi erat, erigi poterat, veri autem ſimiliter etiam aliis ex curis, quas tamen noſtrum nemini aperiebat, oriunda. — Non reſpondebat, de metu et curarum ſuarum ratione quaeſitus; taciturnus pleromque ſedebat vel decumbebat, parum ad ea quae fierent, nec ad amicos, qui ipſum inuiſerent, attentus, plerumque ſe gerens, ac ſi profundis meditationibus immerſus eſſet. In gerendo conſiliis more plerumque modum excedebat. Medicamenta opinato citius conſumſit; cum ſeſſio extra lectum pro viribus ipſi commendata erat, commorando in ſella, vires conſumebat; dato conſilio, de ptiſanarum decocto, cui ſuccus citri et ſaccharum modice admiſta erant, frequentius bibendi, nimis largis hauſtibus bibit; cum temperatus conclauis calor poſtulabatur, ad apertam feneſtram conſedit, atque frigidiori corpus aurae expoſuit; cum in his omnibus obſeruanda cautio, ne exceſſu ſibi noceret, injungeretur, in contrariam incidendo partem errores commiſit. Jam vero cum Ill. Praeceptor ſtatim euacuantium ſalinorum vſum diſſuaſiſſet, atque antiphlogiſtica, antiſpasmodica, demulcentia, cum rhei tincturae modicis diuiſisque doſibus

§. XII.

Ex iis vero cauſſis debilitatis, quae ipſis febre correptis inhaerent aegris, primo loco ipſa febris natura

doſibus juxta cum potu memorato commendaſſet, minuebatur ſenſim, ac dein ſiſtebatur diarrhoea, rarioresque reddebantur ſpontanei vomitus, petechiae ſine vllo aegri damno euanuerant, omninoque fauſti ſucceſſus haud exigua ſpes affulgebat. Attamen aeger ne minimi quidem ſolatii inde percipiendi capax videbatur. Sponte rediit aliquoties alui largior excretio, cum aliquo defectionis animi ſenſu, vnde nihil ſibi certius morte ſubita inſtare perſuaſiſſimum aeger habuit; ſtatim tamen aduocatis Medico, et me, et paucis aliis amicis, pulſum, calorem, ruborem, reſpirationem, ſenſus, ſimili fere modo ac antea comparatos reperiebamus. Per interualla delirare coeperat, nocte d. XV. Maji et mane ſequente, ex vomitionibus autem paucis et facilioribus melius iterum compos mentis reddebatur. Redibant vero deliria eodem die, et quidem grauiori ſenſim cum perturbatione ſyſtematis neruoſi. Circa veſperam primum diei XVI. Maji debilis valde pulſus erat, calorque naturali inferior. — Cum ſollicite omnia ponderaſſet Ill. Medicus, veſicatoria ad ſuras juſſit applicari, camphoramque cum antiphlogiſticis ſumendam praeſcripſit. Deliria non leuata, neque aucta, licet ſequentibus diebus minora interualla habuerint. Veſicatoriorum in cute vix vllus apparuit effectus. Sed jam crebrae quoque ingruebant permutationes. Alterne accidebant pedum, manuum, genarum aeſtus et frigora, quandoque vno eodemque tempore altera in gena cadaueroſum erat frigus, in altera vero vrens calor. Superiores tamen partes, caput, collum, pectus et brachia plerumque nimis calebant, et ſudabant. Senſim quoque calor totius corporis eminuit, certioraque apparuere febris putridae continentis indicia. Inter haec deglutitionis difficultatem ſaepe conquerebatur, licet nullus plane tumor, aut phlogoſis, vt oris inſpectione conſtitit, in faucibus adeſſent. Intermittebat quandoque pulſus, atque tendines in carpis ſaepe ſubſiliebant, etiam ſonora deglutitio

natura memoranda mihi videtur, cum docente experientia, febre laborantes reperire fere nullos liceat,

titio inter haec obseruabatur. Pro indicantium varia ratione omni sollertia subuenire aegro nostro adnitebatur ill. Praeceptor, etiam efficacioribus antisepticis et antispasmodicis et aduersus metuendas in praecordiis atque encephalo phlogoses directis remediis, attamen pertinacem nimis et insuperabilem in aegri corpore latentem caussam increscens morbus cum decrescentibus vitae viribus declarabat. Ex lethargo tandem, qui per nychthemeron fere durauit, ac plures abiit aeger noster, die morbi decimo sexto. — Non dubitauimus nos ipsius populares, ill. Praeceptorem rogare, vt illius cadauer incidere curaret, qui et hac in re facillimum se nobis praebuit. Quo prolixitatem euitem, praecipua tantum in secando cadauere, proximo post mortem die visa et reperta commemorabo. Totum corpus, praecipue dorsum, non nihil magis ac aliis in cadaueribus consuetum, calebat. In humero dextro et sub clauicula sinistra maculae majores liuidae conspiciebantur. Intestina majori ex parte praesertim colon transuersum aere valde distenta, coli tamen sinistra pars maxime contracta. In cauo abdominis sanguis ater et fluidissimus ad vncias fere sex effusus. Integra superficies hepatis inferior profunde liuida; in medio superioris superficiei macula magna ejusdem coloris, strias circumquaque liuidas dispergens, punctisque valde rubentibus circumdata. Separabatur facile digitis membrana hepatis, ac sic emollitum hujus parenchyma reperiebatur, ac si viscus in aqua coctum fuisset. Vasa hepatis sanguine vere penitus vacua. Superficies lienis conuexa et pars concauae superior pariter valde liuebat, viscerisque hujus substantia, instar pultis intra digitos diffluebat. In Diaphragmatis ea regione, cui hepar adjacet, non quidem in carnea solum, sed etiam in tendinea parte rubor et liuor inflammatorius, effususque in cellulosam sanguis vasa diaphragmatis pariter ac illa mesenterii, omenti, intestinorum, ventriculi, comitabatur. Renum vasa eorumque parenchyma sanguine maxime repleta. In vtroque thoracis cauo etiam effusus erat sanguis tenuissimus subater,

liceat, niſi forte peculiaribus ita laceſſitos irritamentis, vt auctum robur modo appareat, qui non aliqua laſſitudinis indicia praebeant, quietem corporis exercitio ejus praeferant, vigorem ſenſuum internorum imminutum ſentiant, etiam plerumque cum cibi cupiditate decreſcente vel ceſſante, vires ingeſta digerendi et aſſimilandi labefactatas habeant. Ita fere ſemper, cum febris inuaſerit, etiam quos artis

ter; qui in dextro fere ſex, et in ſiniſtro trium vnciarum pondus aequabat. Superiores pulmonum partes nigrae, pultaceae, foetidae. In piae meningis certo et circumſcripto loco ſiniſtri lateris rubor inflammatorius, in cerebri ſubſtantiam plane non penetrans. Mollities encephali naturali non major; in ventriculis lateralibus multum lymphae, in plexu choroideo hydatides paſſim; reliqua ſatis integra reperiebantur.

Probabile videtur, graues, quae repertae fuerunt, viſcerum quorundam corruptiones, antiquiores ea febre, quae mortem attulit, origines habuiſſe, cum alias ſub antiſepticorum, initio mitiorum, dein autem efficaciſſimorum, largo nempe extracti corticis peruuiani et vitrioli ſpiritus, modico etiam aluminis et ſub decreſcentibus viribus circulationis atque ſyſtematis neruoſi perturbatione, camphorae, moſchi et vini, licet vbique cauto vſu, eum ad gradum vix peruenire potuiſſent. Remedia enim vſurpata morbo accommodata fuiſſe, pariter ac hujus vim illorum; ſecundum indicantia exhibitorum, efficaciam ſuperaſſe, cadaueris luſtratio ſatis euidenter nobis declarabat. Maxime autem veri etiam ſimile cenſendum, peculiarem qualemcunque in aedibus, quas defunctus inhabitauit, cauſſam, tunc epidemicam latuiſſe, quae aliquam ſimul ipſius morbo anſam dederit. Fere ſimili enim ratione, circa idem tempus, quo beatus aegrotauit, febribus petechialibus grauiſſimis, eadem in domo, maximo cum vitae periculo laborarunt et aedium domina, et ancillae duae, et ſeruus, et Chirurgus juuenis, medicinae quoque ſtudiis deditus, ex quibus quatuor priores ill. etiam Praeceptor curandos habuit, qui tamen omnes quinque ex voto plane conualuerunt.

artis peritus quilibet antea ſaniſſimos judicaſſet, ex catarrho, ex variolarum inſitione, vel aliunde, prout quandoque accidit, ſubito exorta, ſtatim valde fractas ac infirmatas artuum, ſtomachi et mentis vires animaduertimus. Omnino ſaepe peculiares quasdam, et nonnunquam plures ſimul concurrentes languoris hujus cauſſas obſeruare licet, attamen et quandoque de nullis harum, quamuis accurate inquiſiueris, conſtat; vt ideo non ſine ratione febribus atque febrilibus morbis infirmitas iſta eſſentialis a doctis viris habita reperiatur. Ita inter alios etiam cel. SAVVAGES in generali tradita febris definitione pulſus frequentiae *artuum debilitatem*, pro vlteriori charactere jungendam eſſe cenſuit *i*). Non tribuenda vero haec debilitas ſoli circulationi auctae, cum haec ſaepe, et multo quandoque celerior ac plurimis in febribus aliunde orta obſeruatur, absque omni conjuncto artuum languore occurrat. Neque languor etiam hic in febribus circulationis reſpondet vehementiae, ſiquidem in grauiſſima nonnunquam pleuritide inflammatoria ſatis bonum in artubus robur, et in aliis diuerſae indolis mitioribus febribus ſumma quietis cupiditas reperiatur. Minuimus quidem ſaepe languorem in febre praeſentem auxiliis ad varias illius cauſſas directis, reliquum vero aliquem ejus gradum, eumque vna cum febre plerumque ſenſim increſcentem, remo-

uere

i) *Noſol. method. T. I. p.* 147. *et* 198.

uere non licet; qui ſub finem demum febris nunc ceſſat, nunc varia ratione ſaltim minuitur, ita, vt vires denuo ſenſim inualeſcant. Et vbi reliqua modo ſatis bona, viriumque circulationis moderate auctus vigor, nec mentis facultates nimis impeditae aut alienatae fuerint, non metuimus mediocrem, licet cum febre increſcentem, laſſitudinem, quod per ipſam dein febrem ad nouas iterum recuperandas vires tuta muniri via ſoleat. Aeque vero difficulter hujus fere perpetui febrium comitis, vbi alia ejus nulla praeter febrim cauſſa detegatur, ac ipſius febris veram originem quis explicauerit. Staſim tamen alicubi, eamque praeſertim in praecordiis haerentem, conjicere licet, quam coctio expediat, et criſes tollant; quum illa, quae ceſſante febre ſupereſt, debilitas, alias plerumque cauſſas, inopiam nempe aliquam humorum, conſumtasque motibus febrilibus, variisque ſaepe ſymptomatibus, vires habere videatur.

§. XIII.

Ex pluribus autem cauſſis grauioris in febribus debilitatis, frequenter inprimis *plethora*, eaque variae indolis, occurrit, quae quidem, et praecipue quae vera et abſoluta dicitur, extra febres quoque, vt ſatis peruulgatum, eundem non raro effectum producit; attamen facilius in febre, ſanguine per hancce jam commoto, rarefacto, atque nobiliores ad partes congeſto, cordique ad ictus celeriores ſtimu-

ſtimulato nunc magis reſiſtente, ſalutarem naturae virium efficaciam pluribus modis impedit. Non enim languorem artuum tantum in febribus auget plethora, ſed majorem quoque capitis grauitatem, et ſoporem inducit, ſenſuum internorum ac externorum vigorem ſaepe minuit, medicatricibus naturae viribus, quoad coctiones et excretiones aeque criticas ac leuantes; obicem ponit. Hinc eſt, quod aliquando etiam exanthematum illorum, quae criticae aut leuantis ſunt indolis, eruptionem impediat, cum venae tempeſtiua ſectione hanc et modo memoratas reliquas ejus noxas haud raro auertere liceat *k*). Sed notatu quoque maxime dignum, aliquando in febrium initio, quod ſagax docuit HVXHAMVS, fortes et plethoricos magna ſpirituum dejectione et vniuerſali debilitate, conjuncta cum pulſu grauiter oppreſſo, corripi, quae Medicos minus expertes, num ſanguinem emittere debeant, valde dubios reddit, licet hoc neceſſarium ſit, nec aliud quid aegros citius leuet; ſi praeſertim haec magna ex parte a morbi metu ac terrore oriantur *l*). *Suffocationem circulaturi*, alia inter plura mala, non ſine ratione ex plethora ſummus metuit BOERHAAVIVS, ipſumque hoc etiam ejus effatum perill. van SWIETEN accurate expoſuit et confirmauit *m*), qui et alibi inter cauſſas debilitatis

H 2 febrilis

k) MEAD *de variol. et morbillis, edit. Gotting.* 1748 *p.* 29. HVXHAM'S *Eſſay on Fevers. p.* 134

l) *Libr. alleg. p.* 138.

m) *Comment. in aph. Boerh. T. I.* § 106. *p.* 156.

febrilis nimiam sanguinis copiam expresse retulit, atque venaesectionem suppressas vires toties erigere notauit n). Et vel ipsis etiam animi deliquiis, in febrium praesertim initiis, plethoram interdum ansam praebere, clare jam docuit GALENVS o); idemque recentiorum etiam complurium obseruatione abunde confirmatum reperimus p). Qui vero praeterea perpenderit, quae alia symptomata ex plethora in febribus originem habere possint ac soleant, dum anxietatibus, inflammationibus, vigiliis, deliriis, conuulsiuis motibus, soporibus, haemorrhagiis, sudoribus largioribus, etc. excitandis plurimum confert; qui porro etiam abundantem sanguinem difficilius depurari, indeque illam ad putridam degenerationem proniorem fieri, eumque coctiones etiam et crises necessarias maxime impedire, is facile consentiet, quam plurimis modis ex plethora noxiam et periculosam in febribus debilitatem oriri, variasque medicatricis naturae vires per illam quoque diuersimode infringi et perturbari posse.

§. XIV.

n) *Ibid.* *T.* II. *p.* 285.

o) *de arte curat. ad Glauc. L.* I. *c.* 14.

p) SAVVAGES *Nosol. meth. T.* II. *P.* II. *p.* 395. SENAC *Traité du Coeur L.* IV. *c.* 12. *p.* 540. HOFFMANN *Med. Syst. T.* IV. *P.* IV. *p.* 266. HIERON. QVEYE Diss. de *Syncope et caussis eam producentibus. Monspelii* 1735. *p.* 86. in ill. de HALLER *collect. Diss. anat. T.* VII. *p.* 308.

§. XIV.

Intelliget vero etiam quisque facillime, quem plethorae differentiae a Medicis notatae, et a cel. in primis GAVBIO accurate expoſitae *q*), non latuerint, iſta fere omnia quoque, licet vario gradu, diuerſaque cum pertinacia, variisque cum aliis accedentibus aegrorum affectionibus, a reliquis plethorae ſpeciebus metuenda eſſe. Superſedere ideo nobis licebit, exponendis nunc reſpectiuae diuerſa ratione plethorae, quae et illam ad vires comprehendit, variaeque ſpuriae, ſiue apparentis, vel ad volumen dictae, quousque debilitatem inducant, poteſtatibus. Ipſe communis quoque rerum vſus quemuis docet, in aeſtiuo ſolis calore et in majore conclauis aeſtu, plerosque optime ceterum valentes multum fatigari. Etiam lipothymias ex rarefacto ſanguine et varia reſpectiua plenitudine quandoque generari, ſatis conſtat; eumque effectum ill. SENACVS praeclare inprimis expoſuiſſe videtur *r*). Quam ſaepe vero non etiam obſeruamus, febre correptos, ex regimine calidiori male adminiſtrato langueſcentes, eodemque imminuto, et aere liberiori atque frigidiori admiſſo, dein maxime refocillatos? Neque rara quoque obſeruatio eſt, aucto ex internis cauſſis aegrorum aeſtu, vires eorum, et praeſertim quidem animales, depreſſas, ab adhibita

q) *Inſtitut. pathol. med.* §. 387. *et ſeq.*

r) *Loc. cit. p.* 541.

ta curatione antiphlogiſtica denuo increſcere. Ill. autem Tissoto, plethora vera et abſoluta ſimplici frequentiorem longe eſſe ſpuriam et apparentem, docenti, pluribusque argumentis confirmanti *s*), lubenter quidem adſtipulamur; attamen perſuaſum quoque ſatis habemus, eum orgasmum, qui plethoram ſimulare queat, plenitudini quoad molem non raro conjunctam eſſe; darique orgasmum ejusmodi febrilem, praeſertim vbi de inflammatoria ſanguinis diatheſi conſtet, in hominibus, quibus ante morbum ſanguis non abundauerit, qui venaeſectionem plerumque et interdum quoque repetitam poſtulet. Eſt vero, quod ex orgasmo vehementiori, ratione virium inde minuendarum, in febribus fere plus noxae metuamus, quam ſola ex plethora, cui intenſior ſanguinis motus non conjunctus fuerit. Intelligimus enim facile, idemque ipſis etiam in aegris perſaepe comperimus, validius commoto et rarefacto ſanguine graues congeſtiones, inflammationes, corruptiones, euacuationes, vigilias, ſopores, dolores, anxietates, deliria et ſpaſmos cieri; quibus omnibus ſalutarem naturae efficaciam ipſis in deuincendis febribus maxime infringi poſſe, nemo forſan dubitauerit.

§. XV.

Multa praeterea ſunt, quae varias, certis modo partibus inhaerentes cauſſas, debilitatem nunc toto

s) *Diſſ. de febr. invalidiſſ. Lauſannae* 1758. *p.* 121. *et ſequ.*

toto in corpore, nunc vero in quibusdam ſaltim et interdum quoque vitalibus in functionibus, inducere confirmant. Inprimis autem ipſo encephalo, a repletis praeter modum capitis vaſis, propius affecto, variae indolis languores in febribus haud raro naſci, aegrorum obſeruatio ſatis euidenter docere videtur. Omnes fere norunt, quam moleſtus languor, quamque ingrata capitis grauitas, cum ſenſuum internorum torpore et ſomnolentia ſentire plerumque ſoleant, qui catarrho ad nares vel mediocris vehementiae laborant; quibus pleniora juſto capitis vaſa eſſe, rubor faciei, oculorum, narium, ſuſurrus aurium, calorque capitis auctus manifeſte teſtantur. Neque rara etiam illa eſt obſeruatio, capitis hebetudinem et fractas artuum vires percipi, vbi ob aluum diutius clauſam, collectosque flatus, aut ob alia, quae ſanguinis per abdominalia vaſa progreſſum difficiliorem reddant, major ejus copia ad ſuperiores corporis partes congeratur. Satisque inter Medicos etiam conſtat, orta vndecunque praeter naturam encephali preſſione, ſenſus externos aeque ac internos, neque minus motricem facultatem, quandoque et illam cordis, vario gradu minui, interdum etiam deleri *t*), indeque ſtupores, ſopores, paralyſes, apoplexias, hasque ſubito nonnunquam lethales, generari. Non ergo mirum, hoc ſub rerum ſtatu, vbi a ſanguine ad caput vberius congeſto, maxime debiles aegri ſunt, et vel

t) DE HALLER *elem. Phyſiol. T.* IV. *p.* 299-304. 346-349.

ipsa voce defecti jacent, aut vertigine tenebricosa corripiuntur, largiori sanguinis ex naribus fluxu illos ex voto saepe refocillari *u*). Nec dubitare, complurium ex obseruatione, licet, natam in aliqua parte encephali phlegmonen, ortumque inde apostema, sensuum potius hebetudini, languorique ac stupori, cum pulsu arteriarum debiliori ac tardiori, quam delirio, et praesertim quidem agiliori cuidam et furioso, ansam praebere *x*). Quae vero in febribus contingunt, sanguinis ad caput congestiones, in aliquo viscerum imi ventris, quae ad chyli officinam pertinent, vitio suam profecto saepissime originem habent. Vt enim praesentibus ejusmodi capitis affectionibus, quas distendenti ejus vasa sanguini tribuere licet, vel humorum aliquam stasin, vel certum quoddam irritamentum, si accurate attendamus, in praecordiis haerere plerumque animaduertimus; ita quoque ipsas sanguinis ex naribus stillationes, absque simili eisdem in partibus haerente vitio rarius obseruamus. Notatu ideo dignissima circa haec plurima certe sunt HIPPOCRATIS pronunciata, quibus praecordia, tumida, dura, dolentia, palpitantia, aeque capitis dolores, deliria, conuulsiones, ac narium quoque haemorrhagias

u) HIPP. *coac. n.* 77. 341. *Praedict. Libr.* I. *n.* 152.

x) *Conf.* TH. WILLIS *de anima brutorum p.* 161. *Oper. edit. Amst.* 1682. MORGAGNI *de caus. et sedib. morb. epist.* VII. *n.* 8. F. PRINGLE'S *obseruat. on the Diseases of the Army P. III. Ch.* 7. §. 4. *edit. in 4to. p.* 301. *sqq.* HOME'S *Medical facts and experiments p.* 12. 184. *sqq.*

rhagias ſignificare memorauit y). Eo vero probabilius illorum ſymptomatum, quae ſanguinis congeſtione caput in primis affectum declarant, cauſſam praecordiorum vitio cuidam tribuere perſaepe licet, quod ſimili ſub rerum ſtatu, quo narium haemorrhagia leuamini cedit, interdum et ſponte oborti vomitus, aut alui fluxus plurimum juuare ſoleant z).

§. XVI.

Neque, ſecundum accuratiores complurium obſeruationes, dubitandum, quin et illis in febribus, quas *malignarum* nomine inſignire multis libuit, quae nempe mitioribus ex initiis difficiles aegris inſidias parant, quarumque ſymptomata minus ac alias inter ſe, morbique temporibus, ob ſyſtema neruoſum perturbatum, conueniunt, et quas grauiores praeſertim capitis et neruorum affectiones comitari ſolent, quae praeterea quoque virium non ſolum animalium ſed vitalium etiam et ſpontaneas quaslibet functiones dirigentium, debilitatem ſolito majorem, ipſamque naturae poteſtatem, quoad coctionem et criſin perficiendam, occultioribus ſubinde atque dubiis ex cauſſis fractam ſiſtunt, primaria ſaepiſſime labes in praecordiis, varia ra-

y) *Coac.* 110. 280. 296. *Praedict.* I. 125. 144. II. 164. *Conferri quoque hac de re meretur* VAN SWIETEN *Comment. in aphor. Boerh. T.* II. *p.* 461-462.

z) H.PP. *Aph.* 60. *ſect.* IV. *Coac. n.* 77, 208, 210, 334. *Prognoſt. n.* 144.

tione alienatis continetur. — Nolimus tamen dijudicandae huic aliisue malignitatis febrium ideis, atque damnoſo hujus vocis abuſui, cui permulti indulſerunt, reprobando nunc immorari, quum hoc de argumento ſolide jam tractauerit, ejusdemque expoſitionem a ſe vlterius perficiendi ſpem fecerit Clariſſ. apud Stadenſes Medicus, mihique amiciſſimus, HENR. MATTH. MARCARD *a*). In memoratae autem indolis febribus, quales haud raro paſſim epidemicae reperiuntur, et quae praeter generale illud nomen, ob variam reliquam conditionem, quandoque et illa *catarrhalium malignarum*, *petechialium*, *bilioſarum*, *meſentericarum*, *inteſtinalium*, *gaſtricarum*, a Practicis obtinuerunt, plura atque certa omnino frequenter occurrunt vitioſae colluuiei, primas ad vias delatae, indicia. Vtque natura haud raro in hujusmodi febribus per vomitum et alui fluxum ſibi ipſi leuamen praeſtat, ſic etiam ſimili ratione, noxiam nempe iſtam eliminando ſaburram, artis auxilia, remittente ab officio natura, ad aegrorum ſalutem quam plurimum ſaepiſſime conferunt *b*). Quam plurimis vero atque certiſſimis Auctorum fide digniſſimorum obſeruationibus, quas et quisque artis in exercitio non plane rudis facile

a) *Diſſ. ſiſt. examen rigoroſius malignitatis febrilis. Goett.* 1770.

b) BAGLIV *Oper. Lugd.* 1733. *p.* 251. 388. SYDENHAM *paſſim, praeſertim in ſched. monit. de nouae feb. ingreſſu; Opp. p.* 517. *ſqq.* TH. GLASS *Comment. de febr. comm. VII.* HVXHAM'S *Eſſay on Fevers p.* 109. *ſqq. Ejusd. de aere et morb. epid. obſeru. anni* 1740. *Iun.*

facile ſaepius ipſe confirmatas viderit, maxime palam conſtat, colluuiei iſti non laſſitudinem ſolum artuum, ſed ſenſuum quoque internorum hebetudinem, ac omnem plane debilitatis formam, ſopores etiam, animi defectiones et apoplexias, ſuam perſaepe et ſatis manifeſte originem debere *c*). Eaque ratione et ſine dubio multis in febribus ſe res habet, et praeſertim quidem in illis, quae modo memoratis nominibus inſignitae fuerunt; ſiue humorum congeſtiones excitando, ſiue alia ratione ſyſtema neruoſum propius afficiendo, colluuies illa forte praeſens grauiorem vario gradu debilitatem inferat *d*). Habemus tamen, quod nobis caueamus, ne quorundam aſſertionibus nimis forte generalibus, quoad hujus cauſſae poteſtatem, plane confidamus; quum praeſertim iis in febribus, quibus, ſubdola poſt initia, febris mitioris indolem ſimulantia, grauior ſenſim et euidentior ſyſtematis neruoſi perturbatio accedit, ita quidem vt dolores capitis, colli, lumborum, manuum et ſurarum, pallida vrina, ſitis defectus, calor membrorum permutatus, incerti horrores, linguae tremor,

animi

c) *Conf.* HENR. IOS. REGA *de ſympath. ſ. conſenſu part. corp. hum. ac potiſſ. ventric. c.* VII. BOERHAAVE *praelect. de morb. neruor. p.* 460 SENAC *traité du Coeur T.* II. *p.* 545. 546. ROB. WHYTT'S *Works* p. 497-499. 547. Ill. SCHROEDER Reſp. GE. PH. KOCH *diſſ. de apoplex. ex praecord. vitiis origine. Goett.* 1767.

d) V. SWIETEN *comm. in aph. Boerh, T.* II. *p.* 271. SYDENH. *oper. p.* 56. *Conferri etiam plures merentur, quos Clariſſ.* MARCARD *laud.* Diſſ. *p.* 49. 50. *allegauit.*

animi incuria et abjectio, frequentius aut perseuerantius delirium et agrypnocoma, etc. absque solitis in meliori statu caussis, accesserint, probabili saepe conjecturae de inflammatoria stasi, praecordiorum in visceribus maxime, nonnunquam et in aliis, suborta, locus omnino esse videatur. Vt enim grauiorem hanc aegrorum sic decumbentium affectionem satis certa quandoque signa declarant, dolor praesertim, tumor, aestusque praecordiorum, vomitus frequentior non leuans, et singultus, lingua sicca aspera et fissa, nimisque rubra, aut nigra, cum paucis, subalbis, aut fuscis, et nimis foetentibus dejectionibus; sic etiam ipsae cadauerum sectiones ejusdem praesentiam subinde satis euidenter confirmarunt *e*). Ipso autem rerum vsu

e) *De hoc rerum statu intelligendus videtur* ARETAEVS cum *de curat. morb.* L. II. C. III. *edit. Boerh. p.* 100. *ad syncopen, quae a plenitudine ex ardente febre fiat, et vbi inflammatio aliqua insignis in praecordiis aut jecinore appareat, non differendam esse venaesectionem* suadet; pauloque post monet, *multo minus sanguinis, quam in aliis occasionibus detrahendum esse, quia vel minimus hic commissus error ad interitum duceret.* - - Caeterum conf. F. HOFFMANNI *Med. syst. T.* IV. *P.* I. cap. *de febr. ardente et choler. thes. path.* §. VI. *p. m.* 345. *de febr. petech.* §. VII. *p.* 260. v. SWIETEN *Comment. T.* II. §. 735. Etiam notabilia omnino sunt, quae BOERHAAVIVS *aphor.* §. 950. docuit, *ex iis quae de hepatitide et ictero multiplici proposuerit, intelligi posse infinita symptomata in morbis acutis occurrentia, quorum ignota ratio inanes malignitatis fabulas produxerit.* Attentionem quoque meretur BAGLIVI sententia: *quae nobis videntur malignae febres, a viscerum phlegmone aut erysipelate fiunt*, *Oper. L.* I. c. IX. *p. m.* 51. licet caussae huic dein adjungat

vſu edocemur, hujus indolis febres, quas forte phreniticas et paraphreniticas apte vocaremus, vel melius etiam generaliori acutiorum neruoſarum nomine comprehenderemus, frequenter ſimul ex genere eſſe bilioſarum; neque raro putredinis humorum nunc majoris, nunc vero minoris conjuncta indicia habere; quandoque tamen putredinis etiam et bilioſae colluuiei ſignis deſtitui; quo poſtremo ſub rerum ſtatu interdum ad inflammatorias, aliquando vero ad lentas neruoſas propius accedunt. Neque dubitandum, quum haud raro ita aegrotantium corpora vermibus ſcatere inteſtinalibus compertum ſit *f*), atque horum in perturbando morbo-
rum

gat p. 52. *apparatum prauorum crudorumque humorum in primis viis vel in maſſa ſanguinis.* Con entit quoad viſcerum inflammationes VALCARENGHI *Medic. rationalis Sect.* III. *c.* 2. §. 303. Vt quoque MORGAGNVS *de cauſ. et ſed. morb. epiſt.* XLIX. *no.* 35. et BRENDELIVS *Diſſ. de cognatione paraphrenit. et febr. malign.* §. X. Attamen illas nequaquam plane in vniuerſum omnibus communes eſſe, qui febribus hujusmodi paraphreniticis, ſubdolis, et neruoſa varia perturbatione ſtipatis exſtinguuntur, clare probant obſeruata TISSOTI *Diſſ. de feb. bilioſ. p.* 23. KLOECKHOFF *opuſc. med. p.* 55. ſeqq. BISSET *Med. Eſſays and obſerv. p.* 50. 53. 58. diſſectiones cadauerum proponens febre flaua Americana mortuorum. Praeterea vero nunquam non, vt ill. quoque MORGAGNVS docet, cogitandum, quae in viſceribus ſiue inflammationes ſiue gangraenae, ſiue alia diſſecantibus ſe obtulere, effectum potius praecipui latentis morbi quam morbum ipſum facile fuiſſe. *De cauſſ. et ſed. morb. ep.* LXVIII. *n.* 3.

f) PRINGLE'S *obſerv. on the diſeaſes of the Army p.* 171. HVXHAM'S *Eſſay on Fevers p.* 271. Ejusque *obſerv. de aere, et morb. epid. anni* 1743. *menſis Apr. et Maji; Lipſ. p.* 283. 290.

rum decurfu, plurimisque praefertim fymptomatibus neruofis producendis, permagna fit poteftas g), quin et peculiaris ifta grauis er maligna dicta febrium multarum indoles ab alienis hisce hofpitibus vel ex parte fuam quandoque originem habere queat *h*). In modo memoratis ideo neruofis acutioribus a nobis dictis febribus, ob reliquam earum maxime discrepantem indolem, vix quid perpetui, ratione debilitatis, exfpectari poterit. Si grauioribus aliis immunes fuerint infirmitatis cauffis, aegri quandoque non initio tantum morbi, fed ejus etiam in progreffu, corpora erigunt, nonnihil ambulant ab aliis parum fuftentati, foli extra lectulos in fellis confident; talisque virium ftatus fpafticas inter permutationes periculofas interdum quoque obferuatur *i*). Horrendus vero fub herba quandoque anguis latet, vbi varia glifcentis phrenitidis indicia cum debilitate fub initiis febrium conjuncta fuerint; fecundum illud Hippocraticum: *inter initia foporofi, cum capitis, lumborum, praecordiorum, ceruicis, dolore, peruigiles, annon phrenitici funt k)?* Peculiaris etiam debilitas, huc forte referenda, fequentibus defignatur; *qui fopore oppreffi, circa initia breuiter ex-*

g) ROB. WHYTT'S. *Works. p.* 573. 574.

h) Praeclariffime de hac medicinae parte meritus eft cl. VAN DEN BOSCH in libro quem infcripfit *Hiftoria conftit. epidem. verminofae. Lugd. Bat.* 1769.

i) Hujusmodi rerum conditionem etiam in populari noftro b. SIEMSEN obferuare nobis licuit.

k) *Praedict.* L. I. *n.* I. *conf. Coac. n.* 175.

exſudantes, cum vrinis coctis, ardentes, citra judicationem perfrigeſcentes, et breui rurſus ardentes, torpidi, ſoporoſi, conuulſi, perniciose habent l); itemque his: *mentis emotiones tremulae, obſcurae, palpatoriae, prorſus phreniticae m)*. Quam diuerſiſſimam vero in his, plurimisque aliis ab Hippocrate notatis, rerum conditionem animaduertimus, perturbato ſimul ac infirmato ſyſtemate neruoſo.

§. XVII.

Jam vero ſatis quidem certo conſtat, cum indole illa modo memorata febrium, quas generatim neruoſas dictas velimus, humorum craſin tali ratione alienatam non raro conjunctam reperiri, qualis putredinis nomine diſtingui ſolet, nihilominus tamen habebimus, quod nobis caueamus, quo minus easdem ipſas febres, atque veras putridas, quas diſcrimen verum intercedit, inter ſe confundamus. Vt enim quandoque phrenitides, haeque ſubinde paucis diebus lethales *n*), aliaeque febres, cum perturbatis ex occultiori cauſſa cerebri et neruorum functionibus *o*), occurrunt, vbi putridae cujus-

l) *Coac. n.* 180.

m) *Praedict.* L. I. *n.* 34.

n) Conferri merentur hiſtoriae phreniticorum in HIPP. *Epid.* L. III. LIND. *T.* I. *p.* 716. 733. FORESTI *obſeruat.* I. *et nonnullae ſequentium* L. X. SYDENHAM *ſect.* I. *c.* IV. *p. m.* 69. PRINGLE'S *obſ. p.* 133. Vbi ait: *The phrenitis happens indifferently in the bilious, malignant or inflammatory Fever.*

o) Conf. BRENDELII *Diſſ. de cognat. paraphrenit. et feb. malign.* MORGAGNI *l. c. epiſt.* XLIX. *n.* 13. 14. 22. 23. Plura exempla

cujusdam corruptionis indicia fere nulla, neque majora, ac in miti febre intermittente vel simplici quadam catarrhali animaduertere licet; ita quoque de neruosa lenta febre, in qua pariter ac in modo dictis, uaria ratione perturbatae, oppressae et consumtae naturae vires, occultioribus ex originibus, reperiuntur, manifeste liquet, aegrorum corpora indiciis verae putridae talis corruptionis, qualem alias hoc nomine intelligimus, subinde plane destitui *p*). Atque ex contraria parte satis etiam constat, ejusmodi dari febres, quibus putridam indolem denegare nemo possit, quum hujus indicia cuiuis quandoque sint euidentissima, quae tamen simul systematis neruosi vigorem, quoad vires tum animales, tum spontaneas dictas, praesertim et illas circulationis, fere integrum, neque magis ac ordinariis in facilioribus febribus alienatum, conjunctum habent *q*). Minime vero in dubium vocare ausim, putridam humorum corruptionem ad caussas pertinere debilitatis; attamen, quo rectius hoc symptoma aestimare queamus, varias istius corruptionis

pla hujus generis febrium, ipsarumque phrenitidum, in quibus probabilia putridae humorum corruptionis indicia plane defecerant, suis in lection. pract. nobiscum communicauit Ill. SCHROEDERVS.

p) V. LANGRISH'S *modern Theory and Practice of Physic* p. 329. HVXHAM'S *Ess. an. Fev. ch. VI.* vbi ex instituto de differentia lentar. neruos. atque putrid. febrium egit. Eandem quoque differentiam notauit PRINGLE *libr. cit.* p. 339.

q) Exempla nonnulla memorauit *clar.* MARCARD *Diss. alleg.* p. 52. 53.

ptionis origines, gradusque et conditiones reliquas diſtinguere omnino expedit. Generatim quidem putredinem naturae vigori facile aliquam inferre vim poſſe, quisque conceſſerit, quod irritando grauiores ſaepe congeſtiones ad viſcera nobiliora producat, quod fluxibus ſanguineis, aliisque nimiis et intempeſtiuis excretionibus, humores diſſoluendo, anſam praebeat, quod etiam quandoque proxima noxiorum halituum in neruos actione vires ipſorum proſternat; ſed ſi illas perpendamus, quae occurrunt, corruptionis illius varietates, magnam tamen in efficacia ejus debilitante diſcrepantiam facile animaduertemus. Interdum nempe inflammatoriae, aliaeque febres imputres, ſiue cum aliqua certae partis inflammatione conjunctae ſiue hac immunes, ex medela conueniente intermiſſa, adhibitisque forte regimine, victu, medicamentis calefacientibus, humores commouentibus, excretiones neceſſarias inhibentibus, in putridas ſenſim tranſeunt *r*). Quandoque et ſanguinis abundantia, humorumque impuritas, vitaeque vires aliunde debiliores, efficiunt, vt major nunc ad corruptionem putridam pronitas oriatur. Quum autem de reliquo,

r) Conf. SYDENH. *Sect.* II. *c.* II. *p. m.* 106. *ejusque ſched. monit. de nouae febr. ingreſſu p. m.* 540. Etiam v. SWIETEN *Comment. T.* II. *p.* 419. bene notauit, *dum mala medendi methodo tentantur ſimplices febres, mutatis a naturali ſua indole humoribus, in ſynochum putrem degenerare poſſunt.*

quo, varia ſint vitiorum curationis, quae ad illum euentum ducant, genera et gradus, ipſarumque febrium illarum, quae ad imputres recte referuntur, inſignis differentia, praetereaque permultum, quoad hanc noxam, peculiari cujusque corporis tribuendum ſit conſtitutioni; neque minus praeſens aeque ac praegreſſa tempeſtatum victusque ratio plus minusue perſaepe putridae humorum degenerationi vel faueat, vel obſit s), nemo certe non largietur, diuerſiſſimam eſſe poſſe rerum, in excitata ſic putredine, conditionem. Atque hunc varium maximeque diſcrepantem euentum, nobis interdum ſerius aduocatis, etiam ratione debilitatis, obſeruare contigit, vt quidem in quibusdam, iisque praeſertim ſimplici antea inflammatoria febre correptis, non deficientibus putredinis manifeſtioribus indiciis, corpus erigendi, ſuasque moleſtias enarrandi, poteſtatem, cum ſatis laudabili ſecretionum et excretionum ſucceſſu, animaduertimus; quum longe minorem in bilioſis et neruoſis, ex putredine accedente, vigorem virium obſeruare plerumque liceat. Vidimus in Collegio ill. SCHROEDERI Clinico, in quo non ſine inſigni meo emolumento quam plurimos notatu digniſſimos morbos, eorumque curationes per annum obſeruare mihi licuit, etiam verminoſos infantes, quos ex diu tolerata majori lumbricorum copia, febris cum liuidis pe-

s) conf. WINTRINGHAMI *comment. noſol. in Works Vol. II. p.* 207. 211. 296. *ſqq.* et alibi paſſim.

petechiis aliisque putredinis ſignis afflixit, viribus corpus erigendi et ambulandi non plane deſtitutos, nec de reliquo valde infirmatos. Ex abundantiori quoque purulentae materiae copia, putrida laborantes variolarum ſecundaria febre, immo etiam aliquando cum ſubliuidum paſſim cernatur pus, ſatis bonis artuum, cordis et animi viribus non raro adhuc praeditos, viriumque naturae ſuperſtitem in illis poteſtatem, ad ſuperandum morbum ſatis efficacem, perſaepe obſeruamus. Nonnunquam ex occulto quodam corporis vitio, quod quandoque abſorpto vomicae antiquae corrupto puri, aliquando et bili acriori collectae et retentae tribuere licet, gangraenoſae oriuntur in variolis puſtulae, et cum in his tum in aliis acutis maculae liuidae multae nonnunquam accedunt, viribus iſtis ſimiliter non valde proſtratis. Vt ideo ſua inter ſe afferta conciliare vix poſſe videantur, qui ad malignitatem virium inſolitam debilitatem requirant, ſimulque veram ejus indolem in putrida humorum corruptione conſiſtere tradunt.

§. XVIII.

Plerumque vero grauior apparere ſolet debilitas iis in putridis, quae ex humorum corruptorum, variae ceteroquin vitioſae indolis, praeſertim vero bilioſorum, in praecordiis collecta, ſenſimque augeri ſolita, colluuie plus minusue pendent, atque ad *gaſtricas* Ballonii, Baglivique

mefentericas, multorumque *biliofas*, aliorum etiam ad *ardentes*, referendae funt, faepiusque epidemicae obferuantur, atque fub nominibus *catarrhalium malignarum*, *petechialium*, *malignarum fimplicium*, a multis defcriptae reperiuntur. Quum enim et absque putridae febris notis, vt jam fupra monui, vitiofus in praecordiis haerens humor per confenfum variae indolis debilitatem inferre queat, multo certe facilius, turgefcentia febrili accedente, putredinemque corrupti fomitis augente, aut cauffa communi et reciproca cum ifta colluuie etiam reliqui corporis humores inficiente, majorem ad gradum illa perduci poterit. Atque harum febrium fi defcriptas a fidis Auctoribus hiftorias perlegamus, ipfasque fubinde occurrentes intueamur, cum his perfaepe artuum ab initio proftratas vires, immo et aliquam ante febris initium laffitudinem et vertiginem, praeterea in febre de membris quafi conquaffatis ac obtufe dolentibus querelas, et erigendi corporis impotentiam, et motuum quandoque fimul internorum languorem, nonnunquam et pronitatem ad animi deliquia, et fomnolentiam, et oppreffam perturbatamque naturae ad morbum deuincendum efficaciam, conjunctas effe, facile nobis compertum habere licet. Minor vero debilitatis, omnibus in functionibus, modus aegros illos corripere folet, qui absque vitiofa praecordiis inhaerente colluuie, fed interna tamen ex cauffa, quae circulantes humores infecerit, putrida quadam

dam febre laborant *t*). Vbi autem his grauior debilitas accesserit, eadem ſaepe pertinacior et periculoſior ac in illis ex colluuie reperitur, quum cauſſam difficiliorem, vt vitium corporis antiquum, inflammatoriam ſtaſin in gangraenam tendentem, etc. non raro habeat; dum e contrario in altera illa febre, debilitatem etiam valde grauem vel ipſis etiam catharticis et emeticis deuincere perſaepe liceat *v*). Verum ab harum putridarum vtraque, vt origine, ſic et vera ſua indole ac debilitatis conjunctae modo, multum diſcrepant, quae foetidis corporum diuerſi generis, aquarum nempe ſtagnantium, vegetabilium corruptorum, in primis vero animalium putridorum, atque ex his praecipue putridis hujusmodi morbis jam laborantium, exhalationibus, excitantur, facileque per contagium, cum permagna hominum ſtrage, vlterius propagantur. Ipſum quidem facile ſe diffundens contagium ſolam hujus morborum generis naturam non ſatis definit, quum, vt de variolis et morbillis conſtat, atque de vera peſte *x*), ſimiliter ac de qui-

t) Pulchre hanc putridarum differentiam expoſuit cl. van den BOSCH. *Hiſtor. conſtit. epid. verm. p.* 45. *et ſqq.*

v) SYDENH. *opp. m.* 56. 370. BAGLIV. *opp. p.* 702. HVXHAM *Eſſ. on Fevers p.* 109. 142. *ſqq.* TH. GLASS *comment. de febr. p.* 116. *ſqq.* 124. 149. 155. CAR. STRACK *obſeru. de morbo cum petechiis.* TISSOT *diſſ. de febr. bilioſ. p.* 32.

x) SYDENH. *oper. p.* 110. 117-120. *Traité de la Peſte. a Paris* 1744. *p.* 41. ADAMI CHENOT *tract. de peſte. Vindob.* 1766. *p.* 59. *ſqq.*

quibusdam contagiosis petechiis y), confirmatur, mitem quandoque decursum, indolemque a putredine et neruosa perturbatione alienam, contagia febrilia producant, praetereaque certis animantium generibus proprii dentur morbi contagiosi z). Illud quidem commune est hisce specificis contagiis cum putridis memoratis exhalationibus, quod neruos praesertim, seu vitale ipsum in corporibus principium, aggrediantur a), atque per hujus alterationem, bilis etiam secretionem et crasin, plurimasque functiones perturbare soleant b). Febres autem illae, putrido ex fomite primum genitae, et ab vno in plures, etiam sanissimos dispergi solitae, frequenter in primis in carceribus, nosodochiis, nauigiis, castris, ergastulis, et oppugnatis vrbibus, obseruantur, indeque a multis *febres carcerum*, *nosodochiorum*, etc. ab aliis etiam *pestilentiales* dictae fuerunt; quandoque et sub nomine *pestis* descriptae, et persaepe sub illo *malignarum febrium* comprehensae, aut eodem κατ' ἐξοχὴν insignitae, reperiuntur. Hujusmodi autem in febribus, prouti ex accuratis, praecipue recentissi-

y) STRACK *de morb. c. petech. p.* 19. 119. *sqq.* KLOECKHOF *opusc. med. Traj. ad Rhen* 1747. *n.* 94. *sqq.*

z) *Traité de la Peste p.* 125. 209.

a) *Ibid. p.* 75. MEAD *diss. de peste; edit. Gött. p.* 33 *sqq.* HVXHAM *on Fevers p.* 106. 139.

b) WINTRINGHAM'S *Essay on contagious diseases; Works Vol. I. p.* 233. HVXHAM *on Fevers p.* 109.

tiſſimorum Medicorum, WINTRINGHAM *c*), PRINGLE *d*), HVXHAM *e*), MONRO *f*), BROCKLESBY *g*), obſeruationibus euidenter conſtat, non modo ſingularis artuum languor apparet, ſed grauis etiam, per omnes functiones corporis, atque mentis facultates, infirmitas magis magisque diffundi ſolet; quae ipſa irregulares horrores, pulſum increſcente morbo depreſſiorem, caloris defectum, animi deliquia, ſtuporem, torporem, deliria, motusque ſpasmodicos, in multis producit. Atque licet initio multi aegrorum adhuc orthoſtadii reperiantur, etiam in plurimis per aliquam morbi partem pulſus naturali non minor, atque ideo etiam in diagnoſi error non facillime ſemper euitetur *h*), pro integro tamen reliquo aegrorum ſtatu, cauſſisque illis, quas detegere conceſſum, ſolito grauior et adverſus remedia alias laudabilia et efficacia, magis refractaria et pertinax, ac intimis quaſi corporis meditulliis inhaerens infirmitas, inter morbi hujus characteres potiſſimum prae aliis eminet. In multis quidem non deficiunt manifeſtiores variae, etiam alias obuiae, debilitatis cauſſae, ſiquidem non raro vitioſa et putrida colluuies praecordiis in-

c) *Eſſ. on contag. Diſeaſes.*

d) *Obſerv. on the diſeaſes of the Army. ch.* VII. *on the Iail or Hoſpital Fever. p.* 287. *ſqq.*

e) *De aere et morb. epid. edit. Lipſ. p.* 268. *ſqq.* 240.

f) *Account of the Diſeaſes in the Hoſpitals p.* 1. *ſqq.*

g) *Oec. and Med. obſerv. p.* 200. *ſq.*

h) BROCKLESBY *l. c. p.* 208.

haeret, perturbataque est viscerum primae officinae functio *i*), quandoque vera etiam plethora praesto est, atque turgescentia sanguinis, nunc sani nunc etiam inflammatorii, et sub morbi progressu quoque dissoluti. Omni praeterea dubio vacat, inflammationes viscerum *k*), prae aliis forsitan hypochondriacorum atque cerebri *l*) accedere. Denique et euidentiora sanguinis putrescentis indicia sensim ac saepe satis cito sese exserunt *m*). Quum vero haec omnia eam ad conditionem debilitatis, quae his in febribus reperitur, producendam, sufficere non videantur, peritiores febre quilibet a peculiari putridi miasmatis in neruos actione illam majori ex parte esse deriuandam statuerunt *n*). — Maximi vero momenti est, febris hujus carcerum et nosodochiorum cum illa, quam *lentam neruosam* dicunt, quoad ipsam non solum debilitatem grauiorem, sed alia quoque symptomata, curationisque instituendae modum, insignem aeque conuenientiam ac illos intercedentem discrepantiam accurate cognitas habere. Praelucere in morbis hisce distinguendis sagax inprimis HVXHAMVS poterit *o*), cujus tamen ideae et praecepta hoc de argumento tradita,

i) Ita BROCKLESBY *l. c. p.* 203. *frequently a foul furred bilious tongue, and often a bad taste in the mouth came upon them.*

k) MORGAGNI *de causs. et sed. morb. ep.* XX. *no.* 4.

l) PRINGLE *l. c. p.* 300. *sqq. et* 338

m) HVXHAM'S *Ess. on Fevers ch.* V. *et* VIII.

n) *Conf. in primis* PRINGLE *l. c. p.* 337.

o) *Ess. on Fevers ch.* VI. *et* VII. *De aere et morb. epid. p.* 163.

tradita, apud alios optimos etiam Scriptores, Glass *p*), Langrish *q*), Wintringham *r*), Gilchrist *s*), Manningham *t*), Pringle *v*), Home *x*), aliosque, abunde confirmata reperiuntur. Primarium characterem lentae hujus neruoſae febris in eo poſuit Hvxham: *the slow nervous Fever frequently runs on to a great Length of Time, without any conſiderable Signs of putrefaction y*), licet etiam largiatur, vbi diutius durauerit, ſeri corruptionem accedere *z*), et hanc febrem cum putridis veris quandoque complicari *a*). Contagium qualecumque anſam huic febri in diſpoſitis praebere poteſt *b*), ſiquidem et varioloſa febris, et plures quoque aliae, hujus interdum indolis obſeruantur *c*), attamen idem pro cauſſa minime poſtulat. Propoſita hujus morbi hiſtoria, et recenſitis antecedentibus ejus cauſſis ſubjungit Hvxham: *Whence I thinck it evident,*

I 5

p) *Comm. de febr.* p. 130. *ſqq.*

q) *The modern Theory and Pract. of Phyſic, ch.* X. *p.* 329.

r) *Comment. Noſol. in Works Vol.* II. *p.* 203. 222. 225. *et alibi paſſim.*

s) *Med. Eſſ. of Edinb. Vol.* IV. *et* V.

t) *On the Febricula.*

v) *l. c. p.* 338.

x) *Med. Facts and Exper. p.* 1. *ſqq.*

y) *Eſſ. on Fevers p.* 12.

z) *ibid. p.* 89.

a) *ibid. p.* 73.

b) *ibid.*

c) *ibid. p.* 127. *et cl.* FELLINGER Praeſide SCHROEDERO habita diſſert. *de variolar. diſtribut. in primis rat. febr. conjunct.* §. XIII. Etiam cl. ELLERT eod. Praeſ. habita *Diſſ. de pleurit. partit.* XII.

dent, this diseafe arifes from a too relaxed ftate of the folids, a poor weak Blood, and a Lentor and Vapidity of the lymphatic and nervous Iuices d). — Ex pituitae, in primis viis et reliquo corpore abundantis, lentore et peculiari corruptione, has praefertim febres deriuauit TH. GLASS *e*), eademque fere eft FRANC. HOME fententia *f*). Sed hic ipfe clariff. Auctor cadauerum infpectione quoque detectas in cerebro ac cerebello fuppurationes refert *g*), atque alibi hujus etiam obferuationis exemplum proponit *h*). TH. quoque WILLIS in cadaueribus, ex febre plane fimili defunctis, *vafa meninges perceptantia fanguine plurimum turgida, quafi fere tota cruoris maffa in capite aggefta effet*, fe confpexiffe, retulit *i*). Confentit quoque ill. PRINGLE: *The Fevers*, inquit: *of the low and nervous Kind carry ftrong marks of an inflammation of fome part of the Brain k*). Attamen perpetuam hanc effe conditionem febre hac laborantium, non facile quis contenderit, qui graduum et varietatum ejus hiftoriam integriorem animo tenuerit. Ex hisce vero jam fatis apparet, quaenam peculiaris his in febribus fit cauffarum debilitatis indoles, et in quam graui difcrimine inde praefertim

tim

d) *ibid. p.* 30.
e) *l. c.*
f) *Princip. med. p.* 77. §. 3.
g) *ibid.* §. 4.
h) *Med. Facts and Exper. p.* 12.
i) *De morb. conuulf.* C. VIII. *p. m.* 51.
k) *l. c. p.* 338.

tim aegri verſentur, quod hoc ſymptoma per omnes fere corporis animique ipſorum functiones diſtributum eſſe ſoleat.

§. XIX.

Singularem praeter haec attentionem debilitas illa meretur, quae in vigorem febrium non raro incidit, eamque dierum praecedentium perſaepe quoque ſuperat, et quam ipſa praeſertim ſalutaris naturae efficacia quandoque producere ſolet. Plures quidem ſunt cauſſae, quae conjuncta poteſtate ingraueſcenti eo tempore debilitati anſam praebent, verumtamen a reliquis ipſa naturae molimina diſtinguere expedit, quibus praeparatam materiem febrilem eliminare contendit; quippe quae, dum hocce negotium aggreditur, alia inter ſymptomata, plerumque ſimul grauiorem virium praeſertim animalium languorem, et maxime quidem ſpaſticas per congeſtiones, inducit *l*). Non quidem eſt, quod dubitemus, grauiores tales criticas perturbationes, quales a veteribus memorantur, per ſatis efficacem, ſimulque morbis ex omni parte accommodatam medendi rationem, prouti optime notauit ill. de Haen *m*), multo rariores reddi; attamen ipſe vſus rerum ſatis euidenter quoque docet, naturae omnino, vt in coctionis et criſeos, ita etiam ipſius in per-

l) Conferri merentur HIPPOCRATIS pronunciata, *coac.* 19. 182. 208. 555.

m) *Rat. m. d. P.* I. *p.* 70. 71.

perturbationis criticae negotio, singularia quaedam jura esse, quibus priuari se impune haud sinat *n*). Hoc autem sub rerum statu, eo vtique melior spes fausti est successus, quo integriores de reliquo naturae vires, quoque minus suis in muniis impeditae fuerint; quum alias vel ipsae morbi grauitate opprimi, vel aeger mala etiam crisi exstingui queat *o*). Non raro tamen imbecillior quoque natura ex caussis est longioris morbi durationis minusque perfectarum crisium, et inprimis quidem variae indolis abscessuum, tunc praesertim, vbi haec in febre minus lethali conjuncta fuerint, citius aut serius aegro accidentium *p*). Verum in id omnino sollicite semper attendendum, ne meliorem hanc rerum conditionem qua valentior in reliquis natura virium animalium languorem comitatur, eumque ipsum forte produxit, cum oppressa aut plane impedita ejus ad coctionem et crisin necessaria facultate, vel vndecumque fractis, detritis, aut consumtis ejus viribus vnquam confundamus.

§. XX.

n) Conf. KLOECKHOF *de crisibus p. 203. sqq.*

o) Conf. PROSP. ALPINVS *de praesag. vita et morte* L. VI. C. XI.

p) Conf. MARC. AVREL. SEVERINVS *de recond. abscess. natura* L. I. C. IX. Notatu etiam dignissima complura huc spectant HIPPOCR. dicta, vt *Progn. n.* 78. 139. *Coac.* 143. *Aph.* 31. 37. 44. 56. *sect.* IV. *Epid. L.* II. LIND. *P.* I. *p.* 687.

§. XX.

Breuiſſimis memorare ſufficiet reliquas euidentiores debilitatis febrilis cauſſas, quibus aegrorum vires minui fere neminem latere ſolet. Referendae huc ſunt excretiones praeter naturam euenientes, aeque ſanguineae ac ſeroſae, vbi neque leuantium neque criticarum indolem habuerint, aut vbi etiam commodo antea ceſſerint, dein tamen in aegrorum damnum abundauerint. Quemadmodum vero, pro diſcrimine corporum et febrium, certae excretiones prae aliis in ſalutem cedunt; ita quoque viciſſim, vna prae aliis illarum excretionum ſubinde grauiorem aegris noxam infert, magisque vires eorum infringit, ſiue ſponte orta ſiue ſiniſtro medentis inſtituto excitata fuerit.

Sed majoris etiam momenti metuenda ſaepe debilitas eſt, vbi ſyſtematis neruoſi, quoad functiones animales, actuoſitas modum exceſſerit; ſiquidem vigiliae diutius perſeuerantes, dolores, anxietates, deliria, motus conuulſiui, praeſertim quoque vires conſumendo febrium decurſum periculoſiorem reddere ſolent. Similis noxa eſt, quam curae, meditationes, metus ac triſtitia, aliique animi affectus interdum aegris inferunt. Neque vero praeterire licebit, debilitatem in febrium decurſu, ex ipſa etiam inedia increſcere, vbi cibi cupiditas plures per dies vel hebdomades defecerit, vel et ejusdem faſtidium pertinaciter inhaeſerit. Licet

enim

enim aegrorum hae affectiones damno perſaepe careant, immo etiam in commodum aegrorum frequenter cedant, minus tamen ratione ingraueſcentis debilitatis metuendum, vbi appetitus non plane deletus fuerit, vel idem idoneis adhibitis auxiliis aliquo iterum gradu breui redierit. Quare omnino quoque permagni momenti eſt prouida aegrorum appetitus cura, vt quoad fieri modo poſſit, non ſolum cauſſae remoueantur, nauſeam efficientes et appetitum proſternentes, verum talis etiam victus, qualis maxime conuenit, juſto tempore et menſura viribus aegri accommodata ipſi porrigatur. Tandem et regiminis vitia, ſiue calidius illud fuerit, ſiue juſto etiam frigidius et humidius, atque intermiſſa munditiei ſeruandae, aerisque renouandi cura, aduerſaque tempeſtatum et atmoſphaerae hinc facile deficienda conſtitutio, inter cauſſas debilitatis maxime attendi merentur. Licet vero harum quoque cauſſarum efficaciam ponderare omnino permagni ſemper interſit, ſuperfluum tamen atque nimis prolixum videtur, hoc loco illas vlteriori confirmare aut illuſtrare expoſitione.

§. XXI.

Explanatis hactenus debilitatis in febrium decurſu obuiae cauſſis, praecipua etiam adjungere et intertexere placuit, quae momentis ejusdem variis accuratius dijudicandis inſeruire poſſunt; ideoque, cum et conceſſi nobis temporis breuitas ad finem

finem properare nos jubeat, ſeorſim ſubjungenda *prognoſi* nunc ſuperſedere licebit. — Quoad auxilia vero, aduerſus debilitatem, aegris, febre correptis, ferenda, non ſolum ad ipſam ejus conditionem, quibus nempe in functionibus, et quo gradu, ſe exſerat, ejusque ad cauſſas, ex quibus orta fuerit, ſed etiam ſimul ad integram praeſentis morbi ſingularis indolem, et quem hicce, tum ſibi relictus, tum certa ratione tractatus, habiturus ſit exitum, reſpicere medentem oportet. Eſt enim non raro, quod bene perſpecto morbi praeſentis decurſu, ex ea, quae adeſt, debilitate, nihil mali eſſe metuendum praeuideas, vbi grauiorem modo artuum et ventriculi languorem, juxta cum integrioribus externis internisque ſenſibus, atque cum naturae ſatis actuoſo in coctione et criſi vigore, animaduerteris. Eſt etiam, hoc ſub rerum ſtatu, ſaepiſſime, vbi non ſolum ab iis omnibus, quae ſtrictiori ſenſu nutrientium, roborantium, cardiacorum, nomina ferre ſolent, ob certam eorum noxam, plane abſtinendum ſit, ſed vbi etiam talia potius remedia vſurpare conueniat, quibus debilitantem alias efficaciam nemo denegauerit, et quae nunc eo ipſo quoque fine, vt nimiam infringant virium vitalium vehementiam, adhibere conſultum ſit. Quamuis autem integri morbi conſideratio minuendam circulationem et aeſtum ſaepe poſtulauerit, omnino tamen de reliquo parcendum ſemper quoque viribus eſt, eaedemque nunquam non per

quie-

quietem, per abſtinentiam a nocentibus; et per ejusmodi nutrientia, quae febris, et reliqua aegri conditio, permiſerint, conſeruandae. Danda omnino quoque opera eſt, quo valentiores iterum reddantur, quae defecerint, vires, curationem aduerſus debilitatis cauſſas prudenter ita dirigendo, ne forte alia ex parte damnum grauius inducatur. Caueamus igitur hac ratione, ne querela BOERHAAVII, *rarum eſſe cardiacorum in acutis intellectum* q), in nos etiam cadat; maxime errorem illum cane pejus et angue fugiamus, quem merito damnat ill. van SWIETEN: *dum initio morborum acutiſſimorum oppreſſis viribus aegri jacent, malignitatem morbi accuſant imperiti, et cardiacis erigendas volunt vires, non absque ingenti ſaepe decumbentium damno* r). Nimis autem nunc longum foret, variam febrili huic ſymptomati medendi rationem, ſecundum ſingulas ejusdem cauſſas perſequi; quum non magnam ſolum curationis febrium partem ſimul exponendam poſtularet, ſed nec difficulter, ex probe intellectis iis cauſſis, de ferendis aduerſus illas auxiliis, cuiuis, noſtrae artis elementis imbuto, conſtare videatur. Ad ſatis certa enim et expedita pertinere exiſtimo, quibusdam in febribus quandoque conuenire cautum et prouidum vſum juſculorum, junioribus ex carnibus paratorum, et Peruuiani corticis, et affinium huic roborantium aliorum, et vini, et

q) *Aph. de cogn. et cur. morb.* §. 672.

r) *Comm. in aph.* BOERH. §. 672. T. II. p. 286.

et volatilium complurium remediorum, et veſicantium, et adſtringentium, et ſubfrigidi regiminis; contra vero, ſub aliis aegrorum conditionibus, per illa omnia graues induci noxas poſſe, dum corruptio humorum qualiscunque augeatur, congeſtiones damnoſae excitentur, nimiaeque moueantur, vel et neceſſariae inhibeantur, excretiones. Similique ratione euidenter etiam liquet, omnia, quae vires, in motibus aeque ac ſenſibus, alias infringere valent, ſanguinis nempe miſſiones, euacuantia, nitrum, acida, demulcentia, anodyna, etc. vbi cauſſis recte opponantur, ad vires aegrorum actuoſiores reddendas, quam praeſtantiſſime non raro inſeruire.

Neque vero praeſidium illud inſignis momenti, et in vrbibus praeſertim magna hominum frequentia celebribus ſumme neceſſarium, hoc loco praetermittendum videtur, quod, tum ad praecidenda febrium complurium epidemicarum, grauiori plerumque cum virium infirmitate conjunctarum, pericula, tum ad cauendum, ne communibus ex cauſſis hominum natura ſenſim langueſcat, a prouida merito exſpectamus Magiſtratuum vigilantia. Secundum certiſſimas enim a permultis Medicorum conſignatas obſeruationes, ad ſalutem ciuium conſeruandam et arcenda illa mala quam plurimum confert; ſi munditiei platearum ac domiciliorum, praeſertim anguſtiorum, et majori hominum copia refertorum, vt noſodochiorum, orphanotropheo-

rum, ergaſtulorum, carcerum etc. vbi multos non raro peſſimo in ſqualore ac foetore quaſi ſepultos reperire licet, maxime ſollicita ſemper habeatur cura *s*); ſi artificum illae officinae, quae tetros et ſanitati infeſtos ſpargunt halitus, vt illa coriariorum, ſalſamentariorum, fullonum, ſaponariorum etc. ex propiori ciuium commercio ad loca remotiora ablegentur, nec ipſa in vrbe tolerentur *t*); ſi aquarum potabilium puritati conſeruandae, et frequenter expurgandis ab omni faece canalibus, ſingularis attentio deſtinetur, et quo minus impurae minusque ſalubres aquae ad coquendam cereuiſiam vnquam adhibeantur, ſtudioſe defendatur; ſi accurate proſpiciatur, ne ſtagnantes aquae, corruptioni maxime obnoxiae, putridisque ſuis et peſtiferis exhalationibus vehementer nocere ſolitae, vllibi colligantur *v*); ſi tandem, quoad fieri modo poſſit, impediatur, ne fraudi ac negligentiae, quae in diuendendis cujusuis generis alimentis ac medicamentis quam frequentiſſimae obſeruantur, commodus

s) Conf. PRINGLE *obſerv. on the Iail or Hoſpital Fever l. c. Part. III. Ch. 7. §. 6. p. 319. ſqq.*

t) Conf. elegantiſſima Diſſ. plura quae hoc ſpectant, accurate exponens, b. PLATNERI *de morbis ex immunditiis. §. VII. opuſc. T. I. p. 77.*

v) Conf. lectu digniſſima ejusdem Viri ſummi *Proluſio de peſtiferis aquarum putreſcentium exſpirationibus; opuſc. T. II. p. 238.* Et in primis quoque IO. MAR. LANCISII *de noxiis paludum effluuiis, Libri duo; Oper. T. I. p. 135. ſqq. Venet.* 1739.

modus relinquatur locus x). Indefeſſis AMPLISSIMI SENATVS HAMBVRGENSIS pro ſalute *Ciuium* curis etiam debemus, quod inter alia cuſtodiendae ſanitatis publicae inſtituta, nuper illum Canalem, *der neue Herren-Graben* vulgo nominatum, qui exhalationibus ſuis certe non exiguam, etſi non ſemper plane manifeſtam, noxam ciuibus intulit, a ſordibus purgare juſſit. Minimeque dubitandum, quin alia etiam ad momenta, quae publicam ad ſalutem conſeruandam et pericula quaeuis auertenda, tot mea laude majores praeclari Medici commendauerint, ſagacem prouidamque ſuam attentionem ſint collaturi.

IV.

Diſſertatio de febrium putridarum differentiis. Publice propoſita Gott. 1768. Reſp. AVG. EBERH. BRANDE, *Hannouerano.*

PROOEMIVM.

Febrium putridarum nomen vt peruulgatum eſt et frequentioris apud medicos, non recentio-

x) De his omnibus conferri meretur IO. ERN. HEBENSTREIT, *anthropol. for. cap. de cauſſis ſanitatis publicae ordinandis. p.* 43. *ſeqq.* et ANT. GVIL. PLAZ Reſp. T. G. SONNENKALB *diſſ. de ſanitatis publicae obſtaculis.* Lipſ. 1754. et SüSSMILCHS *Göttl. Ordn. in den Veränd. des menſchl. Geſchl.* 1 *Th. p.* 108. *et ſqq.*

res modo nostraeque aetatis, sed etiam apud antiquiores, vsus; ita et attentus quisque horum scrutator varios distinctiuos facile reperiet hujus generis morborum characteres, in quibus optimi conueniunt scriptores.

Etsi quidem HIPPOCRATES nullum peculiare febrium genus putridarum nomine distinxerit, attamen ad putridae humorum corruptelae vim in producendis febribus quoque respexit. Sub τύφȣ enim nomine febrem, putridae cuidam recentiorum simillimam, comprehendere videtur, cum de illius caussis et symptomatibus sequentem in modum loquitur a): *Inuadit aestatis tempore cum canis sydus oritur, bile per corpus agitata. Statim igitur eum febres vehementes corripiunt, et grauis ardor, et cum grauitate imbecillitas, crurumque ac manuum impotentia quae nullum ei vsum praestant; venter perturbatur et quae ex eo dimittuntur grauiter olent, vehementiaque tormina accedunt etc.* Haec autem si cum febrium quarundam putridarum symptomatibus comparaueris, inuenies ea cum his ferme conuenientia. Patet autem ex curationis methodo quoque similitudo inter hunc typhum et febres illas putridas. Nam abstinentiam a balneis et cibo, sorbitiones tenues et frigidas, vinum, aliaque commendat, ad tollendum hujusmodi febrem putridam potissimum apta. Dicit etiam alium typhum gigni, cum bilis putre-

a) *De internis Affectionibus edit.* LIND. T. II. p. 246.

putrefacta admixta fuerit ſanguini *b*); iterumque alium, cum corporis humidum putrefactum et plus aequo reſiccatum fuerit *c*).

Sed clarius multo tradidit febrium putridarum expoſitionem GALENVS; nam non ſolum humorum putrefactionem inter modos recenſet, quibus febriles diſpoſitiones oriantur *d*), verum etiam quaenam febres hac ratione excitentur, et quomodo hae inter ſe differant, ex inſtituto definire contendit *e*). Ad praeſtantiores quoque contemplationes illam refert, qua disquiritur, num, et quemadmodum ex vtraque bile et pituita fiant quaedam febrium ſpecies, e ſanguine putrefacto febres accidere ſoleant *f*). Pariter alibi *g*), febres Synochos vel continentes in illas diuidit quae putredinis ſtipatae ſunt notis et quae his carent, pauloque poſt priorum febrium συνέχων genus ſic deſcribit, quod ibi *in omnibus vaſis, et potiſſimum maximis, ſucci aequabiliter putreſcant.* Paſſim in Operibus plura de febribus putridis profert. TRALLIANVS peculiare febrium genus ſub putridarum nomine pertractat, notasque illarum praecipuas ſtatuit nullum rigorem aut horrorem per vices redeuntem, qualitatem rodentem per extimas partes magis perceptibilem,

 pul-

b) *Ibid.* p. 249.
c) *Ibid.* p. 252.
d) *De different. febrium.* L. I. C. III.
e) *Ejusd. tractat.* L. II. C. I. et II.
f) *Ejusd. Libri* C. IX.
g) *Meth. med.* L. IX. C. II. et III.

pulſuum ſyſtolen citatiorem et inaequalem, et vrinarum cruditatem *h*). Aetivs vbi de febrium agit diuiſione *i*), in ſpiritibus ephemeram, in humoribus febrem putridam, in corpore cordis hecticam accendi aſſerit; et dein iterum tria ſumma conſtituit febrium genera, ephemeram nimirum, putridam et hecticam, et peculiaribus etiam in capitibus *k*) putridas febres pertractat. Hevrnivs de febre putrida vt ab aliis diſtincta loquitur, et illas diuidit in perpetuas vel nunquam remittentes et in eas quae interdum vehementiam ſuam remittunt *l*). Sennertvs febrem putridam dicit eſſe febrem, a vaporibus calidis e putredine excitatis, et cor atque hinc totum corpus praeter naturam calefacientibus ortum habentem *m*). Statuit Forestvs etiam ſingulare genus febrium ex putredine *n*). Lommivs binas diſtinxit febrium putridarum ſpecies continentem ſcil. et continuam putridam *o*).

Recentiſſimis autem auctoribus hancce placere denominationem ſcripta ipſorum ſatis docent. Boerhaavivs de putridis vt peculiari febrium genere agit, quod Synochum putridam vocat, atque hancce cauſſis inflammatione ſimplici majoribus, viſcerum obſtructioni, cutis oppilationi, et capillarium

h) *In Opp.* L. XII. C. II.
i) *Tetrab.* II. *Serm.* I. C. 58.
k) C. 74. et ſqq.
l) *Opp.* Tom. II. C. X.
m) *Opp.* Tom. IV. Lib. 2. Cap. I.
n) *Paſſim in Operibus.*
o) *Obſeruat. medicinal.* L. I. p. 3. et 5.

larium fere omnium, acrimoniae vero acutiori et ſaepe prorſus ſingulari, originem debere docet *p*). Quod FREIND peculiare febrium putridarum genus ſtatuerit, ex ipſius Commentariis de febribus ejusque de purgantibus in ſecunda variolarum febre adhibendis epiſtola, luculenter apparet. MEAD omnes quae corpus inuadere poſſunt febres in ſimplices, putridas, et peſtilentiales diuidit *q*). Ill. BOERHAAVII Commentator febris putridae nomen ſibi placere in commentario ſuper loco Boerhaauii modo citato oſtendit *r*). De HAEN febris putridae nomine ſaepius vtitur *s*). HVXHAM *t*), WINTRINGHAM *u*), PRINGLE *w*), TISSOT *x*), HOME *y*), MONRO *z*), omnes frequente vocis hujus vſu, quod applaudant ipſi, ſatis clare docent. Sed haec mihi ſatis ſuperque ſufficere videntur ad demonſtrandum, quod febris putridae denominatio apud optimos omnis fere aetatis auctores vſu recepta ſit.

p) *Aphorism.* §. 730. *ſqq.*

q) *Opp. edit. Edinburgh.* Tom. II. p. 110.

r) *Commentarior.* Tom. II. §. 730. ſqq.

s) *In Theſibus de febrium diuiſione praecipue, et in ratione meden. paſſim.*

t) Conf. *Eſſay on Fevers et Obſeruationes de aere et morbis epidemic.*

u) *Paſſim in Opp.*

vv) Conf. *Obſervations on the Diſeaſes of the army.*

x) *In Avis au peuple etc.*

y) Conf. *Principia medicinae.*

z) *Account of the Diſeaſes vvhich vvere moſt frequent in the Britiſh Military Hospitals.*

Etſi vero tot magni et ipſo rerum vſu ſubactiſſimi viri multum ſtudii et operae in dilucidanda hujus febrium generis indole nauauerint; facillime tamen cuiuis aequo patebit veri aeſtimatori, quantum ipſorum ſententiis inſit, etiam apud recentiſſimos auctores, quoad magni momenti conditiones, diuortii, quo haeſitans et anceps cujusuis lectoris animus reddi facile poſſit. Quare, cum verior de his febribus doctrina, ob illarum et frequentiam et ſummum cum iis maximam partem conjunctum vitae diſcrimen, et judicii de ipſarum diuerſiſſima natura et exitu difficultatem, tanti omnino ſit ponderis, vt ſollicitam omnium medentium disquiſitionem, proprios in vſus poſtulet; non arbitror me, ex lege academica ſpecimen inaugurale ſcripturum, oleum plane omne et operam perditurum fore, ſi, ſuadente Praeſide Illuſtri, Praeceptore et Fautore aeternum colendo, quae vel ex optimorum Praeceptorum inſtitutione, vel aliunde, aliquali etiam propria obſeruatione, certiora de putridarum febrium indole ac differentiis apparuerint, breui hac tractatione expoſuero.

§. I.

Cum autem de febribus putridis ſcripturus ſim, poſtulari mihi videtur, vt ideam putredinis generalem pauciſſimis primum verbis exponam, adjectis nonnullis de ipſius cauſis, ſignis atque effectibus, praecipue in corpore animali. Optimos autem per-

uoluens

uens hac de re autores, haud exiguum quidem inter eos reperio circa putredinis definitionem dissensum, cum vnus illam pro fermentationis habeat specie, altero id ex toto negante. Ita BOERHAAVIVS putredinem dicit *motum intestinum qui pro effectu dat olea putrida foetidosque alcalinos sales a*); illam autem a fermentatione distinguit, ad cujus scil. essentiam requirit spiritus ardentis vel acidi productionem. WALLERIVS autem putredinem definit per *specimen fermentationis, quae in corporibus mortuis in primis succulentis et aquosis, mediante calore et aere excitatur, unde principia eorundem constitutiua mobilia primum in eam transponuntur connexionem, qua odor producitur foetidus, deinde vero sensim plene separantur, relicta portiuncula terrestri immobili b*). GILBERT putredinem illum dicit corporis statum *quo solidae fluidaeque partes ex nexu suo deturbatae foetorem contrahunt c*). Sed sufficiant haec ad demonstrandum, quantum inter se discrepent et conueniant putredinis a variis autoribus datae definitiones. Mihi quidem putredo ea praesertim motus intestini conditione declarari videtur, qua partes corporis ad vltimas vsque dissoluuntur, atque ita mutantur, vt odor foetidus, saporque alienus penetrantior, et color plerumque profundior, excitentur, neque vinosa nec acida indoles liquidae parti concilietur.

K 5 Prae-

a) Conf. *Elementa Chemiae, edit. Lond.* 4. T. II. p. 67.

b) Conf. *Elementor. Chemiae physic. Part. Imae* p. 385.

c) *Dissertat. de putredine in corpore animali, Lipsiae* 1753. *habitae* §. II.

Praecipuae autem generales putredinis cauſae ſunt. 1. Atmoſphaera calida et humida. In eo omnes ferme conſentiunt autores aerem calidum et ſimul humiditate refertum praecipuam eſſe putredinis cauſam. Boerhaavivs affirmat corporum veram putrefactionem vix alia cauſa magis promoueri ac aere calido et ſimul humido *d*). Ill. Pringle quoque aerem calidum et humidum vt praecipuum incuſat putredinis fontem *e*). Aer humidus et frigidus forte, propter relaxationem, quam corporibus inducit, putredinem etiam accelerat, at in minori procul omni dubio gradu. 2. Effluuia putrida. Maxime autem probabile eſt haſce exhalationes fermenti modo in alia corpora agere, quam quoque ſententiam experimentum ab Ill. Pringle inſtitutum praeclare confirmat. Diuiſit nimirum recentis oui vitellum in duas partes aequales, et has, aqua dilutas, aequali expoſuit calori, vni parti portiunculam jam putreſcentis vitelli alius oui admiſcuit, alteram puram reliquit, et illam ocyus multo inuenit putreſcentem cui fermentum hoc addiderat *f*). Hinc etiam deriuari forte poterit ratio, cur omnia in aere clauſo facilius putreſcant ac in libero, in priori enim caſu retinentur vapores putridi et reliqui accelerant putrefactionem, in poſteriori autem per aerem ambientem magis diſſipantur, et

d) *In Elem. Chemiae* Tom. I. p. 183.

e) *Paſſim in Obſervations on the Diſeaſes of an army.*

f) Conf. *Appendix tho the Obſ. on Army Diſeaſes Paper III. Exper.* 18.

et motu ejus fugantur. Sunt hae caufae putredinis generales. Effectus autem in genere et figna ipfius ex data definitione fere fluunt. Sunt quidem fequentes. α) Omnia vincula rumpit et humores antea coagulabiles in tabum nunc difficilius coagulabilem diffoluit. β) Aerem antea fixum expedit. γ) Mutat colorem rerum actu putrefcentium et omnium odorem in foetorem conuertit. δ) Oleofa reddit rancida, fluidiora et foetida. Optimi fere omnes in eo olim conueniebant auctores, quod fal volatile alcalicum a putredine produceretur. Sufficiat STAHLIVM *g*), et BOERHAAVIVM *h*), allegaffe. Ill. autem PRINGLE experimentis fuis circa hanc rem inftitutis, optime demonftrauit, nullum, vel maxime faltem latentem falem alcalinum in pluririmis fubftantiis per putredinem gigni, vel ejusmodi certe falia ad putredinis effentiam non pertinere, nec crefcente ea augeri, et folam forfan vrinam fal volatile putredine exhibere *i*); et hinc error ifte forte ortum duxit. Generaliora autem praefentis putredinis funt figna, coloris natiui mutatio, foetor, folidorum major laxitas, aucta fluidorum tenuitas, nonnunquam et manifefte auctus calor.

§. II.

g) Conf. *ejus Fundamenta Chemiae.*

h) *In Elementis Chemiae.*

i) Vid. *Appendix to the Obfervations on Army Difeafes.*

§. II.

Operae autem pretium erit in caussas, signa et effectus putredinis in corpore animali paulo curatius inquirere, cum haec thema nostrum propius spectent. Generales putredinis caussae ad corpus animale applicatae, eundem et ibi edunt effectum. Humidus enim aer solidorum, propter laxitatem quam iis ex absorpto aquoso conciliat, infringit robur: minuitur ita horum in fluida contenta actio, quae, cum calore simul acriora fiant, his maxime ad putredinem disponuntur. Experientia quoque huic theoriae annuit; solent enim putridi morbi in tali aeris intemperie praecipue grassari, cujus rei testes Ill. PRINGLE *k*), et HVXHAM *l*), solum allego. Vix opus est vt dicam putrida effluuia septica vi in corpus etiam animale agere. Cum enim fermenti instar operari videantur, magnaque copia per pulmones, forte etiam per inhalantia cutis vasa hauriantur, noxia sua vi humores vt inficiant necesse omnino est. Frequentes morborum putridorum ex effluuiis putridis origines hoc vlterius confirmant. Assentit quoque huic de fermento exhalationum putridarum doctrinae Ill. PRINGLE *m*) et notatu dignissimum simul narrat casum, ortae ex vapore sanguinis putrescentis dysenteriae. Omnium autem pessima

k) Vide *Obseruations on Army Diseases.*

l) *Passim in obseruat. de aere et morbis epidemicis, praecipue in Prolegom.* p. 17.

m) *Obseruat. on the Diseases of the Army* p. 264. sqq.

ſima ſunt illa effluuia quae ex ſubſtantiis animalibus putreſcentibus per aerem diſperguntur, ſic vt MEAD *n*) credat, peſtilentiam veram ortum inde in calidis regionibus duxiſſe. Summa enim ibi tempeſtatis intemperies, ſummum iis conciliat putredinis gradum. Speciales autem, quae putredinem in corpore animali ciere valent, cauſae ſunt: 1) Putredo aliunde nata et in corpus recepta *o*), ita victus putreſcens morbis putridae indolis anſam facile praebet. Videtur autem haec etiam, vt fermentum in humorum maſſam agere. 2) Motus muſcularis nimium auctus et febris *p*). Binae hae cauſae eodem agunt modo. Ab aucto enim calore et motu, humores redduntur acriores, et ad putredinem proniores. 3) Abuſus victus animalis *q*). Partes animalium tendunt in fermentationem putreſcentem, vegetabiles in aceſcentem; in juſta ergo harum proportione ſalus. Vbi autem mere animalis fuerit diaeta, corporis humores in putredinem tendere facit, magis, ſi potus accedat mere aquoſus. Harum cauſarum creſcit vis, vbi debilia fuerint viſcera digeſtioni inſeruientia. 4) Excernendorum retentio *r*). Huc pertinet tranſpirationis, vrinae, et alui obſtructio. Materiam perſpirabilem extra

n) Conf. *Tractat. de Peſte.*

o) Conf. PRINGLE *Obſerv. on the Diſeaſes of the Army* p. 4.

p) HVXHAM *on Fevers* p. 53 et 54. VAN SWIETEN *in Tom. I. Commentar.* p. 116.

q) HVXHAM *on Fevers* p. 56.

r) VAN SWIETEN *Tom. II. Commentar.* p. 139. ſq.

extra corpus facile putreſcere, innumera fere triſtiaque demonſtrant exempla eorum, qui, in anguſto loco ſine libero aeris recentis acceſſu occluſi, vi materiae perſpirabilis putrefactae in morbos putridos citoque lethales inciderunt: hinc autem veriſimillimum eſt, hujus materiae in corpore praeter naturam retentionem, vel putredinem humoribus inducere poſſe, vel eos ſaltem ad illam maxime diſponere. Vrina autem ad abluendos ſales humorum acres deſtinata, ſic eorum putredinem arcet. Si ergo obſtruitur, ſalia haec in corpore remanent, humorumque acrimoniam ac diſſolutionem augent. Hinc in Iſchuriis plus noxae ex humorum acrimonia naſcitur, quam ex accumulati lotii copia *s*). Sin autem quae per aluum excerni debebant retinentur, ipſorum putredo indies augetur et reliquos humores inficit. 5) Abuſus ſalium, praecipue volatilium. Salia volatilia injuſta copia aſſumta putredinem ciere poſſe cel. HVXHAM inter alios aſſeruit *t*), et egregia comprobauit obſeruatione *u*), etſi extra corpus putredini, ſecundum experimenta ab Ill. PRINGLE inſtituta *w*), reſiſtant. Haud tamen penitus negat Vir Ill. ſalia volatilia, quantitate nimia temporeue injuſto ingeſta, humorum putredinem accelerare, ſed hunc effectum ab aucto ex eorum vſu calore et fluidorum motu potius, quam ex vi

ſeptica

s) Conf. HVXHAMS *Eſſay on Fevers* p. 305.

t) *In eodem libro* p. 299.

u) *Eſſay on Fevers* p. 308.

vv) Conf. *Appendix to the Obſ. on Army Diſeaſes.*

ſeptica iis propria deriuandum eſſe ſtatuit. Aliorum autem, etiam antiſepticorum ſalium abuſus, adjumento putredini eſſe poteſt. Ita obſeruauit Ill. PRINGLE magnam ſalis culinaris copiam carnium putredinem arcere, paruam illam accelerare *x*). Ipſa immodice vſurpata acida tendentiam humorum in putredinem augere, nonnullis viſum eſt *y*). Sales alcalinos fixos humores etiam colliqueſcere teſtatur cel. HVXHAM *z*), et ſimul morbi putridi, ex diuturno vſu lithontriptici alcalici orti, narrat hiſtoriam. 6) Animi pathemata vehementiora. Agunt haec nimirum in vias bilis, quibus ſpasmodice contractis, humor hicce commotus facile iterum in totam ſanguinis maſſam recipitur, illamque diſſoluit *), praecipue cum bilis ab animi affectibus vehementioribus et frequentioribus acrior et quaſi corrupta fiat. 7) Inedia **). Poſtulant leges oeconomiae animalis frequentem humorum, per blandi chyli admixtionem, renouationem, qua neglecta, ſales et olea exaltantur, humores acerrimi fiunt, et vltimo vniuerſi putreſcunt. 8) Venena quaedam vel ſanguini immediate admixta, vel in ventriculum recepta. Sic MEAD ex relatione

PAVLI

x) *In Appendix to Obſ. on Army Diſeaſes Paper* III. *Exper*. 25.

y) Conf. cel. GILBERT *Diſſertat. de putred. animal*. §. XIII.

z) *Eſſay on Fevers* p. 48.

*) Conf. HVXHAM *Eſſay on Fevers* p. 113.

**) Conf. HVXHAM *in libr. citat*. p. 55. v. HALLER *Elementa Phyſiologiae* Tom. VI. Lib. 19. Sect. II. §. 4. VAN SWIETEN *Commentar*. Tom. II. p. 42.

Pauli Hermanni refert, morsum serpentis Haemorrhoi macassarici, vniuersalem ex poris corporis ciere haemorrhagiam *a*), quae vix ex alia causa, ac ex humorum dissolutione putrida oriri posse videtur. Docet etiam aquam destillatam Laurocerasi intus assumtam, humores vehementer resoluere *b*): et Ill. de Haller venenum serpentis caudisonae humores citissime colliquescere et carnes flauo colore tingere narrat *c*). 9) Abusus medicamentorum mercurialium et terreorum, et aromatum. Mercurialium frequens, diuturnus et imprudens vsus sanguinis crasin ex toto dissoluit *d*), eumque putridum reddit, quod vel pessimo saliuantium foetore satis comprobatur. Terreorum remediorum vim septicam experimentis demonstrauit Ill. Pringle *e*). Hinc verisimillimum quoque est ipsa, corpori sine justis cautionibus applicata, putredinem ibi ciere, vel certe ad illam praedisponere posse. Aromatum abusus, cum humores valde reddat acres, ad putredinis saltem pertinet adjumenta *f*). Nimium acrium et aromaticarum herbarum vsum humores etiam corrumpere, docent Ill. Boerhaave *g*) et

VAN

a) *Opp.* Tom. I. p. 20.

b) *Opp.* Tom. I. p. 138.

c) Conf. *Element. Physiolog.* Tom. II. Lib. V. Sect. II. §. 29.

d) Conf. HVXHAM *Essay on Fevers* p. 46. v. HALLER *Elem. Physiol.* Tom. II. Lib. 5. Sect. II. §. 29.

e) *Appendix to the Observ. on Army Diseases Pap. III. Exp.* 23. GILBERT *Dissert. de putredine animali* §. IX.

f) Conf. GILBERT *Dissert. de putredine animali* §. XIII.

g) *In Aphorism.* §. 76.

VAN SWIETEN *b*). 10) Fomites vlcerosi, cancrosi etc. *i*) vel secundinae relictae putrescentes et humorum massam inficientes. Effectus suos exserit putredo in solida, fluida et neruos. In solidis nimirum, praeter effectus generales §. I. recensitos, partium continentium imminuit cohaesionem, majoremque iis inducit mollitiem, vnde praeter modum aucta flexilitas. Erodit etiam ipsa. Humores corporis reddit acres, justo tenuiores et ad nutritionem ineptos, vnde facile extra praescriptos terminos vagantur et obstructiones, exanthemata, gangraenas, aliaque vitia gignunt. Neruos ex acrimonia irritat, vnde variae systematis neruosi turbae. Speciali quadam vi quoque in fluidum neruеum agere videtur, quod ex variis illis symptomatibus neruosis, quae putridos vtplurimum concomitantur morbos, et ex sola irritatione deriuari nequeunt, probabile fit. Signa autem praesentis in corpore animali viuo putredinis, sunt excretorum insolitus foetor, solidorum laxitas, fluidorum tenuitas, magna virium systematis neruosi prostratio, etc. De his autem mox fusius cum de diagnosi morbi putridi loquar.

§. III.

b) *In Commentar.* Tom. I. p. 114.

i) Conf. GAVBII *Institut. Patholog.* §. 313.

§. III.

Morbum autem dico putridum cum quo humorum implicata est putredo, majori minoriue gradu. Characteres talis morbi, quorum ope ab omni alio non putri distingui potest, sunt: magna virium prostratio, tanta saepe vt minimum etiam motum animi sequantur deliquia. Animi vehemens dejectio. Pulsus justo debilior. Humorum nimia tenuitas; vnde faciles saepe et spontaneae haemorrhagiae, ex locis insuetis etiam prouenientes. Maculae figura et colore variae, rubicundae nimirum, fuscae, vel liuidae, quae ex sanguine dissoluto et in cellulosam telam extrauasato oriuntur. Oculorum imminuta viuacitas. Lingua fusca, liuida, vel nigra. Spiritus et sudor foetidus. Vrina nonnunquam tenuis, minus pro ratione caloris tincta, vtplurimum crassa, turbida et mox foetens. Auctus et putridus alui excretorum foetor et in liuidum mutatus color. Sunt haec praecipua signa morbi putridi in genere. Febris autem oritur putrida, si humores corporis sic degenerauerunt, vt inepti fiant ad placidam per vasa corporis circulationem. *k*) Notandum enim est plenariam humorum putredinem ad hujus febris essentiam non requiri, antequam haec enim fit, mors vtplurimum finem tragoediae facit, propter partium ad vitam necessariarum destructionem. Quod tamen magna semper in his febribus adsit humorum ad putredinem procliuitas,

k) Vid. VAN SWIETEN *in Tom. II. Commentar.* p. 420.

uitas, facilis et velox excretorum, vel arte educto-rum corruptio ſatis teſtatur. Signa autem ex quibus de febris putridae praeſentia per morbi initium et incrementum judicare licet, ſunt calor mordax, tactum laedens et omni momento quaſi adauctus, pulſus celerior et inordinatus, virium ſumma proſtratio cum animi dejectione, capitis dolor aliquis cum ſenſuum perturbatione, oculorum imminutus ſplendor, ſaepe cum rubore aliquo, ſic vt inflammati videantur; lingua in initio morbi ſubalbida, dein autem nigra et arida, faucibus ſimul et dentibus foeda ſorde tectis; anima foetida, ſapor aduerſus quaſi a rebus putridis, ſudores foetidi, et in vlteriori morbi progreſſu ſanguine nonnunquam tincti; cutis, in incremento morbi haud raro arida eſt, aliquando nimia eſt ad ſudores pronitas; vrina varia, craſſa, turbida, immo nigreſcens, interdum quoque pallidior, cruda, vel cum ſedimento fuligineo; dejectio foetidiſſima, ſubuiridis, liuida, interdum nigra et ſanguine tincta; maculae rubicundae vel liuidae, petechiae, et ſi latiores fuerint vibices dictae, non eleuatae, nec vnquam forte criticae; hae poſt mortem interdum demum erumpunt *l*); ſitis vtplurimum moderata, haemorrhagiae ſpontaneae, et facile vltra omnem modum vehementes, cruor minus cohaerens et in vlteriori morbi progreſſu, omnino ſaepe diſſolutus, ſerum rubicundum ſanguinolentum; cruſta interdum quidem obductus eſt

 ſan-

l) Conf. PRINGLE *Obſervat. on Army Diſeaſes.* p. 304.

sanguis, at tenui et infirma, transparente et saepe variegata. Tumere etiam solet in vehementiori morbo abdomen, ab aere in ejus cauitatem per putredinem expədito, quem statum *meteorismum* nuncupare solent medici. Sunt haec praecipua febris putridae simplicissimae, ab omni complicatione liberae, symptomata, quae etsi raro, attamen interdum occurrit. Pulchrum talis putridae exemplum leges apud HVXHAM. *m*) Habes ibi egregiam febris putridae, sine malignitatis, sine colluuiei biliosae signis historiam. Tremores enim, tendinumque quorum facit mentionem subsultus, magnae debilitati ex inanitione adscribendi esse videntur, non autem latenti malignitati. Febris, quam sub nomine putridae contagiosae describit, *n*) putrida quoque est non biliosa, at malignitatis quibusdam stipata symptomatibus. Febris illa putrida quae ab Ill. PRINGLE carcerum seu nosocomiorum dicitur, etiam putrida non biliosa est, at non sine omni *o*) malignitate. Distinguitur ideo febris putrida ab inflammatoria, humorum degeneratione majori, pulsu inaequali, inordinato, minori, calore mordaci, excretorum foetore, sordibus linguae et oris, vrinae colore, sanguinis dissolutione, petechiis, insigni lassitudine et animi dejectione; a neruosa autem, colore et consistentia vrinae, signis putredinis et

febre

m) *Essay on Fevers* p. 62. sqq.

n) Conf. ejus *Obseruat. de aere et morb. epidem.* Tom. II. p. 82.

o) *Observations on the Diseases of the Army* Part. III. C. 7. p. 297. seqq.

febre fortiori; a biliosa, minori capitis affectione minorique nausea et ventriculi perturbatione, lingua puriore, nigriore et aridiore, dejectionum colore et indole minus biliosa, sitis et inquietudinis minori gradu; calor etiam in putridis continuo quasi crescit, in biliosis autem, licet permagnus saepe sit, nihilominus per vices remittere solet.

§. IV.

Multi autem et praeclari viri qui hac de re scripserunt, ad hoc putridarum febrium a biliosis aliisque discrimen non satis respexisse videntur, indeque forte quoad magnam partem ortum habet ingens illorum in methodis curationum dissensus. In eo autem praecipue errarunt multi, quod putridas febres cum biliosis et malignis confundant, vel ipsas etiam semper pro vere malignis habeant. Ostendam autem deinde quaenam sit inter febrem putridam et malignam differentia, quodque febris putrida exsistere possit sine malignitate et maligna sine putredine; quod saltem malignitas ad febris putridae essentiam non pertineat, etsi negare non possim quod plurimae febres putridae simul sint malignae. Putridam autem febrem a maligna non distinguit cel. TRALLES: non solum enim febres petechiales et castrenses *malignis* adnumerat, *p*) cui generali tamen sententiae assentire nolim, sed etiam vbi externam

 mali-

p) Vid. *Virium quae terreis remediis etc. adscriptae sunt, examen rigorosius.* C. XIX. p. 365. et 66.

malignarum pingit faciem, *q*) veram dat febris *putridae* deſcriptionem; magnam enim debilitatem, pulſum celerem, debilem et inaequalem, appetitum ciborum proſtratum, linguam ſcabram et aridam, petechias aliaque verae putridae ſigna, vt praeſentis malignitatis indicia enumerat. Et vbi malignarum febrium theoriam theſibus illuſtrat, ſatis apparet illum ad febres putridas reſpexiſſe; febres enim malignas ex ſtimulo cauſticae et putridae indolis oriri dicit, *r*) ex quo miasmate hauſto virium ſubitam proſtrationem, villorum nerueorum irritationem, humorum ſtagnationes etc. deriuat; *s*) et ex his effectibus miasmatis primariis, malignitatis ſymptomata antea enarrata ſequi docet *t*): dein etiam, humorum reſolutionem putridam vltimum eſſe malignitatis effectum dicit *u*). At in egregio illo de vſu opii libro ſequente loquitur modo, cum de febrium malignarum *miasmate* ſermo ſit: *Inſuper alcalicae, ſepticae et putridae illud eſſe indolis, omnia phaenomena morbi et medelae, vna cum extiſpiciis euincunt w*). Quarum etiam febrium celeb. TISSOT, ſub *malignarum* nomine, deſcriptionem tradit *x*), ſi cauſas, decurſum et ſymptomata allegata ſpectemus;

q) *In eodem capite.* §. IV. p. 376 ſeqq.

r) *In eodem capite.* §. 7. ad II. p. 381. ſeqq.

s) *In ejusdem capitis* §. 12. ad 14. p. 387. ſeqq.

t) Vid. *ejusd. capit.* §. 15. et ſeqq. p. 394. ſeqq.

u) Conf. *Examen rigoroſ. etc.* p. 398.

w) Conf. *Vſus opii ſalubris et noxius.* Sect. II. p. 177.

x) Vid. *Avis au Peuple ſur ſa Santé.* C. XVII. p. 272 ſeqq.

mus; veriſſimae ſunt continentes putridae GALENI, aptiſſime forte, noſtra ſententia, putridarum ſimplicium cognomine diſtinguendae. *Putridas* febres idem praeſtantiſſimus Auctor in praecedente optimi libri capite vocat, quae a colluuie ſpontanea materiae corruptae, ex humorum circulantium maſſa ad primas vias delata dependent, quas ipſe quoque ſaepius bilioſas nominari ait. Atque hae febres ejusdem vtique ſunt indolis ac illae, quas, ſub bilioſarum nomine, in eximio peculiari opuſculo y) expoſuit; continuae nempe remittentes et putridae GALENI et LOMMII, ſub gaſtricis BALLONII et meſentericis BAGLIVI comprehenſae. Aptiſſime forte cum PRINGLE, MONRO et pluribus bilioſae dicuntur, ſed cum huic febrium generi putredinis characteres non perpetui ſint, vbi hoſce ſimul animaduerteris, adjecto *putridarum* cognomine a ſimplicibus bilioſis commode diſtinguuntur. Cel. quoque DEGNER dyſenteriam, bilioſo-contagioſam ſolum nuncupat, quam ſimul putridam fuiſſe nemo facile negabit, qui ſymptomata ab ipſo enarrata z) perlegerit. Celeb. HVXHAM febris malignae nomen pro ſynonymo febris putridae habere videtur, dicit enim: *idem forte eſt an haſce febres, putridas, malignas, vel peſtilentiales dixeris a);* et quo in capite has febres pertractauit, de bilioſis putridis aeque, ac de

y) *In Tractatu de febribus bilioſis.*
z) Conf. *Hiſtoriam Dyſent. bilioſo-contagioſae* §. XXIX. p. 16. ſqq
a) Conf. *Eſſay on Fevers.* p. 100.

putridis simplicibus egit, minime tamen quoad curationis methodum diuersa haec putridarum genera a se inuicem distinguere neglexit. Illustr. etiam PRINGLE, qui omnium optime de febribus putridis egit, voce febris malignae, ad indicandam putridam simplicem, saepius vsus est *b*). Cel. quoque MONRO nullum discrimen inter febrem malignam et petechialem atque putridam ponere videtur *c*).

§. V.

Necessarium autem mihi videtur, cum malignitatis saepius vsus sim voce, paulo curatius perscrutari quid sibi velint auctores cum malignitate sua, et quaenam ejus idea mihi prae aliis maxime arrideat indicare. Etsi enim medicinam hoc termino commode carere posse arbitrer, etsi malignitatis nomen, ex SYDENHAMI opinione, magis infestum fuerit generihumano ipsa pulueris pyrii inuentione, nihilominus tamen, cum vsus ejusdem apud omnes maxime inualuerit, aptamque designandis pluribus morborum phaenomenis explicationem admittat, expulsionem ejus temere quis meditaretur. Optimum ideo erit, varias primum proponere auctorum circa malignitatis definitionem sententias, quae quidem vehementer inter se discrepant, ac his dein accuratam et experientiae consentaneam superaddere hujus vocis definitionem, adjectis praecipuis maligni-

b) *In Observations on the Diseases of the Army.*

c) Vid. *Account of the Diseases which were most frequent in the Brittish military Hospitals* C. I.

malignitatis signis. Medicorum ille parens HIPPOCRATES sub κακοηθείας nomine, per *malignitatem* verti solito, affectionem ex occultiori origine difficiliorem, saepius periculosam, ideoque semper quoad euentum suspectam, et in febriles praecipue morbos subinde incidentem, intellexisse videtur. Et ejus quidem indolis pleraque malignitatis indicia Hippocratica deprehendere licet, quae ex latente causa perturbatas cum discrimine systematis neruosi functiones esse docent. Ipsis etiam morbis nomen malignorum tribuit, in quibus grauiores ejusmodi affectiones obseruantur; dicit nimirum: *In febre conuulsio, manuumque ac pedum dolores* κακοήθεες, *seu malignum quiddam denuntiant. Malignus quoque ex febre doloris impetus. Sed neque genuum dolor probari potest. Quin et surarum dolores quoque maligni sunt, ac mentis emotio, tum vero praecipue si sublime quid in vrina innatet. Ex praecordiorum dolore obortae febres malignae sunt etc. d*). Vix aliunde autem ac ex systematis neruosi perturbatione haec repetes symptomata, modo periculi sint nuntii; si enim rheumatici v. c. fuerint dolores, nemo facile hos ad malignitatis signa referet. Paulo aliter et latius terminum exposuit GALENVS, qui κακοήθη νοσήματα inquit, *vocamus eos morbos qui aegris periculum minantur, nec spem salutis adimunt e*). Sed propius ad HIPPOCRA-

L 5 TIS

d) In *Coacis praenotionibus* Nro. 30. 31. *Passim aliis quoque in locis de iisdem symptomatibus vt malignis loquitur aliaque addit.*

e) In *Commentar. I. in Prorrhet.* HIPPOCRATIS.

TIS mentem accedit auctor libri definitionum medicarum inter Galenicos reperiundi, *malignum morbum* dicens *qui facultate quidem magnus est et difficilis, specie tamen debilis, neque ad judicationem statuta habet tempora.* Qui autem Hippocraticam maxime restituit doctrinam, Anglorum ille magnus SYDENHAM, malignitatem in particulis calidissimis ac spirituosissimis, humorum in humano corpore contentorum naturae plus minusue aduersantibus, consistere ac terminari asserit *f*). BOERHAAVE illos malignos dici vult morbos, qui vires subito destruunt *g*). Celeb. TRALLES malignitatem definit per *talem febrium conditionem physicam, quae eam functionum vitalium deprauationem, et a naturali integritate recessionem ponit, vt hae cessationi plenariae sint quam proximae h*). Ill. DE HAEN dicit *eos solummodo morbos malignitatis appellatione recte insigniri, quos symptomata insueta, aut longe solito grauiora numerosioraque comitantur; nullatenus vero illos, qui, acutine fuerint an peracuti, interni aut cutanei, consueto more sua spatia decurrunt i*). Audiamus etiam celeb. GAVBIVM de malignitate, qui eam *proprio sensu morbum notare dicit, qui insidiose mitis, sub phaenomenis non ominosis aggressus, ex improuiso grauissimis symptomatibus naturae vires opprimit:* alias

f) Conf. *Opp.* Tom. I. p. 154.

g) Vid. *Praelect. in institution. med. cum notis* HALLERI Tom. VI. p. 92.

h) In *Exam. rigoros. virium etc.* C. XIX. §. VI. p. 380.

i) Vid. *Ration. medendi Ed. Lugd. Bat.* Tom. I. C. XXIII. p. 146. et Tom. III. C. I. *et Thesium de febr. diuis. Div. VIII.* p. 130 sqq.

alias et talem, qui praeter morem ſuum inuſitata ſymptomata turbasque vehementiores quam quae naturae ſuae conuenire videantur excitat: denique et refractarios, qui expertorum quoque remediorum vires eludunt ac curatione vel magis exacerbantur k). Illuſtr. MORGAGNI malignitatem ſignificari dicit *cita maximaque virium proſtratione, quae neque in praegreſſas evidentes cauſas, neque in nimiam rejici poſſit obruentemque ſanguinis copiam* l). Celeb. ELLER malignitatis vocem *iſtam febris indolem denotare* dicit, *qua morbus febrilis vehemens per contagium propagari, et epidemice graſſari ſolet* m). Vix vnam autem, alteramue harum definitionum cum alia conuenientem reperies. Empiricorum ignobilis turba omnem morbum malignum nuncupat quem tollere neſcit, infelicem curae euentum non ſuae ignorantiae, ſed latenti malignitati adſcribens. Sed nemo facile diffitebitur, fieri vix poſſe vt quis vnam generalem, omnibus peritiorum atque celebrium medicorum ſententiis accommodatam, tradat malignitatis morborum expoſitionem. Pleriſque tamen is videtur eſſe animus, vt ſenſum vocis ab HIPPOCRATE aliisque veterum vſurpatum definiendo exprimant et applicando imitentur. Hac ipſa nobis etiam conſtituta norma, *malignam* exiſtimamus habendam eſſe aegro-

k) Conf. Inſtitution. pathol. med. §. 876.

l) *De Sedibus et cauſis morborum* Epiſt. 49. Art. 23.

m) Conf. *Obſeruat. de cognoſc. et curand. morbis, praeſert. acutis.* Sect. VI. p. 112.

Qui et aliorum auctorum de malignitate ſententias ſcire cupit, adeat celeb. TRALLES *Examen rigoroſius virium etc.* C. XIX. §. V.

aegrorum affectionem, quae fecundum experientiam cum vitae conjuncta eft difcrimine, neque tamen, ex caufis euidentioribus aeftimata, talis effe apparet. Atque febris illa malignae nomen merebitur, quam ejusmodi affectionibus diftinctam obferuamus. E magnitudine ergo et raritate fymptomatum, totiusque ex morbi periculo, minus apte malignitas febris dijudicabitur. Solet autem fyftema neruofum non fine periculo laceffitum et perturbatum effe, vbi fymptomata febris, absque manifefta caufa, non ita refpondent decurfus ejusdem temporibus, neque fibi inuicem, nec fignis reliquis externis, ac in ordinariis minusque periculofis fieri compertum eft. Vnde peruulgatum illud, aegrum in malignis aliquando inter pulfum vrinamque bona mori. Malignitatem vero, fecundum noftram hancce definitionem, in febribus gradu maxime variare poffe neminem facile latebit. Sed operae pretium erit praecipua quaedam breuiter enarrare fymptomata, quibus praefentibus maligna dici febris poteft. Sunt autem, indoles mitis ipfius febris ex pulfu, vrina et membrorum calore aeftimata, fi cum grauiori virium proftratione inuaferit, aliisque cum fymptomatibus incedat, alias ex majori febris vehementia oriundis; dorfi, colli et artuum, manuum praecipue et furarum, item praecordiorum dolores, fine omni apparente caufa oborti; deliria fere continua, vigiliae diuturnae aut fopor, et capitis, praecipue occipitis grauatiuus, tenfiuus prefforiusue

dolor,

dolor, ſine plethorae, congeſtionis ad caput, inflammationis et ſordium bilioſarum ſignis; ſitis nulla, etſi lingua arida ſit multusue aegrum teneat calor; magna inſenſibilitas, ſic vt de morbo, medico ceterum grauiori viſo, vix conquerantur aegri. Facile eſt differentiam percipere, hanc inſenſibilitatem inter, illamque animi placiditatem, quam in vehementibus etiam morbis ſeruare nonnullis conceſſum eſt. Immodeſtia etiam, aegrorum antea verecundorum, huc pertinet, et iactatio illorum frequens cum denudatione brachiorum crurumque, ſine multo calore, et ſpasmi varii atque conuulſiones, latente horum omnium cauſa; item artuum et praecipue linguae et labiorum tremor cum magna debilitate; notandum tamen hic eſt frigus febrile, turgentiam ſordium bilioſarum, debilitatemque a morbo grauiori ſuperato cauſam nonnunquam eſſe tremoris, qualis tamen malignitatis ſignis adnumerari nequit; linguam extendendi impotentia impeditaque oratio absque omni apparente partium vitio oborta; audiendi difficultas, nulla tamen imminente criſi; haec enim vbi inſtat, praecipue in febribus bilioſis, auditum ſaepius quoque bono cum omine impedit; tunc autem malignitatis indicium eſt, vbi absque omni cauſa in debilibus aegris fit; oculi inuitis aegris illacrymantes ſine omni viſibili irritamento, non vt in febribus catarrhalibus benignis, vbi oculi etiam inuitis aegris lacrymas fundunt; impedita, ſine omni faucium tumore aliaue cauſa euidente,

dente, deglutitio, etc. Sunt haec praecipua praeſentis malignitatis indicia. Multis quidem inſignior virium animalium proſtratio fere primarium, et maxime ex his perpetuum eſſe, viſa eſt; attamen huic ſententiae tum id aduerſari exiſtimo, quod illa ſaepe bono cum vigore vitalium virium, atque tunc haud raro vix vllo cum periculo, conjuncta obſeruetur; tum etiam, quod febres occurrant, Hippocratico ſenſu veriſſime malignae, quibus, per initium et incrementi partem, ſingularis illa virium animalium proſtratio omnino deficiat. Hoc tamen facile concedo, virium animalium vigorem melioris eſſe in febribus notae, ac ipſarum oppreſſionem et vndecunque oriundum defectum. Intuitu harum tamen malignitatis notarum generatim obſeruandum eſt, plerumque plures illarum ſimul et manifeſtiore modo praeſentes requiri, vt febris maligna dici poſſit, nihilo ſecius autem non omnes in omni febre maligna reperiri. Poterit tamen hic illa oriri quaeſtio, an vllum detur febrium, propriis nominibus diſtingui ſolitarum, certum genus ſemper et vbique malignum? Praeter phrenitidem forte et paraphrenitidem, rectius intellecta hac voce, et febrem lentam neruoſam Anglorum, pro meo quidem arbitrio, nullum. In his autem omnia ferme malignitatis ſymptomata adſunt *n*). Quicunque autem modo enume-

n) Conf. BRENDEL D. *de phrenitide. Reſp.* cl. ELLENBERGER, *et ejusdem D. de cognatione paraphrenit. et febrium malign. Reſp.*

enumerata malignitatis ſigna, cum ſymptomatibus febris putridae §. III. poſitis comparauerit, magnam inter haec facile reperiet diſcrimen; ad malignitatem ideo conſtituendam nulla requiritur humorum putredo, nec ad febrem putridam malignitas. Id tamen lubenter concedo, i. e. malignitatis ſigna ſibi juncta habere, vt cuiuis optimorum de febribus putridis auctorum luſtratori facile patebit.

§. VI.

Supra jam notaui, febres putridas a multis optimae notae auctoribus cum febribus bilioſis etiam confundi; vt hoc autem clarius eluceſcat, juuabit accuratam exhibere febris bilioſae ideam, eaque enumerare ſigna, quibus ſordes bilioſae in primis viis haerentes cognoſci, in quouis morbo queant; vt ex horum cum ſignis putredinis collatione appareat, non omnem bilioſam febrem eſſe putridam, nec omnem putridam bilioſam. Febrem autem dico bilioſam, quae cauſam habet bilem copia et qualitate peccantem, aliisque admixtis humoribus, ad primas vias confluentibus, vario modo et gradu alienatam. Signa, quibus peccans et abundans cognoſci poterit bilioſa talis colluuies, ſunt, amarus, nidoroſus vel peculiaris quidam, cujus indolem aegri verbis exprimere nequeunt,

foedus

Reſp. cl. BIEDERMANN; *etiam* ILLVSTR. PRAESIDIS et cl. FEIN *D. de indole et ſede phrenitid. et paraphrenit. et* HVXHAM *Diſſ. de febre lenta neruoſa.*

foedus sapor; lingua muco, primum flauescente, dein flauo et spissiori obducta; ructus amari vel nidorosi, halitusque ex ore satis ingratus et quodammodo foetens; anorexia, saepeque simul cibi, praecipue animalis fastidium; sensus plenitudinis circa praecordia cum anxietate; interdum quoque vomitus biliosi; penetrans et fortis, naturali molestior stercorum foetor et biliosus color. Atque haec vlterius confirmare solent somnus inquietus haud reficiens vel plane nullus, saepe etiam pauoribus et phantasmatibus viuidioribus interruptus, capitis quoque dolor et grauitas et, si modo erigatur, facile accedens vertigo; praeterea et ipsa deliria et aestus vehementior, quam vt plethorae et sanguinis motui respondere videatur. Praecipua haec sunt colluuiei biliosae signa, qualia nonnunquam et extra febres, minori gradu licet obseruare. Febris autem biliosa sese manifestat sordium modo enumeratis signis, exacerbationibus plerumque quotidianis, saepe etiam cum typo duplicis tertianae, raro simplicis; pulsu forti et celeri, calore vehemente, minus mordaci tamen ac in putridae indolis febribus, et in exacerbationibus multum aucto; delirio saepe aliquo, rarius continuo et periculoso; vrina spissa ruberrima, multa siti, diarrhoeis spontaneis biliosis etc. Patet ex his biliosam febrem a putrida omnino esse diuersam, licet saepius cum ipsa, vel etiam cum febre inflammato-

ria

ria ſit complicata *). At exempla aliqua febrium biliofarum ſine putredine adducere non ſuperuacaneum prorſus fore arbitror, quorum plurima facile quidem reperiuntur, licet hoc non ſemper nomine autoribus veniant, ſed variis aliis etiam gaudeant appellationibus, multasque ex iis febribus quae bilioſae audiunt ad putridas pertinere oſtenderim. HIPPOCRATES veram jam deſcripſit ſimplicemque bilioſam, ſequentibus verbis o). *Si quis bile vexetur febris eum quotidie prehendit et dimittit, potiſſimum vero medio die detinet, os amarum eſt, et cum ſine cibo fuerit offenditur, vbi vero comederit ſtrangulatur, et paucis cibis impletur, eos execratur et multis vomitionibus tentatur, ad lumbos et crura grauitas decumbit et multum dormit etc.* FRID. HOFFMANN ſub febris cholericae nomine veram bilioſam ſine putredine deſcribit p). Sub febrium continuarum remittentium nomine, plures hujus generis epidemias deſcripſit cel. CLIFTON WINTRINGHAM q), etſi quaedam ad inflammatoriam, aliae ad putridam indolem magis minusue inclinauerint. Il. PRINGLE veram deſcribit, ſimplicem, absque putredine bilioſam, quam quoque bilioſam, et remittentem vel intermittentem caſtrorum

*) Conferri de his meretur Diſſ. Illuſtr. PRAESIDIS *mei* et cl. FRID. LVD. MAY, *de amplitudine generis febrium bilioſarum.*

o) *In Lib. de morbis II. Cap. 36. ed. Lind.*

p) *Med. rat. ſyſt. T. IV. P. I. Sect. II. Cap. II. theſ. path. §. VI.*

q) *In Comment. noſolog. paſſim.*

rum dicit *r*). Sed ſufficiant allata teſtimonia ad comprobandam exiſtentiam febris biliofae ſimplicis.

§. VII.

Jam autem, praemiſſis hiſce generalioribus, ipſas nunc aggredior harum febrium differentias. Diuidi autem poterunt 1. In *ſimplices*, *et cum aliis morboſis affectionibus complicatas.* De ſimplicium indole jam antea §. III. locutus ſum, ſupereſt tamen vt pauca de harum cauſis frequentioribus addam. Oriuntur hae potiſſimum ex partium animalium actu putreſcentium exhalationibus, hinc in carceribus, nauibus, caſtris et noſocomiis frequentius ac aliis in locis reperiri ſolent, partim ob regnantem his in locis et vix euitabilem foeditatem, partim quoque ob putridas vlcerum, gangraenarum etc. exhalationes, et alia ex parte ob deficientem aeris liberioris acceſſum. Stagnans enim ita materia perſpirabilis putreſcit et qua fermentum ſana hucusque corpora inficit et corrumpit. Accedunt cauſae aliae, diaeta nimirum incongrua, vt cibus mere animalis exſiccatus, ſalſus, vel putreſcens, potus mere aquoſus, aer calidus et humidus etc. Quam pernicioſos autem exſerat cumulata, ſtagnans et putreſcens perſpirabilis materia effectus, ſatis teſtantur triſtiſſima illa exempla quae Anglia a. 1577., et nuperius, anno nimirum hujus ſeculi quinquageſimo vidit. Cum enim ibi rei, antea in carcere aere

r) *Obſeruat. on the Diſeaſes of the Army.* C. IV. p. 175. ſqq.

aere libero non perflato detenti, in forum judicii deducerentur, putridi ex iis nati vapores, multos judicii aſſeſſores, multosque adſtantium febre putrida correptos confecere *s*): et ex 146 hominibus in anguſto carcere Calcuttae incluſis, 123 vna in nocte ob liberioris aeris penuriam vitam cum morte permutarunt *t*), ſine omni dubio propter putridam aeris corruptelam, ortamque inde febrem putridam vehementiſſimam, quod ex ſymptomatibus l. c. enarratis colligere licet. Multa alia ſi opus eſſet, et aeque fere perniciosa adducere poſſem exempla, noxarum e ſtagnante et vaporibus repleto aere oriundarum; qui tamen plura ſcire cupit adeat inter alios Ill. PRINGLAE cap. cit. Sunt hae procul dubio praecipuae febris putridae ſimplicis cauſae, at omnia alia, quae putredinem in corpore animali ciere valent (§. II. enarrata), ad cauſas quidem febrium putridarum quoque pertinent, cum autem rarius modo recenſitis occurrant, liceat mihi vlteriore illorum illuſtratione nunc ſuperſedere. Contemplandae ideo nunc veniunt febres putridae complicatae. Conjunctos autem habere poſſunt α) *Catarrhos*. Haec febris putridae ſpecies omnibus ferme autoribus catarrhalium malignarum venit nomine, etſi hic quoque malignitatis vox multae ſit ob-

s) Vid. PRINGLE *Obſervat. on the Diſeaſes of the Army*. P. III. C. 7.

t) Conf. Illuſtr. ZIMMERMANN *von der Erfahrung* 2. Theil p. 181 ſqq.

noxia ambiguitati. Verus quidem, suisque ex caussis oriundus catarrhus, simul cum putrida febre adesse potest, at saepius simulacra solum catarrhalia, catarrhum mentientia adsunt, et malignitatis signis merito adnumerantur. *β*) *Inflammationes varias*, anginam nempe, pleuritidem, peripneumoniam et alias. In his febribus, licet alia verae putredinis signa adsint, nihilominus sanguis, cum e tusa vena educitur, crusta, inflammatoriam referente, obductus saepius reperitur, minus tamen densa ac in simplici inflammatione, pellucida et vbi major fuerit putredo variegata saepe. Vt omnis febris putridae indolis periculo plena est, ita putridae inflammatoriae reliquis plerumque multo sunt periculosiores, partim ob malignitatem cum iis saepissime conjunctam, partim inde, quod inflammatio remedia saepius postulet a putredine contraindicata, vt v. c. venaesectionem, temperantia etc., et putredo medicamenta requirat quae inflammatio non admittit, vt v. c. corticem peruuianum, cardiaca, diaphoretica etc., partim quoque ob magis probabilem, propter magnam humorum acrimoniam et a sano statu recessum, gangraenae metum. Solet pulsus major esse duriorque ac in aliis febribus putridis non inflammatoriis. Sydenham, Hvxham, Savvages, Tissot, Clift. Wintringham, aliique optimae notae autores febrium putridarum cum inflammationibus complicatarum me-

meminerunt *u*), quas partim bilioſarum, vel etiam malignarum et continentium putridarum nomine inſigniuere. γ) *Exanthemata varia*, variolas puta, morbillos, ſcarlatinas maculas, purpuram, petechias et alia. Variolae et morbilli in tali etiam complicatione proprio contagio originem nunquam non debent, petechiae a ſola ſanguinis oriuntur diſſolutione, vnde in febris decurſu apparere primum ſolent. Vbi tamen putrida febris ſcorbuto ſuperuenerit, ante febris initium adeſſe jam poſſunt, nam in vehementiori ſcorbuto haec exanthemata haud prorſus inſolemnia ſunt, licet morbus ſine omni fuerit febre. Variolae et morbilli febri, vel his etiam febris putrida ſuperuenire poteſt. In variolis febris ſecundaria vel ſuppuratoria putrida haud raro fit, ob abſorptum humoresque colliquans pus. Ceterum ſi febris putrida ante variolas aut morbillos, vel ſimul cum ipſis oritur, aliis ſibique propriis adſcribenda erit cauſis. Purpura rubra melior eſſe in his febribus ſolet et critica, alba autem pejoris ſemper indolis minusque critica eſt, et vix vnquam occurrit niſi adſint quoque malignitatis indicia. Bubones et anthraces in peſtilentia vera aliisque peſſimis febribus putridis ſolum occurrunt et exanthematibus vix adnumerari poſſe videntur, cum metaſtaſes ad glandulas, vel ad cutis ſubſtan-

 tiam

u) Conf. *etiam* T. G. G. DE PREVAL *theſin medicam*, *Ergo peripneumoniae putridae vomitoria Par.* 1752. *et* DARLVC *in Indiculo morborum epidemic. in* VANDERMONDE *Recueil periodique etc.* T. VII. P. 55. ſqq.

tiam et ſubjacentes partes *vv*), potius ſint quam cutis efflorefcentiae. Quo major diuerſi generis exanthematum complicatio, eo periculoſior ſemper euadit morbus. Febrium putridarum cum exanthematibus complicatarum exempla videre eſt apud SYDENHAM, DE HAEN, HVXHAM, PLENCIZ, et alios. δ) *Dyſenteriam.* Haec vbi putridae fuerit indolis, easdem agnoſcere videtur cauſas ac ipſa febris putrida, cur autem in altero caſu vis morbi in inteſtina potius agat, in altero in vniuerſum corpus, explicare neſcio. In noſocomiis autem, caſtris, et alibi vbi aegrorum dyſenteria laborantium adeſt copia, putridae faecum exhalationes febrem dyſentericam putridam ciere facile poſſunt. Obſtructo etiam adſtringentibus alui fluxu, materia morbifica in humorum maſſam vniuerſalem recipi et ita peſſimi moris febres producere poterit. Exempla leges dyſenteriae cum febre putrida complicatae apud DEGNERVM, PRINGLE, ZIMMERMANNVM et alios. Sed complicatae etiam eſſe poſſunt febres putridae ε) *cum febribus alius indolis*, bilioſis nimirum, inflammatoriis et neruoſis. Quum ſuperius (§. ſc. VI.) autem quid ſit febris bilioſa oſtenderim, ſignaque abundantis et corruptae bilis expoſuerim, vix opus erit fuſius de his hoc loco diſſerere. Febrem vehementem in §. II. cauſis putredinis in corpore animali accenſuimus. Cum autem inflammatoria febris vehemens eſſe, aut quoque varios

vv) Conf. Illuſtr. v. HALLER *Elem. phyſiolog.* T. I. p. 37.

varios per errores talis reddi queat, facile concipere eſt quomodo putrida huic ſuperuenire poſſit. Meminit etiam Cel. HVXHAM x), complicationis lentae neruoſae cum febre putrida, tali autem in caſu haec forte ſemper vere maligna euadit.

§. VIII.

Sunt autem 2) putridae febres vel *continentes* vel *continuae remittentes*. Continentes, ſiue συνόχους, dico, quae aegrum ſine vlla, vel cum vix percipienda affligunt remiſſione. Continuas autem remittentes, συνεχεῖς, voco, quae remittunt quidem a vehementia ſua, at plenam tamen haud ſiſtunt intermiſſionem. Non vnius tamen ejusdemque ſunt typi continuae hae remittentes putridae, habent enim aliae exacerbationes quotidianas, aliae tertianas duplicatas, nonnullae et quartanas. Reperiuntur etiam febres intermittentes, quas haud inepte forte ad putridas retuleris. Sic febres illae cum dejectione multa ſubcruenta, quas ideo TORTI etiam ſubcruentas dixit, huc pertinere videntur. Quod tamen vt clarius pateat, liceat ipſius verba hujus febris indolem eleganter exprimentia hic inſerere. Dicit autem: *ſolet ergo nonnunquam vel inuadente vel etiam declinante acceſſione ſuboriri placida quaedam frequensque ac copioſa dejectio, quae intra paucas horas nullo fere ſenſibili aegrotantis incommodo ad magnam molem et pondus increſcit. Materia iſta*

x) Conf. *ejus Diſſertat. de febre lenta neruoſa.*

plane ſeroſa videtur, ſed ſubcruenta, aegrumque, primo nil tale timentem, breui deducit ad ſummam virium imbecillitatem cum pulſu minuto ac exili et extremorum notabili perfrigeratione. Vox attenuatur nonnihil, oculique concamerationem contrahunt. Ceterum ſitis non moleſtat, mens eſt vegeta, nec de alia re conqueritur patiens, niſi de ſumma virium proſtratione ac procliuitate in lipothymiam, quae facile quoque ſi e lecto ſurgere velit ſolet ſuccedere y). Haecce ſymptomata vix probabilius ex alia deduxeris cauſa, ac ex humorum colliquatione putrida, ſola mens vegetior a communi ſignorum putredinis norma recedit. Alia ſpecies febris intermittentis putridae oritur ex corruptione purulenta viſceris cujusdam ab abſorpto nimirum pure et colliquatis inde humoribus, hinc in phthiſicis praeprimis frequens. Hujus faciunt mentionem Torti *z*), et Werlhof *a*). Cel. Fr. Cas. Medicus dedit hiſtoriam febris intermittentis, cum dejectionibus vehementer foetidis et frequentibus complicatae *b*), et alius magis adhuc putridae meminit, cui vehemens ptyalismus, et petechiae juncta erant *c*), et dein ſectis cadaueribus, a febribus cum dejectione illa interemtorum, ſe magnam partium internarum corruptionem offendiſſe

y) In *Therapeut. ſpecial.* P. 174.

z) Conf. *Therapeut. ſpecial.*

a) Conf. *Obſeruat. de Febribus.*

b) *Sammlung von Beobachtungen aus der Artzney Wiſſenſchaft* 1. Buch p. 63.

c) *In libr. cit.* §. 30.

diſſe docet *d*), quo confirmatur haſce febres ex claſſe putridarum fuiſſe. Sanguineae autem illae dejectionis cauſam habet, bilem acrem et humorum diſſolutionem putridam *e*). At perniciosiſſimae illae febres ſoporoſae ad intermittentes putridas merito etiam referri poſſe videntur. Docet enim Ill. WERLHOF *f*) vrinam craſſam coloris intenſi, ſubfuſci, lixiuii, et in quibusdam in nigredinem vergentis, valde foetentem, cum innatante pinguedine aliqua; haſce febres nuntiaſſe: ſanguinemque vena ſecta eductum floridum repertum eſſe cum copioſo ſero virideſcente, eumque interdum variegatos colores oſtendere; et vbi cauſas harum febrium recenſet *g*), illarum plurimas ejus indolis eſſe quae putredinem ciere valeant, nemo facile inficias ibit, dicit enim *h*), *Enaſci poteſt hoc praecipue malum, vbi corpus ſenile eſt, vbi quod ex cholerico melancholicum eſſe, vel ſcorbuto calido laborare dixeris, bilioſum ſimul, et ſuccis craſſis, acribus et ad putredinem vaporiferam pronis plenum etc.* Ex quibus omnibus patet, humorum in putridum vergentem conſtitutionem vel ſociam ſaltem eſſe harum febrium cauſam.

d) Conſ. 2. Buch §. 70. p. 138. ſqq.

e) *In ejusd. libr.* §. 73. p. 146. ſqq.

f In Obſeru. de febribus Sect. I. §. VI. p. 22. et 23.

g) Conſ. §. VII. Sect. I.

h) Pag. 26.

§. IX.

Diuidi 3) poterunt putridae febres in *ſporadicas* et *epidemicas.* Sporadicae oriuntur α) *Ex vitio viſceris cujusdam ſingulari.* Sic viſceris corruptio quaelibet, ſi abſorbetur materia acris, purulenta, corrupta, febri putridae anſam praebere poteſt. Viſceris iſtiusmodi vitium, ſeſe vtplurimum aliis ſibique propriis ſignis manifeſtare ſimul ſolet, at interdum id ſuſpicari ſolum licet ex ſubito febris ortu ſine alia apparente cauſa praegrediente. Sic hyeme proxime elapſa virginem vidi Wehndae peticulis ſubito correptam, cum magna laſſitudine, febre parua, lingua impura, vomitu bilioſo virideſcente, animi magna dejectione, aliisque febris putridae licet mitioris ſignis. Aderat nulla apparens putredinis cauſa. Aer cum coelo ſereno frigidus, diaeta bona, maximam partem vegetabilis quam ſeruauerat aegra, cum regimine juſto, vaporum putridorum defectus etc. febrem putridam nullo modo admittere poſſe videbantur. Nullus inſuper alius tunc temporis graſſabatur morbus putridus. Gauiſa erat virgo bona ſatis ante febris acceſſum valetudine, ſi tuſſim, qua a primis ferme incunabulis laborauerat, excipias; de nullo tamen, nec in pectore, nec in alia corporis parte, antea conqueſta erat dolore. Corripiebatur ſubito, ſine vlla alia praegreſſa aegritudine, tumore vnius pedis, cum ſenſu quodam dolorifico, et paruo rubore; hunc,

elapſis

elapſis horis aliquot, ſequebantur maculae in crure pedis affecti, rubicundae primum, illasque mentientes quas pulex morſu gignit, mox autem fuſcae et confluentes, ſic vt totum externum praecipue cruris latus, plumbei fere eſſet coloris et contuſum quaſi videretur. Paulo poſt alter quoque tumere coepit pes, eodem ac primus modo, tumor deinde manus prehendit, et vltimo faciem. Nunc in lacertis etiam illae apparere incipiebant maculae, et brachia cum manibus introrſum ſpasmodice cum multo contrahebantur dolore. Palpebrae dein fuſcae fiebant, at maculae purpureae mox totam hinc illinc obſidebant faciem. Veſiculae nonnullae ſeſe ſparſim per totum attollebant corpus, tenuem ſubcruentamque lympham fundentes. Dejectio quoad numerum erat naturalis, pulſus vehementer inordinatus, nunc perparuus et alio iterum tempore ſatis magnus, at nunquam durus. In ſtatu morbi vrina ſedimentum deponebat purulentum. Curauit puellam Illuſtr. Praeſes, et illam euacuantium, antiſpasmodicorum et antiſepticorum praecipue ope, feliciter iterum ad ſanitatem perduxit. Remanebat ſuperato morbo debilitas, et pedum oedematoſus tumor aliquis, quae tamen gradatim, exhibito cortice Peruuiano, euanuere, optime hodie valente puella: tuſſis illam quidem interdum adhuc vexat, at minori ac ante morbum ferocia. Febrem hancce vix pro alia ac pro putrida, ex labe viſceris cujusdam orta, habere poſſumus, quamuis

uis praeter tussim nullis aliis sese manifestauerit signis, omnis enim alia nos fugit hujus febris causa. β) *Ex constitutione scorbutica.* Etsi enim scorbutus ad morbos febriles non pertineat, nihilominus cum magnum attigerit gradum fortissima cum eo conjuncta humorum dissolutio febrem ciere potest, saepeque re vera ciet, quam putridam esse nemo facile in dubium vocabit. γ) *Commissa regiminis diaetaeue vitia.* Huc spectant corporis motus nimius, summa praecipue aestate, animi pathemata fortiora, vel diuturniora, carnium abusus, victus putrescens, inedia etc. Sed de his omnibus fusius in §. II., vbi de causis putredinis in corpore animali dictum est, egimus. δ) *Inepta curatio.* Ad hanc sectionem pertinent mercurius ante morbos febriles diu nimis vel inepta dosi exhibitus, abusus salium, medicamentorum terreorum etc. de quibus confer §. II. Epidemicae autem febres putridae sunt multae, quae aliquando sub nomine febrium catarrhalium malignarum, petechialium, petechizantium, pestilentialium, nauticarum, carcerum, nosocomiorum, biliosarumque occurrunt, et quae interdum simpliciores, interdum cum aliis affectionibus, aliisue febrium generibus complicatae sunt. Epidemicae fere semper ex vaporibus putridis oriuntur; accedente aeris intemperie calida et humida.

§. X.

§. X.

Differunt autem febres putridae 4) *ex occulta quadam corporum conſtitutione, morbiue epidemici genio abscondito;* nunc enim ad petechias vergunt, aliaue exanthemata, et alio iterum tempore, ad haemorrhagias vehementes periculoſas, vel etiam ad gangraenas variarum corporis partium breui concipiendas inclinant. Petechiae quidem vtplurimum in febribus putridis, aeque ſimplicibus ac bilioſis, cum majorem morbus gradum aſſecutus fuerit, apparere ſolent. Sanguinis enim craſi per morbi vim diſſoluta, humor hicce facile in varia cutis celluloſa ſpatia *i*), vel ſecundum Ill. Pringle *k*), ſerum ſanguine tinctum in cryptas vel cellulas cutis penetrat, per cuticulam pellucidam perlucet et petechias ita dictas conſtituit. Non tamen aeque frequens in omni febre putrida hoc exanthematum genus eſt, eam forte ob cauſam, quod aliquando mitior morbi epidemici genius, tantam humorum diſſolutionem efficere nequeat, quum ferocior eam facilius, certius, citiusque gignat. Habemus exempla erumpentium jam primo vel ſecundo a decubitu aegri die petechiarum *l*), cum alias maximam partem poſt quartam demum *m*), vel ſecundum

Cel.

i) Conf. Ill. v. HALLER *Element. phyſiol.* T. I. p. 37.

k) Conf. *Appendix to the Obſerv. on Army Diſeaſes*, p. CVI.

l) Conf. PHIL. GOBBI *Diſſ. Hiſtoriam et curam epid. febris amplectens in* HALLERI *coll. Diſſ. Med. Pract.* Tom. VIII.

m) PRINGLE *Obſervat. on Army Diſeaſes*. p. 303.

Cel. HVXHAM *n*), inter sextum et vndecimum diem erumpere soleant. Forsitan et major solidorum laxitas, et varia putredinis humorum natura aut aliae nobis adhuc ignotae causae facere possunt, vt in vno facilius appareant aegro, ac in alio. Inualuit autem mos illas febres in quibus interdum quidem, at rarius occurrunt petechiae, petechizantes dicere, illas autem in quibus maximam partem reperiuntur, petechiales. At alia etiam exanthemata, partim critica, partim minus, his nonnunquam superueniunt febribus, petechiis tamen minus sunt frequentia. Obseruauit ita cel. HVXHAM eruptionem erysipelaceam vel pustularem multis aegris angina putrida laborantibus accidisse *o*). Cl. STOERCK exanthematum miliarium febri putridae post septimum diem superuenientium mentionem fecit, licet et in hac febre petechialia simul apparere solebant *p*). Cl. HASENOEHRL maculas grate rubras et criticas quarto vel septimo die in febre putrida vidit erumpentes *q*). Febris putridae, in qua efflorescebant in foeminis purpura, in puerperis sola rubra, in reliquis indiscriminatim alba et rubra, in potiori autem sexu petechiae, dedit historiam

Cl.

n) *Obseru. de Aere et morb. epid.* Tom. 2. p. 45.

o) Conf. *Dissertat. on the ulcerous sore throat, annexd to the Essay on Fevers.* p. 282.

p) Conf. *Anni medici I. Vindob.* 1760. *edit.* p. 48. sq.

q) Conf. *Histor. med. febris petechial. quae ab a.* 1757. *ad a.* 1759. *Viennae grassata est.*

Cl. WEITBRECHT *r*). Cl. DVHAMEL de febre continua putrida refert in qua nonnullis eruptiones herpeti ſimiles in abdomine obortae ſunt *s*). Cel. HVXHAM febrem obſeruauit putridam malignam ſaepe cum maculis paruis obſcuris vel ſubatris, interdum cum luridis papulis per totum corporis habitum erumpentibus, interdum quoque puſtulae largae erodentes illam comitabantur *t*). Alias etiam obſeruauit vir cl. puſtulas de quibus liceat ipſius verba proferre. *Jam nunc quoque* (morbi nempe ſtatu) *interdum maximum attulit leuamem larga puſtularum eruptio more veluti variolarum, quae tamen nil niſi tenuem et acrem ichorem continebant; erumpebant etiam aliquando multo minores, at vrentes admodum, quae vero in ſquamas mox abirent: ſalutiferae quoque et hae. In quibusdam peralbas quasdam et latas maculas notaui, parum eminentes quaſi ex vrticae morſu, hae vero difficilis indicii u*). Interdum, at rarius, occurrunt epidemiae in quibus omni fere aegro ſanguis fuſe, nec ſine inanitionis metu ex naribus fertur. Ita Cl. DVHAMEL notauit febrem continuam putridam, cui nono aut vndecimo die ſaepius acceſſit ſanguinis per nares nullo modo compeſcendum effluuium, quod die duodecimo aut decimo

cimo

r) *De febrili Conſtitut. petechizante, Petropoli* 1735. *graſſante*; in HALLERI *Colleꝺt. Diſſert. Med. Praꝺt.* T. V.

s) Vid. *Memoires de l'acad. Royale des ſciences de Paris de l'an.* 1747.

t) Vid. *ejus Obſeru. de aere et morb. epid. Vol. alter.* p. 137.

u) Vide *libr. cit.* p. 46.

cimo quarto lethale esse consueuit *w*). Descripsit cl. DARLVC febrem, quae, cum erysipelas faciei illam comitari solitum sit, ad exanthematicas quidem pertinere quoque videtur, at in qua etiam nonnullis aegrorum grauior narium accessit haemorrhagia *x*). Febrium putridarum gangraenosarum plures habemus obseruationes. Ita variolas putridas gangraenosas obseruarunt inter alios SYDENHAM *y*), et HVXHAM *z*). Cl. ZIMMERMANN exemplum refert dysenteriae putridae febrilis, cui crurum gangraena accedere solebat, Flandriae a. 1673. in turmam equitum saeuientis *a*). Contemplanda etiam hic potissimum venit febris putrida cum angina gangraenosa conjuncta, quippe quae variis temporibus multisque in locis epidemice grassata est et permultos confecit *b*). De febre acuta militis, cui nasus, palpebrae, labia, lingua, et vngues tertio morbi die prorsus denigratae fuerunt, aegro summa anxietate,

w) in *Memoires de l'acad. Royale des sciences de l'an.* 1747.

x) Conf. *Indiculum morbor. epidem. etc. in* VANDERMONDE *recueil period. d'obseruat. de medec.* T. VII. p. 55. sqq.

y) Conf. *Opp.* Tom. I. p. 124.

z) *Obseru. de aere et morb. epid.* Vol. 2. p. 122.

a) *Von der Ruhr* X. Cap. p. 341.

b) *De perniciosa huius gangraenosae anginae specie* Conf. MALOVIN *histor. morbor. epidemicor. Paris* 1746. *obseru. in Memoire de l'academie Royale des Sciences de l'an.* 1746. et CHOMEL *Diss. historique sur l'espece de mal de Gorge gangreneux Par.* 1749. et GARNIER *Quaest. med. An anginae gangreanosae emeticum. Par.* 1750.

tate, ſummisque doloribus hypochondrii dextri diuexato, et poſtridie mortuo, obſeruationem habet cl. LENTIN *c*). In febribus et diarrhoeis ſaepe vidit cel. BALDINGER gangraenam in apice naſi incipientem, ad oculos dein et genas breui diffuſam, morte horis quinque vel ſex jam ſubſequente *d*).

§. XI.

Vltima denique febrium putridarum diuiſio illas 5) diſpeſcit in *primarias* et *ſecundarias*. Prioris ſunt generis pleraeque febres putridae epidemicae, poſterioris autem vel ſymptomaticae, vel ſuperuenientibus accidentalibus cauſis excitatae. Pro ſymptomaticis haberi poterunt illae febres, quae ab exulceratione cujusdam corporis partis originem ducunt, et phthiſicae plerisque audiunt; abſorptum enim in tali caſu pus humores colliquat et ideo in putredinem vergere facit, hinc febris ſecundaria vel ſuppuratoria variolarum referenda huc etiam erit, quippe quae ex eadem potiſſimum oriri videtur cauſa. Miasma venereum cum humores vehementer corrumpat, febrem putridam ſymptomaticam ciere etiam poteſt. Febres autem putridas ex accidenti ſuperuenientes dico, quae ex regiminis, diaetae, curationisue vitiis fiunt.

§. XII.

c) *Obſeru. Med. Faſc. I. Obſ. X.*

d) *Von den Krankheiten einer Armee.* p. 264.

§. XII.

Aſt abſolutis putridarum febrium diuiſionibus, ſupereſt vt de illarum contagio et curatione pauciſſimis verbis nonnulla ſuperaddam. Contagium videtur eſſe ſubtile quid, quod vi pollet corporis humores, ſi iis applicatur, in materiam ſibi ſimilem conuertendi. Hoc, ab aegrorum corporibus, circa morbi ſtatum praecipue, auolans, per pulmones et inhalantia cutis vaſa in corpus ad infectionem diſpoſitum receptum, gradatim in fluida animalia fermenti modo agere videtur, donec ſufficiente ipſorum quantitate in ſimilem maſſam conuerſa, eundem demum producat morbum ac ille fuerat, a quo originem duxerat. Antiquior haec eſt et maxime forte recepta de contagio theoria. Contra hanc autem pugnant Ill. Car. a Linne *e*), et cel. Plencitz *f*), qui, et praecipue quidem cel. Plencitz, omne contagium animalculis deberi credunt, ſuamque opinionem permultis, haud leuioris quidem notae, argumentis defendunt. At multum etiam in aduerſam partem dici poterit. Dum igitur lis adhuc ſub judice eſt, optimum erit exſpectare, donec vna alteraue opinio vlterioribus comprobata fuerit experimentis. Videntur tamen inſecta effectus potius eſſe contagii quam ipſius cauſae, ſi enim ea

e) Conf. *ejusd. Diſſ. Exanthemata viua dictam reſp.* I. C. NYANDER *Vpſal.* 1757. *et Noxa Inſectorum Reſp.* M. A. BAECKNER 1752. *habitam.*

f) Conf. *ejus. Opp. phyſico medic. Tract. I. de Contagio.*

ea pro caufis habere velis, aeque juftum foret fecundum Autorum argumenta omnem putredinem, omnemque vnius fluidi in aliud mutationem, quam fermentationis ope hucusque modo non omnes fieri credidere, ab infectis etiam deriuare, quae tamen opinio parum prae fe ferre videtur probabilitatis. Neque etiam ipfae a laudatis autoribus adductae rationes tanti videntur effe ponderis, vt ad dimittendam alteram magis receptam fententiam attentum verique ftudiofum lectorem facile mouere queant. At manum de tabula, fcopus non admittit, vires non fufficiunt meae, vt fufius in hanc rem inquiram, vt judicem, cuinam harum opinionum debeatur laurus. Id folum addo vnum morbum magis contagiofum effe altero. Scabies v. c. mero attactu propagatur, lues venerea vix aliter ac per partes genitales, mammas, labia, aliamue partem tenuiffima cuticula obductam. Variolae autem, febres putridae plures, dyfenteriae, per folum halitum fana corpora, ad recipiendum contagium apta inficiunt. Febres putridae fporadicae non facile funt contagiofae, nec fymptomaticae, nifi morbus ipfe cui accedunt contagiofus fuerit. Omnium maxime contagiofus morbus peftis eft, cujus etiam diu latere poteft miasma, et nihilominus dein priftina vi agere, vehementiffimosque exferere effectus.

§. XIII.

Dum autem curam putridarum intuemur, apparere primum incipit insignis vtilitas et necessitas exacte cognitorum discriminum quae hasce febres intercedunt. Omnino enim non poterit euitari error in curationis methodo, nisi putridas simplices a complicatis, praecipue a putridis biliosis rite distinxeris. Dilucidari autem inde poterunt perpetua et ingentia illa sententiarum diuortia, cur multi in putridis febribus euacuantia necessaria, et alii iterum eadem valde noxia, ambo ex propria obseruatione habuerint. Ill. de Haen dubia aduersus euacuantium vsum in malignis, quae ex minus perpetua illorum in his morbis vtilitate collegit g), commode forsitan hinc solui queunt, quum adductae illius obseruationes diuersi generis febres omnino sistere videantur, in quarum aliis faustum et exoptatum, in aliis aduersum noxiumque effectum euacuantia praestiterint; minimeque mirum, sub amplissimo malignarum genere, voce ad ill. Viri mentem vsurpata, quam plurimas acutas reperiri, in quibus emetica et purgantia, praesertim sine justa cautione exhibita, variam facile noxam afferre potuerunt. Etenim quam facillime nocere vtique possunt euacuantia in febribus putridis simplicibus, pariter ac in neruosis lentis; simpliciterque inflammatoriis: optimae autem sunt vtilitatis, justas

g) Conf. *Rat. med.* T. III, C. I.

ſtas ſecundum cautiones exhibita, immo ad felicem medelam ſaepe maxime neceſſaria, in putridis bilioſis, etiam magis ac vbi putrida diatheſis in bilioſis defecerit; in iis enim ſi bilioſa illa et corrupta relinquitur colluuies, paulatim in humorum recipitur maſſam, eosque inquinat, praeſertim ſi cortex peruuianus aliaue antiſeptica calidiora, vel diaphoretica aegro ſimul propinentur, neque diaeta antiphlogiſtica et antiſeptica ſollicite obſeruetur. Haec ipſa autem propoſita febrium putridarum diſcrimina, vt optime confirmari videntur obſeruatis aliorum, qui talibus in morbis ſub variis conditionibus, emetica et purgantia nunc proficua, nunc vero noxia, propria ducti experientia declararunt, HIPPOCRATIS, GALENI, FERNELII, SYDENHAMI, BAGLIVII, BOERHAAVII, FR. HOFFMANNI, MEADII, BRENDELII, HVXHAMII, PRINGLII, GLASSII, TISSOTI et plurium; ſic et eadem ſi accurate perſpecta habeantur, quam maxime inſeruiunt melius intelligendis, certioremque in vſum proprium vertendis aliorum obſeruatis monitisque practicis etiam ſpecialiſſimis. Facilius quoque praeterea ex hiſce febrium putridarum diuiſionibus dijudicari poterit, quando in putridis febribus venaeſectio locum habeat, quandoque nociua ſit, vbi porro acida vegetabilia, vbi ſpiritus vitrioli potius proſit, vbi cortex vel ſolus, vel cum acidis, vel cum euacuantibus conjunctus, vbi camphora, vbi diaphoretica, vbi veſicantia, vbi demum regimen frigidius vel

paulo calidius, et quaenam in omnibus cautiones requirantur.

§. XIV.

Atque his nunc pro virium tenuitate expositis, quae B. L. aequi bonique consulat, proposito nostro, quantum angustiores sinunt dissertationis academicae limites, nos quodammodo satisfecisse existimamus.

V.

Dissertatio sistens circa variolarum distributionem inprimis ratione febrium cum iis conjunctarum quaedam analecta. Publice proposita Gott. 1770. Resp. Is. Dan. Fellinger, *Aquisgranensi.*

---

§. I.

De argumento, quod, ex legum academicarum praescripto, inaugurali specimine exponerem, nec inutili quidem, nec minus tamen difficili, eligendo, mihi curatius meditanti, de morbo tam saepe grauissimo ac difficillimo, plurimisque pernicioso, fere neminem mortalium a pluribus jam saeculis plane praetereunte, ac fere omnes semel modo affligente, notissimo nempe illo variolo-

so

ſo, notatu digniora quaedam viſa paucis explanare, conſilium placuit, praeſertim cum hoc ipſum ab ill. etiam Praeſide, Praeceptore meo maxime colendo, valde probaretur. Ex hoc nempe, quoad perſpicere mihi hactenus conceſſum, atque per anguſti temporis, a ſtudiis academicis, etiamnum interea ſimul perſequendis, reliqui ſpatium mihi licuerit, veri ſic dicti morbi varioloſi, quoad febrium in primis cum illo conjunctarum, differentias, in praxeos commoda conſtitutas ponderare, meum in animum induxi.

§. II.

Licet enim quam plurimi atque ſuo merito celeberrimi Auctores inde ab ipſo Rhaze ad noſtra ipſa tempora in obſeruandis atque deſcribendis hujus morbi, generi humano prae multis aliis tam ſaepe infeſtiſſimi, varietatibus, et in definiendis ſecundum conditiones aegrorum diſcrepantes, medendi methodis diuerſis, neque minus etiam certa in capita diſtribuendis, quo rationalem ejus curationem faciliorem redderent, ipſius morbi differentiis, praeclaram omnino et inſignem, vt facile animaduertimus, operam poſuerint, vix tamen ex artis tyronibus aliquem fore exiſtimo, qui conſultis Practicorum operibus iisdemque inter ſe ſollicite collatis, dolorem exinde ſingularem non ſit percepturus, quod multitudo ſpecialiſſimarum cautionum, ab Auctoribus optimis traditarum, atque diſ-

ſenſus ille frequens, vt quoad alia multa, ſic et quoad partitiones morbi varias, harumque momenta, obuius hanc etiam doctrinae medicae partem difficultate permoleſta implicet.

§. III.

Ad magna artis haec incommoda aliquantisper imminuenda Medici dudum ex ingenti multitudine obſeruationum ſpecialiſſimarum, inter ſe quam maxime diſcrepantium, licet harum quoque notitia medico practico perquam ſimul vtilis immo neceſſaria ſit, varioloſum quoque morbum varia in genera diſtinxerunt. Nos quidem praecipuas primum iſtarum partitionum bonis ab Auctoribus traditarum, breuiter proponemus, dein autem quanti quaelibet momenti ipſa in praxi videatur, quoad perſpicere conceſſum fuerit, ponderare adnitemur. Notiſſima et perquam vulgata variolarum diuiſio, etiam a RHAZE *a*) jam propoſita illa eſt in *diſcretas* ſiue *diſtinctas* et *confluentes*, quae a recentiſſimis etiam aetatis noſtrae Practicis prae aliis frequenter vſurpatur; harum vtrasque SYDENHAMVS *b*) et LOBBIVS *c*) aliique ſubinde vlterius in *regulares* et *anomalas* ſiue *irregulares* diſtribuerunt. Complures etiam Auctores generi inter confluentes et diſcretas intermedio peculiare *cohaerentium* nomen

a) *Ad Al-Manſor. Lib. X. c.* 18. et *de variolis et morbill.* ex edit. IO. CHANNING *Londini* 1766. *Cap.* XIV. *p.* 191. 193.

b) *Opp. vniuerſ. Edit. Leidenſ.* 1754. *p.* 132.

c) *Treatiſe on the Small Pox London* 1741. *p.* 7.

men imposuerunt. Praeter has differentias RHAZES *d*) jam memorauit *variolas virides*, *violaceas*, *nigras et admodum paruas*, *albas*, *duras*, *verrucosas*, *humore vacuas*, *ad maturitatem difficillime peruenientes*, *atque duplicatas*, *materiae abundantiam significantes*. HALY ABBAS *e*) has omnes variolarum species quoque notauit, simulque mentionem illarum fecit, *quas petechiae comitarentur*, atque *vesicae illis similes*, *quas ambustio excitare solet*. AVICENNA *f*) easdem omnes species pariter memorauit primusque retulit *sanguineam vrinam*, *similemque alui dejectionem*, quandoque in variolosis contingentes; mentionem quoque fecit speciei, quam vocat *duplices magnae*, *in ventre vnius quarum est variola alia*. Sed praeterea etiam generalis illa, magni a multis recentiorum habita, morborum praesertim acutorum in *benignos* et *malignos* diuisio fere peculiari quodam jure variolis conuenire a non paucis perhibetur; cui distinctioni adeo fauent nonnulli, vti MORTONVS *g*) et ex recentissimis Scriptoribus ill. quoque de HAEN *h*) vt plurimum illam habere momenti ad prognosin et medendi rationem recte constituendam contendant. Cl. HILLARY *i*) vlteriorem variolarum partitionem, praeter eam in *distinctas*,

d) *in locis citatis*, *et in libro edit.* CHANNING *p.* 195.
e) *Theoriae Lib.* 8.
f) *Canon. lib.* 4. *Fen.* 2.
g) *Pyretol. de febr. inflamm. c. VI. edit. Geneu. p.* 37.
h) *Rat. med. P.* II. C. III. *et alibi passim.*
i) *Essay on the Small pox. London* 1740. *p.* 36. 37.

confluentes, *contiguas*, *et illas*, *quas maculae petechiales et haemorrhagiae comitarentur*, pro fubtilibus potius ineptiis, quam vere vtili doctrina habet, contenditque nominatim hifce fpeciebus fingulis, vbi malignae effent indolis, *cryftallinas*, *filiquofas* et *verrucofas* aliquando intermixtas effe. MEADIVS *k*), non contentus ordinaria variolarum in difcretas et confluentes diuifione, quum non tam a purulentae materiae copia, quam ab aliis rebus circumftantibus exitium imminere, atque difcretas confluentibus interdum perniciofiores animaduerterat, rectius illas diuidi poffe exiftimat in *fimplices* et *malignas* harumque differentias praecipuas fua ex obferuatione reperiri tradidit inter *cryftallinas*, *verrucofas*, et *fanguineas*, *filiquofas* FREINDII cryftallinis fuis accenfens. Prolixa autem prae aliis partitio eft, quam cel. tradidit SAVVAGES *l*) praeter fic dictas *fpurias*, et quidem *lymphaticas*, duodecim enumerans variolarum verarum fpecies, *difcretarum* nempe feptem, 1. *benignas f. regulares* SYDENHAMI 2. *anomalas ejusdem*, 3. *ejusdem dyfenteriodes*. 4. *veficulares f. cryftallinas Meadii*. 5. *hujus verrucofas*. 6. *hujusque filiquofas*. 7. *miliares* HELVETII; poftea et quinque *confluentium*, nempe 1. SYDENHAMI *regulares*, 2. *cryftallinas* HELVETII. 3. *cohaerentes illius*, *quae confluentium malignarum ejusdem Auctoris alteram fpeciem fiftunt*, *cum interuallis miliaribus*, *aut purpuratis*. 4. *nigras*

k) *De variolis et morbillis libro*, *edit. Goett. p. 16. et fqq.*

l) *Nofol. method. Tom.* II. P. I. *p.* 367. *fqq.*

nigras Sydenhami vel ſanguineas MEADII 5. *corymboſas, ab* HELVETIO *deſcriptas.* Ratione Febris autem, quae puſtulas varioloſas comitatur et praecedit, alii nullam memorant peculiarem diſcrepantiam, niſi quae ex varietate vel corporibus aegrotantium inhaerentis conditionis, vel epidemicae conſtitutionis, annique temporum ac tempeſtatum, vel etiam diuerſae miasmatum virulentiae, regiminisque diaetae et medelae conditionis, quodammodo concipitur, certa tamen in genera febres non diſpeſcunt; alii harum etiam febrium diſcrimina, diuiſionibus illis peruulgatis variolarum in benignas et malignas, ſiue meliores et pejores, ſiue regulares et anomalas, ſimul comprehendunt. Nonnulli tamen et ejusmodi varia febrium genera, quae et alias tum ſolitaria tum etiam cum inflammationibus, aliisque exanthematibus, atque catarrhis conjuncta occurrunt in variolarum decurſu obuia memorarunt, quorumque accuratior idea aliquam curationi lucem affundere perhibetur; ita enim febris nunc inflammatoriae indolis, nunc vero ab hac aliena eſſe dicitur, nunc lentior quidem, nunc acutior, etiam verioribus quandoque praedita malignitatis characteribus, quibus ſcilicet periculum fere ſola duce experientia innoteſcit, ex cauſis nempe non ſatis certe ac euidenter apparens, quique perturbatum inſuper occultiori ex origine ſyſtema neruoſum declarant, et e ſymptomatibus praeſertim, nec ſibi inuicem nec manifeſtiori aegrotantium condi-

tioni

tioni reſpondentibus deſumuntur, atque ex his in primis ingenioſus et accuratus ſcriptor, Io. Hvxham *m*) laudari meretur, qui febres cum variolis conjunctas diuerſas, nunc *inflammatorias*, nunc *lentas neruoſas*, nunc *malignas ſ. putridas et petechiales* deſcripſit, atque variam his accommodare medendi rationem docuit, vbi ſemper magis ad hoc febrium diſcrimen, quam ad reliquas differentias attendiſſe videtur.

§. IV.

Jam vero ſcrutaturi, quantae vtilitatis ipſa in facienda medicina ſint iſtae variolarum diſtributiones, eam primum conſideremus, qua in diſcretas, confluentes et cohaerentes diſtinguuntur. Vocabulorum, quibus haſce ſpecies denominare ſolemus, explicationem praetermittere licebit, cum notiſſimus ſit illorum de hoc morbo vſus, idemque ex reliqua etiam illorum communi ſignificatione facile colligatur, ſi modo obſeruetur, puſtularum faciei praecipuam hic rationem haberi. Si confluentes tunc variolas oriri aſſumamus, vbi denſiſſimae in facie puſtulae ſimul ac ſemel eruperint, quae auctae in vnam permutentur veſicam varioloſam, in eam facile ſententiam tranſibimus, numero ſaltim confluentes, cohaerentes atque diſcretas differre, morborumque integrorum iisdem conjunctorum diſcrepantiam, quod majorem puſtularum praeſertim

m) *Eſſay on Fevers Edit. 5. London* 1767. *p.* 126. 127. 128.

tim faciei copiam, grauior pluribusque et periculosioribus ſymptomatibus ſtipata febris comitari ſoleat, vnice in vario ipſorum gradu conſiſtere. Quodſi etiam quis optimorum, qui de hoc morbo ſcripſerunt, Auctorum hiſtorias et aſſerta contulerit, eandem quoque ſententiam ipſorum obſeruatis omnino confirmatam reperiet. Ita enim SYDENHAMVS n) *ſymptomata*, inquit, *cum diſcretis communia habet et illa variolarum ſpecies, quas confluentes adpellauimus, niſi quod hic atrociora ſint omnia, febris ſcilicet, anxietas, atque aegritudo, vomituritio etc. immanius adfligant, quibus ſignis Medico ſagaci, etiam ante eruptionem, confluentes ſe produnt.* Quae praeterea etiam accuratiſſimus hic ceteroquin obſeruator memorat confluentium in morbo frequentius obuia phaenomena, minorem nempe ad ſudores atque majorem ad diarrhoeas, antequam erumpant puſtulae, propenſionem, et eruptionem vltra tertium diem rariſſime dilatam, et quae ſunt plura, nequaquam propria plane perpetuaque confluentibus eſſe, per ipſam abunde conſtat experientiam. Ex valde aeſtimatis, ipſoque a BOERHAAVIO etiam maxime laudatis de hoc morbo Scriptoribus, eſt etiam THEOPHILVS LOBB o), qui de hoc diſcrimine ita ſentit: *By the diſtinct and confluent ſmall pox I do not apprehend two different ſpecies of Diſtempers to be meant, but only that the moſt remarkable difference of the*

n) *Opp. vniuerſ. Sect.* III. *cap.* 2. *p.* 135.

o) *Treatiſe on the Small pox p.* 6.

the fame kind of difeafe is thereby denoted; for in the confluent Pox it is only a greater degree of the morbid Quality, and of the Quantity of the variolous matter, which makes the various Appearances, and which produces the great variety of fymtoms, according to the feueral Parts of the Body affected with it. Neque de hac differentia alia eft fententia BOERHAAVII *p*) et HILLARY *q*) et MEADII *r*) et TISSOTI *s*) et Equitis de ROSENSTEIN *t*) quorum et aliqui, vti alii etiam plures, hoc difcrimen haud magni aeftimare videntur. Quodfi ergo fic fe res habeat, nomina confluentium, cohaerentium, difcretarum variolarum tantum inferuient majori medio et minori gradu, qui, fub reliquis paribus aegrorum conditionibus, locum habeant, diftinguendis, nec rejicienda quidem funt, quod hi gradus certos quodammodo limites habent, qui tamen nec pro folis affumi debent, cum quam plurimos habeant intermedios, nec vt gradus varias vere difcrepantes morbi variolofi fpecies fiftunt, quae diuerfas et cuique proprias medendi rationes poftulent. Neque dubitauerit etiam in obferuando ac pro varia indole fua tractando morbo mediocriter verfatus haud aliis artis praefidiis confluentes plerumque indigere ac difcre-

p) *Aphorifm. de cogn. et cur. morb.* §. 1397.

q) *Practical Effay on the Small pox p.* 42.

r) *de variolis et morbillis libro, edit. Gott. p.* 16.

s) *Avis au peuple fur fa fanté* §. 209.

t) *Anvveifung zur Kenntnifs und Cur der Kinderkrankh. 2te Ausg. p.* 111. 118. 122. 123.

diſcretas copioſiores; eisdem quippe ſymptomatibus et grauitate ac periculo, quae illis frequentiora ſunt, in has pariter non raro incidentibus.

§. V.

Verumtamen, ſi tum indolem ipſius confluentium eruptionis, tum frequentiorem integri cum variolis hisce conjuncti febrilis morbi conditionem propius et accuratius intueamur, certam quandam varioloſi hujus confluentium morbi naturam perſaepe ſaltem aut plerumque eſſe, ex probabili et in vſum praxeos proficua conjectura, ſentiendum videtur. Ipſo rerum vſu confirmante, SYDENHAMVS docuit, ante confluentium eruptionem immanius affligere febrem, anxietatem, aegritudinem, vomituritionem; diarrhoeam inſuper etiam aliquando ante eruptionem accidere, illamque ad diem vnum alterumue poſt eandem protrahi; tertio vtplurimum die et nonnunquam citius, raro ſerius, hanc ſpeciem erumpere, ob atrocius tamen aliquando ſymptoma eruptionem ad quartum vel quintum vsque diem differri, verbi gratia ob acutiſſimum dolorem, quaſi nephriticum, vel pleuriticum, vel in artubus rheumaticum, vel ob ingentem ventriculi aegritudinem, cum vomitu enormi; in confluentibus etiam aeque febrem ac alia ſymptomata ad multos dies a puſtularum eruptione aegrum diſcruciare; variolas has nunc eryſipelatis ritu nunc morbillorum erumpere, a quibus non niſi a Medico in his

rebus

rebus versatissimo distinguerentur. Frequente praeterea obseruatione satis constat, saliuationem confluentibus adultiorum, licet nec illa immunes permanere soleant copiosioribus discretis affecti, perpetuum se comitem adjungere, ita quidem vt modo rarissime deficiat, ipseque SYDENHAMVS vnicum tantum talem viderit confluentibus laborantem, cui nulla superuenerit saliuatio, eandemque frequentius longe abundare in confluentibus ac in discretis. Notatu quoque digna est illa infantum sub confluentibus multo major quam sub discretis ad diarrhoeam pronitas, qua fit, vt fluxus iste in plerisque, nisi impediatur, sponte, nunc paulo serius, nunc vero citius, per tertium praesertim et quartum stadium, nec raro per integrum morbi decursum, et in aegrorum quidem salutem, succedat. Attentionem praeterea meretur SYDENHAMI consilium, licet nos quidem tam generaliter illud amplecti nolimus, *vt, si vel minimum suspicari liceat, variolas mox erumpentes e confluentium genere futuras esse, vt non solum sanguis mittatur, sed et emeticum propinetur u)*; quod alibi de confluentium pariter agens curatione sic proponit: *necesse erit sanguinem primum e brachii venis educere et post aliquot horas emeticum eradicatiuum ex infusione croci metallorum exhibere, quod non solum materiam, a qua oriatur aegritudo ista insolentior, foras propellit, sed etiam aegrum ita refocillat,* vt

u) *Opp. vniu. p. 146.*

vt jam quaſi ſanus lectulo abeſſe poſſit v). Fauſtum quoque hunc emetici exhibiti ſucceſſum, et praegreſſo quidem ſpontaneo colluuiei bilioſae vomitu, enarrata memorabili juuenis, confluentibus variolis correpti, curatione confirmat *w*). Jam vero ſi haec ipſa, obſeruationum inſtar, quas etiamnum experientia ſaepiſſime ſtabiliat, conſideremus, facile perſuadebimur, in confluentium variolarum morbo plerumque, ſi non ſemper vitioſum circa praecordia fomitem haerere, qui tum grauiora illa eruptionem praecedentia, comitantia, et ſubſequentia ſymptomata, tum et ipſam eryſipelati aut morbillis aemulam eruptionem producat. Quem enim rerum in morbis febrilibus obſeruandis frequentior vſus non defecerit, compertum facile habere poterit, quam ſaepe grauiora iſta ſymptomata, quae confluentium variolarum morbum comitantur, et ipſa major febris vehementia, etiam alias ex primarum viarum colluuie morboſa et praeſertim quidem abundantius bilioſa, oriantur, nec forſitan magnam difficultatem is reperiet, in deriuandis eadem ex origine et minori gradu leuaminis, confluentium quam diſcretarum eruptionem plerumque ſubſequentis, et ſaliuationis citiori ac abundantiori in confluentibus impetu, licet vtrumque hoc malum alias etiam habere cauſſas poſſit. Videtur enim

v) Diſſ. epiſt. ad Guil. Cole. Opp. p. 370.
vv) ibid. p. 380.

enim obſeruatio omnino docere, ſaliuationem, ceteris fere paribus, magis abundare in corpore quoad primas vias minus puro, et, ex pluribus cauſſis febris, variis cum ſymptomatibus ab eruptione vlterius perſeuerantis, haud infrequentem eſſe, primarum viarum ſordes, praeſertim bilioſas, ſecretionum et excretionum vitio in praecordiis collectas. Annon ergo hinc probabile, variolas confluentes prae diſcretis frequentius conjunctam habere vitioſam et praecipue bilioſam ad primas vias colluuiem? Attamen et vlterius huic argumentationi aliquam addere fidem videtur ipſius confluentium eruptionis cum eryſipelate et morbillis, quibus illa ſimilis eſt, inſtituta comparatio. Quod enim GALENVS x) innuit, eryſipelas a bilioſo ſucco naſci, ejusque curationi medicamenta quae bilem expurgant, inſeruire, recentiorum complurium obſeruatione, quam et propria cujusuis probe attenti experientia facile confirmauerit, ſatis comprobatum reperimus. Ita enim de eryſipelate agens docet MEADIVS y) *Non ſane alius quiuis morbus acutus facilius iteratam purgationem fert, praeſertim vbi cum tumore inflammatio caput obſidet;* ſimiliterque fere cl. BROCKLESBY z) inter alia vtiliſſima de hoc morbo obſeruata notat: *no acute Fever whateuer bears artificial purging ſo early without diſturbance as the*

x) *Methodi med. L. XIV. c. I. et II.*

y) *Monit. et praecept. med. edit. Goett. p. 17.*

z) *Oeconom. and Med. Obſeruations London 1764. p. 143.*

the eryſipelas. Etiam Gvalt. Harris *a*) ad eryſipelas paulo poſt inſtitutam venaeſectionem cathartica leniora commendat ad *aeſtuantes humores euocandos et bilem praedominantem compeſcendam.* Pariterque Io. Freind *b*) *ſatis mihi*, inquit, *experimentis eſſe edoctus videor, vt pronuntiem in capitis eryſipelate ſi quando cerebro tentato oboriatur coma, delirium, neruorum diſtenſio, aut nullam eſſe ſalutis ſpem, aut purgantia maxime profectura; neque in his rerum anguſtiis expectandum eſſe, quod et in variolis experimur, dum vel febris lenita ſit, vel tumor plane ſubſederit.* Eadem plane ſententia eſt Io. Bapt. Bianchi *c*) et Tissoti *d*), qui ambo et quoad originem et quoad curationem Galeno plane, non quidem ex hypotheſi, ſed obſeruationibus permoti, adſtipulantur. Annon ergo ſecundum haec etiam valde probabile, confluentes variolas hisque propius accedentes cohaerentes aut contiguas morbum ſiſtere ex variolis et eryſipelate, praeſertim faciei, complicatum? Haec autem, licet arrideat, ſententia minime tamen nos permoueat, vt generalem curationis regulam ad confluentium nomen conſtituendam, nec in aegroto quolibet in praeſentia indicantia, quae cautae non minus ac ſatis efficacis medelae normam praebeant, inquirendum eſſe, exiſtimemus. Sed ſupereſt, vt nonnihil quoque de ſimilitudine con-

a) *Diſſ. Med. et Chirurg. VII. p. 123.*
b) *Comment. VII. in libr. epid. Hipp. edit. Pariſ. 1735. p. 51.*
c) *Hiſtor. hepat. T. 1. p. 423.*
d) *Diſſ. de febribus bilioſis Lauſann. 1758. p. 161.*

fluentium variolarum eruptionis cum illa morbillorum, a SYDENHAMO etiam aſſerta, ſubnectamus. Longiſſime quidem ab ea me abeſſe ſententia fateor, aliquam ex hac ſimilitudine complicationem horum ipſorum exanthematum, quorum nempe vtraque proprium ſuum poſtulare contagium extra omne fere dubium poſitum eſſe exiſtimo, probabili ſatis conſequentia colligi poſſe. Attamen cum haec etiam a SYDENHAMO aliisque propoſita, et per autopſiam ſaepiſſime ſtabilita, conuenientia eruptionis confluentium variolarum cum illa morbillorum eandem quodammodo confirmet, quam declarauimus morbi confluentium varioloſi naturam, nec plane indignam attentione hanc cenſuimus comparationem. Obſeruauit jam RHAZES *inquietudinem et nauſeam et moerorem in morbillis abundare magis quam in variolis, niſi variolae ſint prauae*, indeque concludit (ſecundum verſionem IO. CHANNING) e), vel pro ipſa cauſſa illorum ſymptomatum habet (ex interpretatione MEADII) f), *morbillos ex ſanguine oriri admodum bilioſo.* Huic vero vniuerſali aſſertioni licet adſtipulari nolimus, minime raro tamen bilioſae indolis febrem, et quae vomitiones atque alui laxitatem commode ferat, quin etiam ſubinde poſtulet, morbillos, et frequentius quidem ac variolas diſcretas, comitari, complurium

Scri-

e) *Lib. citat. p.* 39.

f) *Libell.* RHAZIS *latine redd. quem proprio ſuo adjunxit de variol. et morbill. lib. Goett. p.* 96. 97.

Scriptorum fide digniſſimorum teſtimonio, ipſoque rerum vſu, facile confirmari exiſtimamus. Ita enim SYDENHAMVS g) quoque ſymptomata inter ordinaria morbillorum regularium eruptionem praecedentia refert, aegros vomere, ſaepius tamen laborare diarrhoea, cum dejectionibus ſubuiridis coloris. Vomitum quidem, addit SYDENHAMVS, poſt eruptionem morbillorum nunquam obſeruaui, ſed contrarium praeſtantiſſimus TISSOTVS refert, dicens, *J'ai vu quelque fois, qu'un vomiſſement de matieres bilieuſes vn ou deux jours après l'eruption ſoulageoit beaucoup plus que l'eruption même h*). Non opus videtur plures adducere teſtes; praeterire tamen haud licebit, Ill. pariter Praeſidem, prouti Auditoribus ſuis confirmauit, bilioſam morbilloſae febris conditionem et maxime ſalutarem vomitionum aeque ac diarrhoeae ſpontaneae ſucceſſum frequentiſſime obſeruaſſe, neque raro indicantia iſtas ciendi vacuationes reperiſſe, vbi etiam optima ſemper illarum viderit effecta *i*). Atque hinc jam ſatis conſtare arbitror, ipſa etiam illa eruptionis variolarum confluentium cum eruptione morbillorum ſimilitudine quodammodo illuſtrari et vlterius confirmari, quod aliis ex rationibus probatum dedimus, bilioſam nempe febrem et eryſipelaceam

g) *Sect. IV. C. V. Opp. p.* 196.

h) *Avis au peuple* §. 222. *p.* 252. *Confer.* §. 223. *p.* 253.

i) Conferri meretur ipſius etiam ſub praeſid. a cl. FRID. LVD. MAY Gott. 1767. habita Diſſ. *de amplitudine generis febr. bilioſ.* §. *XI. p.* 51. *ſqq.*

plerumque faltim, fi non femper, illam habendam effe, quae confluentium variolarum, grauiusque cohaerentium, morbum comitatur, atque ideo praefertim peculiarem in praxi attentionem mereri, quae hunc inter et illum difcretarum intercedit, differentiam; licet etiam hoc refpectu minime accuratam effe hanc partitionem exiftimemus, quod, fimiliter ac biliofae multae occurrunt febres non fimul eryfipelaceae, ita quoque variolae fubinde obferuantur cum biliofa febre conjunctae minime confluentes.

§. VI.

Liceat nunc etiam difquirere et paucis exponere, quid de variolarum difcretarum aeque ac confluentium in *regulares* et *anomalas* diftinctione fentiendum videatur. A multis hanc partitionem plane non vfurpatam, a quibusdam pro fynonymo illius in benignas et malignas habitam reperimus k). *Sydenhamus*, vt conftat, eam diuifionem primus introduxit, quasque fub regularium nomine defcripfit, antea quoque *genuinas prae ceteris*, neque *mali moris* fuiffe, *paucosque jugulaffe*, dixit, easque φαινομενα *prorfus eadem* exhibentes, atque fic incedentes vt *parili fymptomatum agmine* omnes, quotquot adortae fuerint, impetiuerint, fe obferuaffe retulit, et ab illis, tanquam *in fuo genere perfectiffimis*, tum veram morbi hiftoriam tum etiam medendi methodum

k) IO. IVNCKER *confp. med. theor. pract. Tab. LXXVI. p.* 618.

dum desumendam esse judicauit. Certis annis sic obseruatas, ait, *regulares ideo mihi licebit indigitare, vt ab anomalis subsequentium annorum valeam dispescere l*) pro synonymo regularium etiam nomine *legitimarum* vtitur *m*). Facile igitur quisque animaduerterit, *Sydenhamum* sub regularibus intelligere, quarum decursus ita bonus et facilis et mitis et ordinatus, periculoque tam immunis est, qualem exoptare permittat complurium diuersae indolis variolarum comparatio. Notat etiam ipse accidentia anomala, vbi minus recte tractetur morbus, eidem superuenire *n*). Ad anomalas refert variolas discretas, quarum eruptio in tertium diem incidit, ad eam magnitudinem ac alias non adsurgentes, sub diebus vltimis, vbi jam maturuerint, frequentius nigrescentes, atque saliuatione instar confluentium stipatas *o*); aliasque nigras, minus putridas, naturae autem magis crassae et incoctilis, tardius periodum absoluentes, quam vllam aliam speciem *p*). Quae ipsa, cum pluribus aliis, minus ordinate minusque ex voto succedentibus, facile declarant quo sensu *anomalarum* nomen SYDENHAMVS vsurpauerit. Si alios bonos Auctores conferamus, reperimus complures simili ratione, vel iisdem sub nominibus, vel sub aliis etiam, variolas quoad indolem

l) *Opp. p.* 130. 131. 132.
m) *l. c. p.* 162.
n) *l. c. p.* 139.
o) *l. c. p.* 201.
p) *l. c. p.* 234.

ac decurſum pariter diſtinxiſſe q). Omnino quoque aſſeuerare licet, *regularem* dari morbi varioloſi decurſum indolemque, ſi nempe natura vel ſponte ſua omnia, quae ad recuperandam ſalutem requiruntur, juſto modo, gradu, ordine, perficiat, vel etiam facillimum et rarum modo medentis conſilium auxiliumque poſtulet; cujus conditionis variolae haud raro certe obſeruare contingit; quasque, vt a curuo rectum, et a morbo ſanitatem, ab anomalis quibusque diuerſiſſimae ſane indolis, accurate diſtinguere juuat. Quemadmodum tamen nec ipſa ſanitas gradibus et varietatibus caret, ita nec vna perpetuaque in regularibus variolis conditio aſſumenda erit. Ideoque nunc pluribus nunc paucioribus, nunc his nunc aliis, ad regulares conſiliis locus erit, pro ipſarum varia, eademque majori minoriue ad anomalarum certas indoles, ſeorſim omnino diſtinguendas, inclinatione.

§. VII.

Quod ad diuiſionem variolarum in *benignas* et *malignas* ſupra allegatam attinet, pendent ideae horum generum ab illis, etiam alias cum vocibus benigni et maligni morbi generatim conjungendis. Manifeſtiſſime autem inter ſe multum diſſentiunt Medici in vſurpanda voce malignitatis. Sunt quidem qui ejus in vſu reſpiciunt ad ſubdolam et inſidioſam aliquam indolem, minus euidente praeſertim

q) Conf. inprimis LOBB *on the Small pox p. 7. §. 3. ſqq.*

tim ratione plus nocentem quam terrefacientem, quo in ſenſu ipſe HIPPOCRATES vocem κακοηθες, a latinis per malignum translatam, minime raro ſumſit; videnturque praeterea pleraque ipſius de malignitate in acutis notata, perturbatas in primis ex occultiori origine, et majori ſimul cum diſcrimine, ſyſtematis neruoſi functiones declarare. Maxime optandum eſſet, a generaliore iſto, proprio et Hippocratico vocis vſu ſeriores Medicos haud receſſiſſe; longe diuerſiſſima enim, quam plurimi dederunt, ejus explicatione, et praeſertim dum certas malignitatis cauſſas conſtituerunt, peculiaremque illi oppoſuerunt medelam, deteſtandam certe noxam, multis optimorum confitentibus, medicae doctrinae intulerunt. Neque celeb. GAVBIO r), eleganti et accuratiſſimo ceteroquin Scriptori, plane aſſentiendum cenſemus, vbi malignum morbum definit *per inſidioſe mitem, ſub phaenomenis non ominoſis aggreſſum, ex improuiſo grauiſſimis ſymptomatibus naturae vires opprimentem.* An enim *non ominoſa* dici poſſunt, quae maligna dixit phaenomena HIPPOCRATES, et poſt ipſum fere omnes; ſiquidem ideo maligna dicta ſunt, quod periculum ominentur? Et annon datur ſecundum HIPPOCRATEM malignitas, praeſertim in acutis, praeter illum a cel. GAVBIO indicatum decurſum? Annon vero alii quoque celebres in arte viri ab hac idea multum recedunt? Sunt enim qui cauſſae morbi vehementia

O 5 maligni-

r) *Inſt. path. medicinal.* §. 876.

malignitatis in acutis veram fignificationem denotari tradiderunt *s*). Sed multi etiam medicorum longe fpecialius, neque tamen inter fe plane confentientes, vtuntur vocibus illis latinis benignitatis et malignitatis, quam mos apud graecos fuit vocujas κακοηθες et ἔυηθες adhibendi. Sic enim haud pauci fubitam in primis virium proftrationem pro malignitatis primario charactere affumferunt; cui tribui annumerare poffumus fummum BOERHAAVIVM *t*), eos *malignos* dicentem *morbos qui fubito vires deftruunt*, qui tamen alias fere nihili hanc diuifionem aeftimauit; praeterea et MORGAGNVM *u*), et HOFFMANNVM *v*), et TISSOTVM *w*); eandemque fententiam alii etiam quamplurimi fouent. Sed an vere fecundum HIPPOCRATEM tanti aeftimandus eft hicce character? Et an opus omnino eft, vt ab illius mente hac in re multum recedamus? An autem malignus fecundum illum effe non poteft, fine fubita virium proftratione? Quam faepiffime enim de phreniticorum affectionibus malignitatem praedicat, quibuscum certe non femper illa virium proftratio quandoque ex cauffis oritur, quas absque difficultate tollere licet? *fubitaneam virium confternationem*

s) ill. de HAEN *Rat. med. P. XI. p.* 125.

t) *Prael. in Inft. med. c. notis Halleri Tom. VI. p.* 92.

u) *de fedib. et cauf. morb. Epift.* 49. *art.* 23.

v) *Med. rat. fyftem. Tom. III. fect. I. cap. VII.* §. 7.

vv) *Avis au peuple.* §. 243.

x) conf. BRENDELII *Diff. de phrenitide*, atque illa *de cognat. paraphrenit. et febr. malign.*

tionem cum SYDENHAMO y) ſaepe videmus emetico tolli z). Et *annon venaeſectio toties ſuppreſſas vires erigit?* bene hoc notante, ſecundum vulgarem experientiam ill. v. SWIETEN a). Et quis medici nomine haud indignus plures non perſpectas haberet etiam ſubitae et magnae proſtrationis virium cauſſas? Non ſolent vero manifeſtioribus ex cauſſis ortas debilitates ſubitas pro malignitatis indicio habere. Annon igitur quo minor medici perſpicacia quoad cauſſas detegendas fuerit, eo frequentius malignitatem culpandam reperiet? Nonne optime BOERHAAVIVS: *ignorata ſymptomatum ratio inanes malignitatis fabulas produxit b)?* Ill. de HAEN c) quidem eos morbos appellat malignos, *quos ſymptomata inſolita, aut ſolito grauiora et numeroſiora comitantur;* et alio loco d) *pertinacem reſiſtentiam aduerſus ſelectiſſima optimaque artis praeſidia*, vt ſignum malignitatis profert. Sed quis veri ſincerus nec ineptus aeſtimator non maxime vagas, et ſumme fallaces has definitiones cenſeret, ſi non leuiſſime plane illas ponderauerit? Annon et his recte opponitur veriſſimum modo allegatum BOERHAAVII dictum? Minus autem prolixis nobis eſſe licet, cum quoad integram quidem de malignitate doctrinam, prae-

y) *opp. vniuerſ. p.* 56.

z) conf. v. SWIETEN *Comment. T. II. p.* 271. 272.

a) *L. c. p.* 285.

b) *aphor. de cogn. et cur. morb.* §. 950.

c) *Rat. med. T. III. cap.* 1. *p.* 4.

d) *Libro cit. T. XI. p.* 125.

praesertim vero quoad istos ab ill. de HAEN propositos characteres, ad solidam clar. HENR. MATTH. MARCARD Amici et ante paucos menses Commilitonis aestumatissimi tractationem nobis modo prouocandum videatur *e*). Neque opus existimamus, illorum ceteroquin optimorum Scriptorum sententiam hic multis disquirere, qui in putrida febrium indole malignitatis characterem constituerunt, quod hoc ipso in laudato specimine *f*) et in illo cl. Doctoris AVG. EBERH. BRANDE *g*) jam satis expositum existimemus, quam facilis ad errores via etiam per hunc vocis malignitatis vsum pateat, in quo praeterea nec omnes Medicorum celebriorum consentiunt. Ita enim v. c. cel. ELLER *h*) malignitatem, *istam febris indolem denotare*, docuit, *qua morbus febrilis vehemens per contagium communicari et epidemice grassari solet.* Per hanc definitionem omnes variolae verae, vbi modo epidemicae, etiamsi mitissimae et perfecte regulares fuerint, pariter ac morbilli, semper malignae habendae sunt. Sed an quaeso haec idea commendari meretur? certe neque consentit Hippocraticae nec Haenianae, neque Gaubianae, neque Hoffmannianae, neque Huxhamianae, neque Brendelianae, neque pluribus aliorum. Horum autem ideae omnium inter se quoque discrepant. Quam ergo eligamus, cum tamen

e) *Specimen Exam. rigorosior. malignit. febrilis Goettingae* 1770.

f) §. XI. *p.* 51.

g) *de putridarum febrium differentiis Goetting.* 1768.

h) *obs. de cogn. et curand. morb. Sect. VI. p.* 112.

men bona vox ſit, cujus abuſus verum rectumque vſum non tollat? Libenter vteremur eo ſenſu, quem ſermo communis poſtulat, quo etiam intelligendum videtur HIPPOCRATIS κακοηθες, niſi metuendum foret, hunc ſic, illum aliter noſtra dicta aſſumturum eſſe; niſi aſylum ignorantiae, vt multi notarunt, vox illa ſaepius praebuerit, ac etiamnum praebeat; niſi eandem ideam, aliis etiam vocibus commode exponere liceret; et niſi tandem accuratiores longe et practicis vſibus magis accommodatae febrium diuiſiones illam in benignas et malignas plane ſuperuacuam redderent.

§. VIII.

Licet equidem ex hiſce jam liquere videatur, nec in doctrina de variolis partitionem illam in benignas et malignas ſatis tuto et ſine damnoſae fallaciae metu adhiberi, ex inſtituti tamen ratione paucis etiam diſquiramus, quomodo ſe habeat harum vocularum, quoad variolas vſus, et num forte in praxeos commoda probabiliori nitatur fundamento. Ex primariis qui hanc diuiſionem laudarunt, RICH. fere MORTONVS *i*) eſt, qui quidem, pro praeſente ſpirituum vel veneni robore et praepollentia, benignum vel malignum illarum morbum generatim appellari voluit, attamen vlterius et ſpecialiora, quae in dubia vel incerta et in certa vel demonſtratiua diſtinxit, criteria propoſuit. Prolixum nimis

i) *opp. med. T. III. p.* 113. *et* 114.

mis foret, magnum vtriusque generis numerum ex ipfo memorare, fingulorumque hoc loco ponderare momenta. Videntur autem plurima illa, quae tradidit, malignitatis indicia, omnia fere comprehendere, quae difficilia et periculofa fine manifefta externa caufa, in morbum variolarum incidere poffunt, et quae praefertim jam ab initio fe declarent, et grauiores fenfim ac euidentiores noxas inferant. Diuerfiffimae ac faepe contrariae plane indolis criteria haec facillime reperies, quae non aptius medentem dirigere poffunt, fi malignitatis nomine illa comprehendas, quam fi feorfim praetermiffa plane hac denominatione, fingula confideres, vt ideo fecundum illum fere perinde fit, vtrum nomine pejorum an malignorum nomine vtaris. Et, fi generalem ipfius ideam, antea jam memoratam, de veneni in malignis prae fpirituum robore praepollentiam attentius perpendas, atque hypothefes de fpiritibus obrutis, diffipatis, irretitis, expanfis, colluctantibus, deletis, veriores ad rationes exponas, ob conditiones tamen et caufas debilitatis plures, in variolarum initio aeque ac in curationis decurfu neceffario diftinguendas, certe non habebis, quod ex hac generali a Mortono tradita variolarum in benignas et malignas partitione plus commodi quam ex illa boni et mali moris, vel melioris pejorisque conditionis exfpectes. Aeque fere amplam et diffufam malignitatis in variolis fignificationem a pluribus affumtam reperies, ex quibus Frid. Hoff-

MAN-

MANNVM *k*) nominaſſe ſuffecerit, qui quidem in benignas, malignas et mediae inter vtrasque naturae variolas diſtinguit, et pro malignis habet, et quae nimis cito et quae nimis tarde proueniunt, quae depreſſae manent ac ſuppurationem renuunt, quarum plurimae liueſcentis et ex parte nigri coloris, vel nigro limbo ſtipatae fuerint, in quibus aegris poſt eruptionem ſufficientem pulſus celer perſiſtit cum inquietudine, qui erecti animo facile linquuntur, quando petechiae vel puſtulae paruae miliares ſe miſcent etc. Scriptor hic celebris manifeſte partem tantum difficiliorum ac ſaepius lethalium variolarum, ita quoque diſcrepantium vt maxime diuerſam poſtulent medelam, ſub malignarum nomine memorat, quarum conditiones omnino accuratius diſtinguendae ſunt, ſi aptam morbo medicinam facere velis. Bene quidem ſua in partitione notauit MEADIVS *l*) quod tamen jam abunde a SYDENHAMO et Arabibus obſeruatum reperies, diſcretas interdum confluentibus pernicioſiores occurrere, et ideo diuiſionem in diſcretas et confluentes non ſufficere, eidemque illam in benignas et malignas, quaſi ſynonymicam ſubſtituere ſine errore haud licere. Jam vero perpendamus quoque an in illa, quam ipſe tradit, partitione acquieſcere nobis liceat. *Simplices variolas* quas *malignis* opponit, per

k) *Med. Rat. Syſt. T. IV. P.* 1. *ſect. I. c.* 7.

l) *opp. med. T. I. Tract. de variol. et morbill. Edit. Goett. p.* 17.

per illas definit, *quae cum febre fimplici cito definente prorumpunt, facile maturefcunt, in pus fincerum paucos poft dies vertuntur et in cruftas tandem decidunt. Malignae* vero ipfi funt, *quae cum febre maligna fe oftendunt, aegre ad maturitatem perueniunt et prorfus non fuppurant, aut fi aliquatenus id eueniat, calore febrili nunquam fe remittente, non fine magna moleftia in cruftulas vertuntur.* In hifce corruptionem humorum et mixturam fanguinis ita perturbatam credit, vt materia purulenta in cutem abfcedere nequeat. Denique quatuor malignarum fpecies fcilicet *cryftallinas*, *verrucofas*, *filiquofas*, et *fanguineas* proponit, fi tenuis modo, afferens, liquor aquofus exprimatur *cryftallinas* gigni, fi fpiffior et tenax is fuerit *verrucofas*, intus vero fi recedat, et in canales, qui lympham vehunt, receptus, veficulas, quas excitauerat, vacuas relinquat, *filiquofas*, oriri, vbi vero omnibus vitae officiis ineptus fanguis in ductibus fuis obftruatur ac haereat, maculis nigris quae vere effent gangraenae cutim fuffundi, cruoremque per omnes meatus corporis profluere; vnde fpecies haec *fanguinearum* nomen adepta fuerit. Sed primo ipfae generum traditae definitiones cognitas jam ponunt fimplicis et malignae febris ideas, et quem quaefo Auctorem in hifce affumendis nunc ducem fequamur? Praeterea fatis manifefte apparet, nec ipfum MEADIVM tanti, ac ab aliis quibusdam factum, fuam in fimplices et malignas variolarum diuifionem aeftimaffe, vt nempe ex malignitate

ad

ad peculiarem medendi methodum concluſerit. Malignarum enim nomine difficilioris atque periculoſioris indolis praecipuas tantum ſpecies quasdam, a ſe obſeruatas, a ſimplicibus ſiue plane regularibus aut ab his non multum diſcrepantibus, diſtinguere voluit, ſatis clare docens, malignitatem pluribus quoque modis ſe prodere. Quoad curationem ſimplicium, varias etiam conditiones aegrotantium attendit, et in illa malignarum, propriam ait animaduerſionem deſiderare ſingula earum genera, horumque dein cuiuis peculiarem opponit medelam. In Meadii ergo doctrina variolae malignae ſunt genus grauiorum et periculoſioris decurſus morborum varioloſorum, vlterius in ſpecies certas partiendum, pro quarum charactere, praeter malignam febris indolem, ipſe tantum habitus et conditio puſtularum aſſumitur. In curatione vero ſingularum ſpecierum, ad ſeri atque ſanguinis certa vitia, viriumque vitalium defectum reſpexit, et ſi Hvxhami praecepta de lentarum neruoſarum atque putridarum petechialium febrium diſcrimine probe animo tenueris, facile apparebit priorem in cryſtallinis et verrucoſis, poſteriorem in ſanguineis Meadivm obſeruaſſe. Verum an etiam conſentit idea malignitatis Meadiana cum dictis Hippocraticis, in magno ſemper adhuc pretio habendis? annon haec vera etiam in variolis malignitatis indicia declarare poterunt, praeter nominatas a Meadio puſtulas malignas? Et an ad has puſtularum ſpecies reſtringenda malignitas cum periculoſior,

lofior decurfus etiam ante eruptionem, atque poft illam fine cryftallinis, verrucofis, fanguineisque variolis faepe innotefcat? *m*) Annon quoque, fi febrium quoad humorum atque virium neruofarum conditionem difcrepantia, fecundum ipfum MEADIVM, in malignis variolis attendenda eft, characterum plurium fatisque certorum in diftinguendis variolarum febribus aptius rationem fimul habeamus, atque aliis potius, quae proftant, nominibus, finiftrae et multifariae, minus ac illa benignitatis ac malignitatis, interpretationi obnoxiis vtamur? Iam vero nec praetermittenda erit ill. de HAEN *n*) de malignarum variolarum a benignis difcrimine propofita fententia. Memorauimus iam illum docere, eos folummodo morbos appellatione malignitatis recte infigniri, quos fymptomata infueta aut longe folito grauiora, numerofioraque comitentur, atque malignitatem morbi acuti accidens quoddam, non autem ejus de effentia effe, quod ipfo variolarum exemplo probare contendit *o*). Refert autem, certum vbi ad malignitatis gradum morbus peruenerit, tam aliorum quam fuam medendi methodum in multis defeciffe, quare efficaciorem medelam expifca-

m) Conf. modo magnus numerus indiciorum malignitatis apud Mortonum fuperius citatorum, et tabulae bonorum atque malorum fymptomatum apud Lobbium lib. laud. introd. p. 5. vt etiam apud ill. Equit. de ROSENSTEIN *von Kinderkrankh.* p. 120 -- 127.

n) *Rat. med. p. III. cap. I. p.* 3. 4.

o) *Rat. med. p. IV. c. I.* §. 1.

piſcaturus, aliis ſecundum indicantia quoque exhibitis, corticem Peruuianum, vel declarante ſe malignitate, aliquamdiu poſt eruptionem exanthematum, vel cum ipſa, vel ante ipſam vel ab ipſo morbi principio, illico, ſummo cum effectu dederit *p*); quod remedium dein ob malignitatem exhibitum magnis encomiis extollit *q*) atque de ſua methodo affirmat, quod ſibi ea feliciſſime cedere ſoleat, aliisque in noſocomiis impenſe laudetur. Mittamus nunc generalem ab ill. hoc Viro aſſumtam malignitatis ideam, et attendamus modo, quoad variolas, ipſum ejus doctrinae ſenſum. Omnino docet, vbi ad certum etiam gradum in variolis peruenerint ſymptomata inſueta, aut longe ſolito grauiora numeroſioraque, corticem Peruuianum illico exhibendum eſſe, neque nominatis ipſis ſymptomatis ſuetis aut inſuetis, neque declarato per aliquos characteres gradu ſolito grauiori, neque indicato numeroſiorum numero, neque poſtulata ad ſymptomatum cauſas, quibus medela accommodari deberet, attentione. Suffecerit nobis hanc ipſius ſententiam modo propoſuiſſe, atque ad cenſuram cl. MARCARD jam allegatam iterum prouocaſſe. Sed nec reticere licebit aſſenſum quem ill. TISSOTVS illi diuiſioni praebuit *r*). *Malignitatis ſigna*, ait, *plene in nouo de febribus tractatu enarrata, malignitatisque ſpecies et vo-*

 cis

p) *Rat. med. p. III. p.* 36.
q) *Rat. med. ibid. p.* 64. 73.
r) *Epiſt. ad ill. Hallerum de variol. apoplex. et hydrop. p.* 81.

cis excusationes hic non dicam; sit satis, summam debilitatem, pulsum minimum, febrem indesinentem, et anomale exacerbantem, leue sed continuum delirium, pustulas minimas, aquosas, ichorosas, nigras, maculas cutaneas, haemorrhagias vbique pororum et colorum, anxietatem continuam, fastidium, apathiam, malignitatis in variolis esse criteria haud aequivoca. Sane qui hujus optimi Scriptoris, summo cum studio et accuratione singulari non nisi sollicite distinctis aegrorum quam plurimis conditionibus isto in libello egregie accommodata medendi praecepta, sub quorum demum finem haec de malignitate adjecit, probe perpenderit, facile satis munitum se persentiet, quo minus ista idea aliquem in errorem deduci se patiatur. Diuersam febrium cum variolis conjunctarum rationem tam exacte hoc in scripto exposuit, et aduersus illam ac ad ipsas quoque symptomatum et quorumuis phaenomenorum caussas medelam semper ita bene dirigere docuit, vt hisce de malignitate subjunctis opus plane non habuisse, et modo in aliorum, qui hanc vocem amant, gratiam ista adscripsisse videatur. Quae vero proponit signorum malignitatis nomine, certe periculosioris morbi sunt indicia, praesertim quidem ad bina ista genera febrium, putridarum nempe sanguinearum et neruosarum lentarum referenda, quarum febrium et curationis ipsarum diuersitatem statim etiam postea breuibus repetit. Certe non desiderare potest Vir cel. vt pro definitione assumantur proposita mali-

gnitatis

gnitatis variolarum indicia ſimul ſumta; valde anguſta enim haec eſſet definitio, cum nimis raro omnia illa vno in aegro conjungantur, et nonnullae conditiones aeque graues, malignitatis nomen forte non minus promerentes, praetermiſſae ſint. *Pulſus minimus et ſumma debilitas et delirium continuum* ab. ill. Tissoto requiruntur ad malignas. Quid vero ſentiendum de illo ſtatu, vbi variolae multae nigrae, reliquae pleraeque liuidae, et maculae majores liuido profundiori colore praeditae, cum pulſu arteriarum magno, calore vehemente, delirio plane nullo, ſaliuatione immenſa, exſiccatione a vigeſimo demum die incipiente? annon etiam hae ſatis malignae? quales veriſſime obſeruauit ill. Praeſes. *Leue* ſed *continuum* delirium ill. Tissotvs poſtulat. An vero excludendum eſt vehementius et interruptum, ſed facile recurrens delirium, quale cum peſſima varioloſi morbi conditione quandoque conjunctum certiſſime occurrit. Puſtulas male comparatas modo nominat hoc loco Tissotvs, cum tamen ipſe alibi malignas etiam fieri poſſe tradat variolas optimae indolis *s*). Antea et ipſe ad malignas retulerat diarrhoeam, vires cum animi defectionibus et extremorum refrigerio conuellentem, cui opium bono cum ſucceſſu opponi dixerat *t*); quare vero hunc ſtatum nunc praetermittit in ſuo magno malignitatis indi-

 ciorum

s) *Epiſt. laud. pag.* 54. 55.
t) *l. c. p.* 36.

ciorum numero? An ergo acquiefcere licet in hifce vel ab ill. TISSOTO propofitis, malignitatis criteriis? An et vlla vera vtilitas ex conftituto, fecundum ipfum, certo malignarum genere exfpectanda eft? Nec ergo vllas reperimus, quae nos moueant, rationes, ab ea quam fub fine fuperioris §phi propofuimus, fententia, quoad variolas, recedendi. Eo vero minus dubitamus, hanc illarum negligere diuifionem, quod a celeberrimis etiam in arte viris, quorum plures quoque grauem ab ea diuifione noxam fiue doluerunt fiue metuerunt, SYDENHAMIO, BOERHAAVIO, LOBBIO, HILLARY, HARRISIO, DE ROSENSTEIN, vel plane praetermiffae voces iftae, vel ad rationem communis modo fermonis vfurpatae fint; quod etiam perquam facile finiftre intelligamur vocibus iftis vtentes, cum tam infignis differentia in ideis Auctorum, qui illis vfi fuere, reperiatur; quod nec illarum in arte vfus neceffarius nobis videatur: licet omnino largiri teneamur, bonos ad Scriptores intelligendos operam adhibendam effe, quo cuiusuis mentem in vfurpatis illis vocibus accurate comprehendamus.

§. IX.

In variolarum autem diftinctione, ratione febrium hunc morbum comitantium, HVXHAMVS *u*) permultum lucis attuliffe videtur, dum harum tria a fe inuicem difcrepantia enumerauit ac defcripfit genera,

u) *Effay on Fevers p. 126. fqq.*

genera, atque peculiarem cujusuis, propria ſecundum obſeruata, curationem ſtudioſe expoſuit. *Primo* autem *loco* febrem memorat vehementem inflammatoriam, tunc plerumque oriundam, vbi contagium varioloſum homines infecerit fibris fortibus ac tenſis, ſanguineque vberiori ac denſo praeditis, in quibus inde nonnunquam pulmones, interdum cerebrum, alias quoque fauces vel aliae partes valde inflammarentur, ac ſanguis detractus valde denſus eſſet et inflammatorius, vbi et ſubinde repetita requireretur venaeſectio, ad arcendum ex vehementi phrenitide vel peripneumonica inflammatione periculum. *Secundo*, ait, morbus hic interdum accedit cum conſuetis lentae neruoſae febris ſymptomatibus, et aegri ſaepe diu languidi ſunt, febris exigua eſt, ſpiritus deficiunt, pulſus debilis, frequens et tremulus, facies pallida et langueſcens, vrina cruda et tenuis, nec ſitis magna neque aeſtus ingens, vertigo et grauitas capitis continua cum tremore perpetuaque nauſea et vomitione, vniuerſalis inquietudo, debilitas, laſſitudo etc. adſunt; hujus generis ſymptomata pluribus vicibus per ſeptem vel octo dies vna continuare atque tandem in variolas tranſiiſſe obſeruauit; quae, ait, fere ſemper valde malam variolarum indolem futuram deſignant, pallidas nempe, crudas, impreſſas et ſeſſiles, nec bene adſurgentes, nec decenter matureſcentes etc. *Tertio* addit, variolas interdum febris malignae vel petechialis indolis co-

mitatur, in qua sanguinis crasis plane dissoluitur, nigrae et liuidae maculae apparent, haemorrhagiae sequuntur, et pustulae breui post eruptionem fiunt nigrae, gangraenosae, et saepe cruentae, quod saepissime quoque contingit, vbi variolae valde paucae et distinctae. Propositum vero hocce febrium variolas comitantium discrimen experientiae conforme esse nemo forsitan dubitabit, cui occasio non defecit, plurium hoc morbi genere correptorum conditiones ipsos ad illorum lectulos explorandi, neque etiam, qui cum ipsa Hvxhami relatione, eaque fide dignissima, et reliquae ipsius de febribus doctrinae congrua, aliorum quoque Scriptorum obseruata studiosius contulerit. Inflammatoriae indolis febrem, etiam a Rhaze jam bene descriptam *v*) illam haud raro deprehendimus, quae variolarum eruptionem praecedit, et interdum cum hac pergit, etiam quandoque in suppurationem pustularum extenditur, vel hac praesente superuenit; talem vero et a quibusdam auctoribus variolosam nimis generaliter habitam esse satis vtique constat *w*). Praeterea vero nec opus fuerit vlterius confirmare, singularem aliquando citius seriusue reperiri cum variolosa febre putridam et dissolutam sanguinis crasin, qualem de tertia specie Hvxhamvs memorauit, quam et Meadivs sub nomine *sanguinearum* de-

v) *edit. Channing. p* 81.

w) *conf. inter alias hac de re* WERLHOF. *disquisit. de variol. et anthrac. p.* 89.

deſcripſit *x*). Etſi vero longe rarius hiſce binis, illius cum lentae neruoſae febris notis conjuncti variolarum morbi conditionem, ſatis diſtincte propoſitam, et pro peculiari a reliquis pejoris indolis vere diſcrepante ſpecie habitam reperias, minime tamen a bonis Scriptoribus praetermiſſa plane fuit. Annon enim huc referenda, quae habet RHAZES *y*)? *Cum febris mitis ſit et pacata in ſuperficie corporis, anxietas vero et inquietudo diuturna, exitus etiam variolarum difficilis et vltra diem quintum cunctatus, tu profecto coactus eris iis vti remediis, quae exitum earum facilem reddant; oportet autem id a te fieri ſumma cum cautela et intelligentia;* vti quoque haec *z*) : *Si videris variolas, poſt eruptionem cum difficili maturatione duras eſſe et verrucoſas, nec amplius ſtatum aegroti bene ſe habentem vel ſi aucta ſit inſuper ejus prauitas, certo ſcias variolas eſſe lethales.* Etiam ſequentia huc probabiliter referenda *a*), *in illis variolis, quas comitantur febres, quibus non adeſt vehemens inflammatio, hae res ſane et his ſimiles*, modo laudata nempe demulcentia et refrigerantia, *morbum quam maxime reddunt tardum et morbi tempus protrahunt.* Hujus indolis variolas etiam a SYDENHAMO eſſe obſeruatas vix dubitare poterit, qui attenderit quasdam naturae magis craſſae et incoctilis, tardius periodum ab-

P 5 ſol-

x) *Conferri de hac ſpecie meretur* WERLHOF. *l. c. p.* 77, 78.

y) *Lib. cit. cap.* VI. *p.* 93.

z) *Ibid. cap.* VIII. *p.* 129.

a) *Ibid. cap.* XII. *p.* 165.

foluentes, ipfum defcripfiffe; in quibus ex regimine jufto frigidiori noxam animaduertit, aegrumque in lectulo jugiter detinendo ne brachio quidem exferto, blando ejus calore puftularum eleuationem et faciei manuumque intumefcentiam promouere ftuduit *b*). Hunc febris variolofae in quibusdam aegris genium quoque memoratum reperire licet apud Mortonvm *c*), Meadivm *d*) Ellervm *e*) de Rosenstein *f*); ejusdemque exempla etiam in variolis infititiis quandoque obferuata fuere, vbi praeparatio, viribus nimis debilitatis, vltra juftos limites extenfa fuerat *g*).

Etfi vero fecundum haec, prouti et vfus ipfe fatis euidenter declarat, de trium illorum febris variolofae generum ab Hvxhamo propofita differentia dubitandum haud fit, atque accuratior ejus notitia, habitaque in medendo ratio, certiorem ac feliciorem curationis fucceffum omnino promittat, longeque praeftantius quam partitio illa in malignas et benignas ipfum ad vfum, et manifeftiffime quidem, accommodata fit, minime tamen in diuifione ifta Hvxhamiana fubfiftendum planeque acquiefcendum videtur, fi fpecialiores de variolofis morbis ob-

b) *Opp. vniuerf. p. m.* 233. *et fqq.*

c) *L. c. p. m.* 59.

d) *L. c. p.* 35.

e) *de cogn. et curand. morb. p.* 136.

f) *L. c. p.* 136. 137.

g) V. DAVID SCHVLZE *Vnterricht von der Einpfropf.* 1769. *p.* 48. 49. et TISSOT. *Inoculat. juftifiée à Laufanne* 1754. §. XC. XCI.

obſeruationes exactius conſulamus, atque cum illis de affinibus aliis morbis ſollicite conferamus. Caueamus quidem nobis ab hypotheſium fallacia, ſed operam quoque omnem demus ne quid verae et aegrorum ſaluti proficuae doctrinae, quoad perſpicere conceſſum, praetermittamus.

§. X.

Conſideremus vero primum earum febrium conditionem, quae inflammatoriae dici ſolent et poſſunt, conjunctamque vario gradu diatheſin ſanguinis inflammatoriam habent, qualesque, ſiue absque certae partis internae inflammatione, ſiue cum aliqua, haud raro in variolarum decurſu obſeruari perhibentur, atque ipſum etiam primum ſiſtunt genus Hvxhamianvm. Quodſi jam ab initio ad finem harum febrium non intermittamus, ea quoque ad phaenomena ſollicite attendere, quae vitioſam humorum in primis viis praeſentem colluuiem declarant, minime raro, immo certe plerumque hujus indicia, nunc citius nunc vero ſerius demum, atque ſatis manifeſte quidem, animaduertere licebit. Aliquando nempe jam ab initio, quod tamen rarius vera in febre inflammatoria contingit, alias autem, atque hoc frequentiſſime, poſt aliquot demum dies, circa quartum nempe vel ſeptimum, vel tardius etiam, vbi primum, vera ſecundum indicantia, ſanguinis miſſionibus, potu ex ptiſanis largiori ſubacido, juſtis nitri doſibus, aliisque aptis

au-

auxiliis antiphlogiſticis, inflammatoriam diatheſin oppugnauimus, imminuimus, ſuſtulimus, ſaporem moleſtum, quandoque amarum, reddi, craſſiorem et molliorem in lingua mucum colligi, nauſeam oriri, dolore capitis, cum vertigine, peruigilio, anxietate, etc. adhuc et quandoque fere magis affligentibus. Facile tunc animaduertimus, vbi primum aliquam hiſce cum ſignis familiaritatem aſſecuti fuerimus, plus minusue corruptae et vitioſae materiae, jam ab initio quandoque ad praecordia haeſiſſe, licet morbus ceteroquin tunc mere inflammatorius apparuerit, eam vero materiam eo tempore minus manifeſtam, minus mobilem, minusque ad excretionem praeparatam fuiſſe, aſt ſenſim emollitam, ſolutam, mitificatam, coctam, atque ſic aptam redditam eſſe, quo varias per vias, vel naturae ſolius opera, vel eadem artis praeſidio, conditionibus aegrorum accommodato, adjuta eliminari queat. Contingit quidem interdum, aluo nec ſollicitata, nec eadem praeter conſuetudinem, quoad obſeruamus, quid morboſi ſponte egerente, cum vrina et ſudore criticis minui ſenſim et abigi vitioſam primarum viarum colluuiem: accidit vero ſaepius hoc vel nimis differri vel non ſatis ex voto perfici; et ſaepiſſime contingit eam rerum eſſe conditionem, vt euentum naturae ſoli non relinquendum eſſe atque vt purganti, vel etiam emetico, quibus naturae ſuccurramus, omnibus probe penſitatis, aptiſſimum eſſe locum animaduertamus, ſucceſſu

ceſſu tunc noſtrae exſpectationi ſaepe quam feliciſſime reſpondente, ita quidem, vt ſi quid morbi reliquum ſit, illud facilius longe ac alias credibile fuiſſet, vel ſola naturae vi, vel eadem etiam artis vlteriori auxilio ſuffulta, nunc ſuperetur. Minime quidem negamus, ſed ipſa potius experientia id omnino confirmari largimur, nihil quandoque vitioſi, quod ſignis probabilibus innoteſcat, primis in viis per febrem indolis inflammatoriae colligi; attamen ordinarie, quo vehementior eſt aeſtus, quo grauius affligitur caput ac pectus, etiamſi quandoque fibrae corporis denſiores, pulſus durus et magnus, lingua ſicca, et licet haec etiamnum fere pura, ſaporque naturalis et vires animales vix aut parum labefactatae fuerint, eo probabilius, niſi alia rarior vehementiae febris ejusque ſymptomatum cauſſa innotuerit, dein colligendam ſenſim et extricandam praecordiorum impuritatem eſſe ſuſpicamur; quae ipſa tamen, quamdiu nondum praeſens et naturae moleſta certo cognoſcatur, mobilisque ſit et quodammodo turgeat, euacuandi nulla plane praebuerit indicantia. Materies autem haec alienata in praecordiis haerens, nunc certius nunc magis dubie, abundantem varioque gradu corruptam bilem, nunc meraciorem, nunc pituita et humoribus aliis mitificatam ſiſtit, vnde quandoque manifeſtius veriusque, nunc minus certe inflammatoriae indolis febrem cumplicatam habere licet. Attamen ſatis etiam conſtat, febres

vere

vere et majori gradu biliosas aliquando cum inflammatoriis quoad varios characteres multum conuenire, etiam inflammationes certarum partium veras conjunctas habere posse, licet a sola vere inflammatoriis propria medendi methodo in iis minus commodi quam damni exspectandum sit; praetereaque et biliosas febres, aeque simplices ac variis cum exanthematibus atque catarrhis conjunctas, inflammatoriae diatheseos notis, ita quidem, vt vel a minus exercitato vix confundantur, persaepe quoque plane destitui. Haec omnia vero qui Hippocraticis doctrinis, aliorumque obseruationi conformia esse dubitauerit, consulat, si lubet, PROSP. MARTIANVM *h*), et BAGLIVVM *i*) et IO. FREIND *k*) et SWIETENIVM *l*), THOM. GLASSIVM *m*), BARCKERVM *n*), CORN. ALB. KLOECKHOFIVM *o*), et TISSOTVM *p*), vt quoque nonnullas a clarissimis ill. Praesidis

h) *Hippocr. notation. explicat. passim.*

i) *Oper. omn. edit. Lugd. p.* 37. *sqq. p.* 51. *et p.* 702.

k) *epist. de purgantibus; oper. edit. Paris* 1735. *p.* 106.

l) *Comment. in aph. Boerh. in doctrina de febribus passim, vt de causa febr. ard.* §. 740. *de exanth. febr.* §. 732. *p.* 398. *et* 399. *de diarrhoea febr.* §. 719. *sqq. de conuulf. febr.* §. 710. *de delirio febr. p.* 327. *et* 331. *etc.*

m) *Comm. de febr.* VII. *p.* 88. *sqq.*

n) *Essai sur la conformité de la Med. des anc. et des modernes à Amst.* 1749. *p.* 159. *sqq.*

o) *Opusc. med. Traject. ad Rhenum.* 1747. *p.* 55. 61. 68. 190.

p) *Diss. de febr. biliosis* praesertim *p.* 121. *sqq.* et in primis quoque hujus optimi Scriptoris *Lettre à Mr.* ZIMMERMANN, *sur l'epid. cour. à Laus.* 1765.

ſidis mei Diſcipulis, in artis exercitio nunc feliciter occupatis, editas tractationes *q*).

§. XI.

Quodſi jam ad aegros quoque ſub morbi varioloſi decurſu accuratius attendamus, eadem ipſa certe, quae modo memorauimus, vitioſae et noxiae, plus minusue glioſae, vel alius indolis morbidae, colluuiei in praecordiis haerentis indicia, quae ſalutarem exhibendorum euacuantium ſucceſſum, praeparantibus variis, vbi opus, praemiſſis, nunc praeſente ſimul inflammatoria diatheſi, nunc etiam hac deficiente, ſpondeant, non difficulter, vt nos quidem arbitramur, animaduertemus. Antea quidem jam notatum, febrem confluentium variolarum morbum comitantem plerumque glioſae indolis videri, attamen dubitandum non eſt, etiam cum diſcretis haud raro multum corruptae materiae in primis viis collectum reperiri. Optime praeſtantiſſimus TISSOTVS in aurea ad ill. HALLERVM epiſtola *r*), monuit, *pueros, qui abdomen cacochylia fartum habent, quo tempore calor febrilis has ſordes corrumpit, grauioribus ſymptomatibus, morbo alienis corripi, quae ſuam euacuantem medelam neceſſario exigerent;* atque *hanc anomaliae cauſſam demonſtrari*, addit,

q) *Cl.* FRID. LVD. MAY *Diſſ. de amplitud. gener. febr. glioſ. Goett.* 1766. §. *V. ſqq. et cl.* ELLERT *de pleuritidum partitione; ibidem.* 1769. §. *IX. ſqq.* quarum vtraque mei etiam ill. Praeſidis inſcriptum habet nomen.

r) *p.* 76.

dit, 1) *cephalalgia aut ſaepe inexcuſſibili ſopore ſupra vim febris*, 2) *oris foetore, faſtidio et nauſea, poſt eruptionem etiam ſuperſtitibus*, 3) *febre poſt benignam eruptionem remanente cum anxietate*, 4) *foetore faecum et ſaepe diarrhoea foetida ſine depreſſione puſtularum*, cujus generis ſub caſibus refert ſe vidiſſe *aliquot aegros aluum impune quadrageſies et vltra intra nychthemerum deponere;* 5) *delirio*, 6) *lotio crudo turbido*, reliqua vero ſe tacere ait. Veriſſima certe ſubnectit, nempe *pulchre per aliquot dies puſtulas eo etiam ſub ſtatu increſcere ſolere, ſub finem vero maturationis et ineunte ſuppuratoriae febris tempore omnia turbari, grauiſſimaque confertim erumpentia ſymptomata aegrum benignis laborantem variolis orco breuiter tradere, delirum, lethargicum, orthopnoicum, tympaniticum, cum foetida diarrhoea, pulſu abnormi, integra virium proſtratione. Initio morbi accerſitus, ſtatim* addit, quodque lubentiſſime largimur, *funeſta ſymptomata ſemper cauere potui aegrum quotidie purgando, etc.* Nolimus vero ad pueros vnice, et qui abdomen cacochylia fartum habent, colluuiei ad praecordia collectae noxas reſtringi. Animaduerteris enim aeque pueros ac adultos, ante febris initium quandoque ſaniſſimos, vegetos, hilares, bene appetentes, digerentes, dormientes, proſtratum breui a febris initio appetitum, cephalalgiam, nauſeam, anxietatem, etc. ſentire, atque dein ſaepe cum leuamine manifeſto ſponte vomere, nihiloque minus aliquando, praeſertim vero cum natura mi-

nus

ſnus actuoſa fuerit, indicia vitioſae colluuiei ipſis relinqui, in qua juſto tempore educenda, artis auxilia optimo cum ſucceſſu ſuccurrere ſoleant. Annon ergo etiam in corporibus apparenter ſaniſſimis eo perſaepe inclinare videtur natura, vt per ipſam febris efficaciam vitioſa in viſceribus ſeparata materies ad alimentarem canalem deponatur, vnde illa dein, vario modo in aegrorum ſalutem eliminari queat? Annon ipſa frequens cacochyliae in variolis noxa, a bile abundante et acriori magna ex parte veriſimiliter oriunda, maxime quoque confirmatur ſaluberrima toties reperta purgatione alui in praeparando corpore ad variolas aeque naturales ac inſititias? Etſi ipſa nequaquam in vniuerſum omnibus commendanda videatur. *Saepenumero ſe obſeruaſſe*, refert Sydenhamvs *s*), *reiteratam catharſin, ſanguine nondum inquinato, ſubſequentes variolas laudabiles et diſtinctas vt plurimum reddidiſſe.* Etiam Hillary *t*) ex propria ſua experientia id aſſertum pluribus confirmauit. Ita quoque Tissotvs *u*) bene docuit: *quoique les purgatifs n'entrent pas dans la claſſe des remedes anti-inflammatoires, ils ſont cependant abſolument neceſſaires, avant que d'inoculer; parcequ'ils debaraſſent les premieres voyes, dont la plenitude rend toutes les maladies inflammatoires très dangereu-*

gereu-

s) *Diſſ. epiſt. ad Guil. Cole oper.* p. 361.
t) *Pract. Eſſay on the Small pox.* p. 60. 61.
u) *L'inoculation juſtifiée* §. XXXIII. p. m. 51.

gereuses, empeche souvent et même entierement l'effet des autres remedes. Satis etiam peruulgatum, quam necessaria ad variolarum prophylaxin aeque ac ad ipsam curationem, purgantia judicent celebres recentissimi Anglorum Insitores, SVTTON ac DIMSDALE *v*). Maxime praeterea confirmari videtur haec ipsa morbi variolosi frequens conditio, quae colluuiei ad primas vias haerentis rationem in medendo habendam postulat, per obseruatam quam saepissime naturalium aeque ac artificialium euacuationum integro in decursu morbi vtilitatem. *Alui fluxus*, ait FR. HOFFMANNVS *vv*) *licet copiosus, non adeo pertimescendus; eundem enim per totius morbi decursum sine vllo periculo successisse vidi, tantum abest, vt eruptionem impediuerit.* Idemque, quo vlterius suam confirmaret sententiam, ad similes ualde memorabiles AMATI LVSITANI *x*) et BALLONII *y*) obseruationes prouocat. Notatu etiam perquam dignissima sunt, quae de alui fluxuum et medicamentorum laxantium per integrum variolarum grauiorum decursum insigni emolumento praeclare tradidit

dit

v) Accuratam de methodo ipsis vsitata relationem publicauit Regius aulae Hannoueranae Medicus cel. WICHMANN, *Hannöv. Mag.* 52. *et* 53. *St.* 1767. Lectu ceterum dignissima ipsa tractatio est: *The present method of inoculating for the Small pox by Th. Dimsdale Londo*: 1767.

vv) *Med. Syst. T.* IV. *p. m.* 148.

x) *Cent.* III. *p.*. 234.

y) *Epid et Ephem. L.* 1. *edit.* TRONCHINI *oper. T.* I. *p.* 27.

dit CLIFTON WINTRINGHAM z). Etiam ipſe jam RHAZES notauit a): *Ad aluum ſoluentia adhibenda quandoque coactus eris in variolis, interdum propter exceſſum caloris, et cephalalgiam, interdum etiam vt leuis reddatur natura, et minuatur materia variolarum, quando conjeceris iſtam eſſe abundantem.* Vomitiones autem ciere, ex optimis quidem noſtri etiam temporis Practicis nonnulli plane diſſuaſerunt. *Vomitum*, inquit cel. TRALLES b) *recte mea ſententia in variolarum therapia rejicit* de HAEN; atque hic ipſe ill. de HAEN c) emeticis nunquam ſe vſum fuiſſe, aſſerit, tum quod illa in vomitum propenſio non magis emetico, quam ſine eo ante eruptionem puſtularum tollatur, et inter alia quoque refert, ipſam BOERHAAVII circa variolas doctrinam ſibi adſtipulari, altum de emetico ſilentium obſeruantem. Ipſam certe ad vomitum propenſionem ſolam, ſi nociuae colluuiei educendae nulla fuerit ſignificatio, nunquam plane pro indicante emetici habendam, et laudandum potius eſſe BOERHAAVII monitum d), quo ipſe *falſam et periculoſam illam eſſe regulam, vomitus vomitu curatur*, docuit, nos quidem nulli dubitamus. Nimis breuem in hac doctrina magnum fuiſſe BOERHAAVIVM, quisque dolebit in illa vel

z) *Works of the late Clift.* WINTRINGHAM *Lond.* 1757. *Vol.* II. *p.* 233. 234. *et* 235.

a) *l. c. cap.* XIII. *p.* 175.

b) *De meth. med. variol. ſaepe inſuff. p.* 77.

c) *Rat. med.* P. II. C. III. p. 39. 40.

d) *aph.* §. 659.

mediocriter verſatus, ab emeticis autem, hujus in morbi curatione plane abſtinuiſſe BOERHAAVIVM multum dubitandi anſam praebent *Boerhaauiana* SWIETENII ſupra laudata dogmata, et ipſius BOERHAAVII alibi traditum praeceptum *e*): *Excrementum corruptum febrile ex humoribus prius ſanis circa praecordia ludit ſuas tragoedias, ita vt per ſolam febrilem excandeſcentiam mutatum et quaſi venenatum factum, praecordiisque affixum, producat morbos cerebrum afficientes, dolores capitis et deliria immania, quae, excremento hoc ablato, ſanantur.* Sane qui Auctoris, BOERHAAVIO valde aeſtimati, THEOPH. LOBB *f*) indicantia exhibendi in febris varioloſae primis diebus emetici perpenderit, atque dein haecce cum generalibus emeticorum indicantibus BOERHAAVII *g*) contulerit, non facile dubitabit, BOERHAAVIVM efficacis etiam hujus medicinae tutum in variolis vſum ſatis cautum admiſiſſe et commendaſſe. Notatum quoque jam ſupra fuit, magnum ex emetico, vbi confluentes metuendae, praeſidium exſpectaſſe SYDENHAMVM, cujus ſumma fuit apud BOERHAAVIVM exiſtimatio *h*), praeſertim quoad hanc de variolis doctrinam *i*). Sed praeterea claros complures reperimus Medicos, eundem eo in conſilio ſecutos, etiam ita, vt non vnice ad confluen-

e) *Praelect. de morb. nerv.* p. 460.

f) *Treatiſe on the Small pox, Part.* I. *p.* 39. *ſqq.* §. 111. 116.

g) *inſtit. med.* §. 1202.

h) *conf. orat. de commend. ſtud. Hippocr.*

i) *Aph.* §. 1379.

fluentium indicia reſtrinxerint; licet plures mitius emeticum antimoniaco illi SYDENHAMIANO praeferri maluerint *k*). Cum vero hinc, vt arbitramur, ſatis manifeſte conſtet, peculiarem in variolis curandis attentionem poſtulare haud raro praeſentem ſenſim collectam in primis viis vitioſam et praeſertim bilioſam colluuiem, atque contra etiam, phaenomena quae hanc in aegris conditionem declarant, quandoque vel plane deficere, vel ita exigui eſſe momenti, vt nulla illius habenda ratio ſit, vbi et purgatio ac diarrhoea pariter ac vomitiones nihil juuent, ſed potius noceant *l*); omnino addenda eſt illi ab HVXHAMO propoſitae varioloſi morbi

 diui-

k) conf. GVALT. HARRIS *Diſſ. med. et chirurg.* II. *Londini* 1725. *p.* 38. WERLHOF *de variol. et anthrac. p.* 94. *not.* 108. HILLARY *l. c. p.* 63. §. VII. HVXHAM'S *Eſſay on Fevers. p.* 142. vbi inter alia docet: *a gentle Emetic not only in Part throws of the morbific Matter, which primarily affected the ſtomach, but alſo the heavy putrid bilious colluuies, that may have been collected in it, the Liver, Gall-Bladder etc.* Etiam TISSOT, qui, licet in *avis au peuple* §. 212. *p.* 236. emetica et purgantia in morbi initio pernicioſa declarauerat, contra in Epiſt. ad ill. HALLERVM p. 82. aſſeruit: *non timenda nimis concuſſio ex leni ipecacuanhae doſi, quod remedium pulchri eſt vſus in affinibus morbis, et tanquam arcanum, vt me jam diu docuiſti, in miliari febre famigeratum, feliciterque aliquoties infregi legem, qua me ſeuere prohibui, quoad emeſin in cura varioloſa.*

l) conf. WERLHOF *l. c. p.* 30. *not.* 23. BALLON. *epidem. et ephem. L.* II. *edit.* TRONCH. *T.* I. *p.* 192. Quo et referri forſan poteſt *obſ.* 2. *in cap.* IX. *tractationis* IAMES BVRGES *von der Einpfropfung; Bremen* 1756. *p.* 39. 40. Licet pro certo non conſtet, annon potius hic Auctor emetica, vbi recte data profuiſſent, minus caute, minusque praeparato corpori data nocuiſſe obſeruauerit. conf. ipſe HVXHAMVS *l. c. p.* 143.

diuisioni haec modo exposita, quae nunc deficere, nunc vero et frequentius adesse tradit vitiosam sensim primas ad vias depositam, et majori quidem ex parte biliosam colluuiem, siue simul praesto fuerit inflammatoria diathesis, siue minus.

§. XII.

Jam vero circà putridas etiam febres, cum variolis subinde conjunctas, dispiciamus, annon et has differentia intercedat, quae in ipsa pariter praxeos commoda notari mereatur. De pluribus quidem satis constat phaenomenis et symptomatibus, quae putridam febris indolem designent, ita tamen diuersa illorum est conditio, vt ex discrepantibus corporis vitiis, in curatione quoque distinguendis, omnino deriuanda videantur. Si enim bilis et reliquae vitiosae praecordiorum colluuiei aliquae sunt partes in grauiori producendo variolarum morbo, dubitari non poterit, quin et quandoque putrida cum variolis junctae febris indoles praecipuam eo ex fonte originem habeat. Ad insignem certe putredinis gradum solo fere bilis corruptae et putridae vitio corporis humores perduci, pessimamque etiam cum sanguinis valde dissoluti indiciis febrem, et maxime difficilem quandoque petechialem, saepe quoque cum perturbato multum variaque ratione systemate neruoso, plurimae veterum aeque ac recentiorum obseruationes facile quemuis edocere poterunt. *m*).

runt. *m*) Si hujusmodi autem febrium naturam accuratius cognitam habuerimus, veriorem quoque conceptum putridae indolis frequentioris febrium variolas comitantium, minimum quoad aliquam, majorem minoremue, ipſius partem, forte aſſecuti erimus. Dubitandum fere non eſt, grauiorem illam putridam diatheſin, cum incipiente praeſertim exſiccatione confluentium variolarum plerumque inualeſcentem, cui prae aliis purgantia, juxta cum vitrioli ſpiritu, poſt maxime ſalutaria FREINDII et MEADII monita, feliciſſimo cum ſucceſſu adhiberi, multorum obſeruatio ſaepius docuit, etiam aliqua ex parte originem ſuam bilioſae colluuiei debere, vtpote quae iſto in morbi genere rarius deficere videatur, ac ſaepe ſatis certis indiciis vltimo illo in ſtatu ſe manifeſtet. Sed praeterea etiam, vbicunque in varioloſo morbo, praeſertim tertio et quarto ejusdem ſtadio, vere putridae febris notas cum illis putridarum et bilioſarum ſordium conjunctas animaduertamus, quod non raro, ſerius in primis nobis aduocatis, contingit, annon partem vniuerſalis putridae corruptionis ab hoc venenato quaſi fermento tunc oriri judicemus, cum idem et alias grauiſſima putridarum febrium phaenomena, praecipue vbi viridis abundat bilis, maculas nempe fuſcas, liuidas, et nigras, ſimi-

 lisque

m) De febribus putridis a bile praeſertim conferri meretur TISSOTI *Diſſ. de febribus bilioſis.* GLASSII *comm. de febr. p.* 122. *ſqq. p.* 149. *ſqq.* 155. *ſqq.* HVXHAMI *obſ. de aere et morb. epid. edit. Lipſ. p.* 59. 260. 322. *etc.*

liſque coloris puſtulas, ſanguinis diſſoluti fluxus, ſtaſes inflammatorias ſymptomaticas, languores, ſpasmos, deliria, ſopores, producere valeat?

Sed ab hac modo deſcripta maxime diſtingui meretur putridae illius in variolis diatheſeos humorum origo, quam obſeruamus, vbi grauior inflammatoria febris neglecta, et regimine, diaeta et medicamentis calefacientibus majorem ſenſim ad vehementiam perducta fuerit. Haec putredo illa eſſe videtur, quam BOERHAAVIVS *n*) oriri dixit *a cauſis inflammatione ſimplici majoribus*, cujusque geneſin alibi prolixius exponit *o*). Vt enim alias etiam calor vehementior, ſanguinisque motus ordinario multum velocior, ſi diutius perſeuerent, ſine omni dubio craſin humorum inuertere ac deſtruere valent, ita idem quoque, et fere magis, in variolis, etiamſi febris modo ſimplex inflammatoria fuerit, experientia id manifeſte confirmante, metuendum. Intermiſſo in variolis regimine refrigerante, motisque et conſeruatis ſudoribus, non raro phreneſin, petechias, ceteraque peſſimi ominis ſymptomata ſudores hoſce mox excepiſſe, obſeruauit SYDENHAMVS, quae non tam a morbi malignitate quam ſiniſtro regimine oriri, multa edoctus experientia judicauit *p*); etiam vbi modo citius juſto ad lectum damnantur aegri, inde ſaepiſſime mictum oriri ſanguineum, tum etiam

macu-

n) *aphor*. §. 703.

o) *aphor*. §. 84. 100. *et* 689.

p) *Sect. III. C. III. oper. vniu. p. m.* 167.

maculas purpureas, aeſtiuo maxime tempore, atque in juuenta adhuc florentibus, retulit *q*). Facile autem eſt intellectu, ipſa in praxeos commoda hancce, ex nimis increſcente, ac damnoſis artis adminiculis magis euecta, inflammatoria febre oriundam, putridam diatheſin merito diſtingui a priore, bilioſae praeſertim colluuiei tribuenda; ſiquidem prior illa euacuantia plerumque poſtulet, quae in poſteriori, niſi alia conjuncta ſit conditio, quam facillime nociua eſſe poterunt. Iam vero, tertio quoque loco inter cauſſas putridae, et quidem ſecundariae variolarum febris, ſine dubio ipſa quoque ſuppuratio referenda eſt, praecipue ſi confluxerint puſtulae, vel ſi permagna etiam copia diſcretarum adfuerit. Suppetias equidem huic ipſi cauſſae ferre poſſunt, ac fere ſemper ſolent, in augendo hoc malo, perſpiratio in cute puſtulis obſita impeditior, minusque libere ſuccedens, vel ceſſans etiam nimis mature ſaliuatio, neque raro his antea memoratae, quandoque et plures accedunt cauſſae, attamen in eo etiam optimi Scriptores conſentire videntur, putridam illam ſecundariam febrem praecipue tum ex nimis abundante materiae purulentae copia, quam vt ſufficiens in puſtulis cutaneis ſpatium reperire queat, tum quoque ex parte abſorpta puris ad cutim jam depoſiti, cum puſtulae exſiccari ac faciei tumor deſidere coeperit, ſuam originem habere *r*): ſiquidem

Q 5 febris

q) *Diſſ. Epiſt. ad Guil. Cole. oper. p.* 359.

r) Conf. LOBB. *libr. cit. P. I.* §. 449. *ill. de* HAEN *Rat. med. P. II.*

febris illa se ita fere habere soleat, vt se habet paucitas et multitudo variolarum, purisque in iis contenti melior vel peior indoles *s*). Sanguini admixtum pus, praesertim copiosius et vbi corpus aliunde ad febriles motus dispositum fuerit, putridam excitare febrem posse, inficiari non licebit, cum ad putridam corruptionem is humor valde inclinet, et vltimae phthisicorum tragoediae hanc ejusdem potestatem satis declarent. Neque ideo mirum, eam ad febrem vel praecauendam vel minuendam, pro insigni etiam praesidio, maturarum pustularum pertusionem, qua pus collectum emittatur, a praeclaris hac in doctrina viris habitam esse *t*); quae operatio jam ab Arabibus, RHAZE *u*) et AVICENNA *v*), commendata fuit. Plurimum tamen commodi, etiam hanc aduersus caussam, secundum praestantissima FREINDII et MEADII praecepta, quae perpetua fere multorum obseruatione confirmata reperimus, ex alui repetita purgatione licet exspectare, si modo acidi

II. p. 46. *Totus*, ait, *panniculus adiposus tunc pure scatet, tumetque, immo pure adhuc saepe plenus sanguis est.*

s) TRALLES *vexatiss. insit. arg. Qu. V. p.* 86.

t) HILLARY *Pract. Essay on the Small Pox. p.* 106. de HAEN *Rat. med. P. II. p.* 45. *sqq.* HVXHAM *on Fevers. p.* 149 150. TISSOT *avis au peuple* §. 218. *p.* 241. Quas vero ill. TRALLES consilio huic opposuit, haud exigui momenti difficultates, *De method. med. variol. hact. insuff. p.* 108. 111. minus hoc loco nos tangunt, quam vt a nobis jam ponderandae videantur.

u) *Cap. VII. ex edit. Channing, p.* 123. 124.

v) *Canon. Med. L. IV. cap. de variol.*

acidi vitriolici vſus ſatis copioſus cum potu largo demulcente illi adjungatur, ſimulque reliquarum excretionum ſucceſſus liberior ſtudioſe conſeruetur.

Sed praeterea nec dubitandum, aliam a praecedentibus diſcrepantem, atque iis plerumque grauiorem, rerum conditionem quandoque occurrere, a bonis fere omnibus Auctoribus quoque memoratam, non ſemper tamen quoad cauſſas et vitiorum corpori inhaerentium indolem diſtinctam, quam nempe MEADIVS ſub *ſanguinearum variolarum* nomine et HVXHAMVS ſub *variolis illis, quas febris malignae vel petechialis indolis comitetur, in qua craſis ſanguinis plane diſſolueretur*, deſcripſit; et HILLARY peculiari de his capite egit, ſub titulo *the Bleeding Small pox, or thoſe attended with purple ſpots and haemorrhages.* Qui bonas harum deſcriptiones accurate perpenderit, atque ipſis in aegris quaeuis ad phaenomena, perquiſitis etiam horum cauſſis, ſollicite attenderit, eum quoque putridae hujus varioloſi morbi indolis differentem a praecedentibus naturam ſaepe non difficulter eſſe reperturum exiſtimamus. Alia enim plane ratio hac in morbi conditione eſt, ac in vehementiori et protracta inflammatoria febre, cum nimis diſſoluti ſanguinis praematura ſint indicia, ſanguinisque miſſio non modo nihil juuet, ſed increſcenti potius putredini anſam praebeat; alia etiam ratio ſaepe eſt, quam vt primarum viarum colluuiei putreſcenti adſcribi poſſit, cum ejusdem indicia nunc deficiant, nunc vero praeſenti conditioni non reſpondeant,

deant, ſaepiſſime nec ab euacuantibus, niſi certo ſub ſtatu complicato, quid commodi exſpectari liceat, verum contra multum haud raro noxae ex hiſce metuendum ſit. Nec niſi rerum plane ignarus cum ſuppuratoria putrida febre hunc de quo loquimur ſtatum confuderit, quippe qui aliquando ante eruptionem, interdum quoque cum illa, alias breui poſt illam ſe manifeſtare, et licet ſuppurationis tempore increſcat, tamen ab oriunda inde putredine ſe ſatis diſtinguere ſolet. Profundior ſaepe cutis in facie, pectore, dorſo, artubus, rubor eſt, puſtulae non eleuantur, ſed in cute quaſi retentae, nimis profunde rubrae, quaſi cruentae, paſſim liueſcentes et nigreſcentes, haerent, maculae quoque profunde purpurei, vel caſtanei vel liuidi, vel atri coloris accedunt; etiam veſicae nonnunquam oriuntur velut ex ambuſtione, ſero diſtentae, quibus ſubjecta caro nigra et quaſi ſphacelo affecta apparet, quandoque et integri artus liueſcunt; in adultioribus quoque ſaliuatio copioſa ſolito maturius accedere ſolet, eademque dein nonnunquam cruenta fit; praetereaque ſanguis, varias per vias, isque tenuis et interdum liuidi coloris, quo citius eo majori cum periculo, erumpit. A craſi praeſertim globulorum rubrorum ſanguinis maxime diſſoluta et deſtructa peſſimam hanc varioloſi morbi conditionem perſpicaces Viri deriuarunt *w*), eamque ſententiam

et

w) *v.* HILLARY *Lib. cit. ch. IX. P. VII. p.* 127. HUXHAM *of the Small pox, in Eſſay on Fevers, p.* 128.

et ipſa phaenomena et praeſtantioris curationis, per acida mineralia et antiſeptica adſtringentia praeſertim perficiendae, ſucceſſus confirmant. Sed teſtatur quoque experientia, quandoque haud ſubſequi hanc variolarum ſpeciem, vbi ex corporis habitu vitaeque genere tenuem et aeſtuoſum ſanguinem colligere licuit, et contra quosdam illa corripi, vel ſaniſſimos et caute viuentes, vel etiam quos ab eadem ſaltem alieniſſimos conjeciſſes. Infectionem ab optimae indolis variolis hae quandoque peſſimae praeter opinionem ſubſequuntur, licet nullis etiam putridis exhalationibus expoſitus aeger fuerit, nulliſque de aliis tantae putredinis, diſſolutioni ſanguinis majori conjunctae, cauſſis conſtet. Metus ac terror ſecundum aliquas ill. Praeſidis obſeruationes in quibusdam viſi ſunt anſam illi corruptioni praebuiſſe. In his aegris nonnunquam bilis viridis multum, ita quidem, vt aliquamdiu ante retentum et corruptum hunc humorem fuiſſe, veriſimile eſſet, vix vllo tamen cum leuamine, aluo et vomitu redditum fuit. Quandoque vomicae occultae, ad ſanguinem transmiſſa inde acri, ichoroſa, putrida materie; nonnunquam lumbricorum cadauera in inteſtinali canali collecta, *x*) copioſis purpureis, quandoque et fuſcis et liuidis, immo quoque nigris, petechiis anſam praebent; quibus ex cauſſis praeſertim poſterior cum varioloſa infectione facile conjungi poteſt.

Ipſa

x) Conf. inprimis van den BOSCH *Hiſtor. conſtitut. epid. vermino-ſae. p. 30 et ſeqq.*

Ipſa debilitas ſyſtematis neruoſi, ex nutrimento non ſatis reficiente, et ex morbo graui neruoſo praegreſſo, atque ſcorbutica diatheſis, praeterea diuturnus frequens aut largus medicamentorum reſoluentium efficaciorum vſus, ex quorum numero Hvxhamvs praeſertim lixiuia ſaponacea y), ſaliaque alcalica volatilia, et Mercurium, z) conſentientibus aliorum obſeruationibus a), damnat, ad peſſimam hanc variolarum indolem multum quoque conferre videntur. Neque vero excludendae ſunt tempeſtatum et conſtitutionum certarum epidemicarum conditiones, huic morborum putridorum generi nonnunquam magis minusue fauentes, in quibus aliquando το θειον Hippocraticum animaduertere licet b).

Peculiarem praeter haec indolem iis in febribus reperiri exiſtimamus, quibus putridae ex cadaueribus, ex grauiter aegrotantibus, et praeſertim iis, qui putridis laborant morbis, variisque horum excretis, atque ex aquis, aliisue rebus putreſcentibus ortae exhalationes anſam dedere; dum integrum ſyſtema neruoſum, quoad functiones vitales, motus reliquos ſpontaneos, ſenſusque externos et internos, diuerſimode, in his magis ac alias, fere proxi-

me

y) *Eſſay on Fevers Ch. V. p.* 49.

z) *Ibid. p.* 46. *et* 133.

a) Conf. TRALLES *vexatiſſ. inſit. arg. p.* 94. *ſeqq.* TISSOT *Lett. a Mr. de* HAEN *p.* 58.

b) HVXHAM *l. c. p.* 131.

me affici, nunc opprimi, nunc incitari, nunc alia ratione perturbari ſolet *c*). Felicior etiam hiſce febribus medendi methodus ordinarie longe majorem ac alias attentionem ad affectum ſyſtema neruoſum poſtulat; et grauiorem plerumque noxam in his ex omni debilitante remedio aut accidente, ac in aliis, metuendam eſſe conſtat. Vtque ideo et frequentior in his neceſſitas eſt adhibendorum excitantium calidiorum, vt ſalium volatilium alcalicorum *d*), vini, aromatum, theriacae, veſicantium etc. ita rarius iisdem conuenire videntur, quae in aliis praeſtantiſſimi ſunt vſus remedia, adſtringentia et refrigerantia efficaciora. Quumque ſub epidemia varioloſa non raro plures aegrotantes eodem in conclaui, eoque ſaepe valde anguſto et valde calefacto et arctiſſime clauſo decumbentes, eodemque in aere alios, in quibus adhuc morbus exſpectatur, viuentes offendamus, quum etiam neceſſaria munditiei cura tam ſaepe negligatur; fieri certe vix aliter poterit, quin putrida miaſmata cum varioloſa infectione indeque excitato morbo ſaepe conjungantur, atque ideo morbus varioloſus de natura febrium, quae carcerum ac noſodochiorum dicuntur, magis tunc minus-

c) Conf. PRINGLE'S *obſ. on the Diſeaſ. of the Army P. III. Ch. 7. on the Iail or hoſpital fever.* HVXHAM *de aere et morb. epid. edit. Lipſ. p.* 268-271.

d) De horum vſu in febribus hujusmodi putridis in primis conferri meretur DONALT MONRO'S *Account of the diſeaſes in the Brit. milit. Hoſp. London* 1764. *p.* 32.

minusue participet, ac peculiares hanc ob rationem cautiones in medendo postulet *e*).

§. XIII.

Quod ad neruosae denique lentae febris in aegris variolosis interdum quoque obuiae, indolem attinet, neque hanc eodem semper modo comparatam esse, sed notatu etiam dignas differentias admittere, ex ipsa aegrorum obseruatione persuasissimum habemus. Hujus quidem febrium generis, tot aliis cum febrilibus morbis subinde conjuncti, veram conditionem nunc cognitam ponere liceat, vtpote quam plures accurati Scriptores, HVXHAMVS *f*) praesertim, GLASSIVS *g*) et LANGRISH *h*) et GILCHRIST *i*) satis clare descriptam dederunt. Neque nobis animus nunc est, complicationibus hujus febris cum aliis recensendis inhaerere, quas omnino dari cum diathesi praesertim putrida, rarius cum phlogistica sanguinis, interdum cum varia vitiosa ad primas vias colluuie, extra dubitationem esse collocatum existimamus. Studiosam requiri attentionem, ne vel

e) Conf. in primis HVXHAM *on Fevers p.* 131. 132. Docuit etiam saepe obseruatio, primum in vna domo variolis correptum prae sequentibus mitius aegrotare solere; qua de materia conferri merentur quae cl. HIRZEL retulit in *Abhandl. der natürl. Gesellsch. in Zürch.* 1 *Theil p.* 195. 196.

f) *Essay on Fevers Ch. VI. et VII. p.* 72. *et in obs. de aere et morb. epid. edit. Lips. p.* 163. *sqq.*

g) *Comment. de febr. VII. p.* 120 *sqq.*

h) *The modern Theory and Pract. of Physic. Lond.* 1738. *p.* 329 *sqq.*

i) *Med. Essays and obs. of Edinb. Vol. IV. n.* 23. *et V. n.* 48.

vel in ſimplici tali febre dignoſcenda decipiamur, vſu rerum non deſtitutus quisque facile largietur, cum nequaquam omnis virium grauis languor, ſenſuumque externorum ac internorum ſtupor, ac ſolito minor quoad reliqua naturae actuoſitas, hujusce febris praeſentiam ſatis certo declarent; ſiquidem et ſummus languor cum tardante puſtularum eruptione ac eleuatione, ſola etiam ex plethora, nonnunquam ex nimis magna quoque et vehementius exaltata inflammatoria diatheſi, praetereaque interdum ex collecta in praecordiis cacochylia, certiſſime producatur.

Contingit vero interdum ſigna neruoſae lentae febris Hvxhamiana, plane deficientibus etiam his alienis languoris vitalis et animalis cauſſis, puſtularum eruptionem praecedere, atque aliquot per dies perſeuerare, vbi tamen eruptio ex voto ſuccedit, integerque dein morbus decurſum ita regulariter abſoluit, vt meliorem non exoptes, licet eruptio nullis plane cardiacis aut ſtimulantibus, ab Hvxhamo et aliis eo ſub ſtatu commendatis, promota fuerit. In his ergo certe opus non fuit cardiacis et excitantibus. Probabiliter nocuiſſent. Ergone minimum cautiſſime, ſub ſignis etiam neruoſae illius lentae febris, cardiacis praeſertim calidioribus vtendum?

Praeterea deficit aliquando, vera ex obſeruatione, actuoſitas illa naturae, qua opus ad eleuandas ac maturandas puſtulas, vt quoque cryſtallinae et verrucoſae fiant, haeque tandem, vix vlla prae-

fente febre, ac fere vnice ob defectum caloris vitalis, liuefcant et nigrefcant, licet in eruptione vires naturae deficere non vifae fint, fed puftulae potius fubito, perexigua tamen praegreffa febre, quam copiofiffime prodierint, cum et nihil plane cardiacorum ac ftimulantium adhibitum fuerat. Quem ftatum, vt praecedentem quoque, ab illo, quem HVXHAMVS defcribit, pariter difcrepantem, aliquoties in tenellis obferuauit ill. Praefes.

Quodfi nunc ad neruofas febres etiam eas omnes referre liceret, in quibus fymptomata neruofa, ex cauffis minus euidentibus, ac peritiores quoque latentibus, oriunda prae aliis emineant, atque vel perfeueranter, vel frequenter faltem, aut permutatis inter fe vicibus, aegros corripiant, pluribusque ex manifeftiorum numero phaenomenis haud refpondeant; quam ad indolem febrium plurima pertinent Hippocratica malignitatis criteria; omnino etiam inter variolofos morbos ejusmodi reperies, quibus febrem neruofam tribuere queas, licet lentarum cognomen ex idea HVXHAMI et aliorum, quos laudauimus, Anglorum haud mereantur. Ad fymptomata autem illa neruofa, in quorum origines quandoque fruftra inquifiueris, cum cognitis non refpondeant cauffis, praefertim referenda funt, vehementior capitis, colli, lumborum et artuum dolor, delirium pertinacius poft eruptionem, vrina praecipue limpida, pauca et faepe tunc emiffa, cum inquietudine, peruigilio, floccorum lectione aut fe-

ftuca-

ſtucarum euulſione; ſitis defectus, potusque neceſſarii, praeſertim ſubacidi detrectatio, vbi lingua ſicca, aſpera, fiſſa, fuſca aut nigra eſt; auditus obtuſus; reſpiratio luctuoſa aut ſuſpirioſa; vocis defectio; deglutitionis difficultas, praeſertim cum ſpiritu tuſſiculoſo; ſingultus; tendinum ſubſultus; frequens horror; caloris et ruboris permutatio crebra; artuum tremor; motusque conuulſiui etc. *k*). Longe plura facile huc referre liceret, ſed hic memorata pro exemplis abunde ſufficere videntur. Et, cum ipſa coctio pathologica et quoduis criticum, magna etiam ex parte a ſyſtematis neruoſi conſtitutione ac efficacitate pendeat, potiſſimum quoque iſta ad neruoſa ſymptomata pertinere videntur, vrina praeter rationem cocta, puſtulae in artubus prius ac in facie prodeuntes, deficiens capitis et manuum juſtis temporibus intumeſcentia, noua puſtularum copia poſt alteram erumpens *l*), ſaliuatio in infantibus *m*); et quae ſunt hujusmodi plura.



k) Plurima variolarum ſymptomata tum neruoſa tum alia, probabilibus ex rationibus, quoad fieri potuit, maximam partem expoſita, cum ſubjuncta cuiuis medendi methodo, v. in LOBB'S *Treatiſe on the Small pox P, I. ch. IV-VII. p.* 55-120.

l) HILLARY *Pract. Eſſ. on the Small. pox ch. V.*

m) G. CLEGHORN'S *obſ. on the epid. diſeaſes in Minorca III. Edit. p.* 295.

VI.

Diſſertatio de inflammatione diaphragmatis. Publice propoſita Gott. 1771. Reſp. Lev. Arnold. Ebeling, *Hildeſienſi.*

§. I.

Inflammationem Diaphragmatis, quanquam communiter a Medicis recepta ſit, et Paraphrenitis appellata, tamen a nonnullis, video, vel ex toto diuerſam a paraphrenitide haberi, vel ipſam in dubium adduci, refutari, planeque rejici. In his Ioh. Baptista Bianchvs *a*), *Exulet*, inquit, *a ſaniore praxi Medica illud Paraphrenitidis nomen, quod ſympathicis phrenitidibus, veluti a* Diaphragmatis Inflammatione *ſubortis, arrogare cum Galeno fere omnes Hippocratis aſſeclae conſueuerunt; — quum reuera*, ſicut audacter affirmare pergit, *in mortuis ab hoc morbo nulla vnquam in transuerſo ſepto propria inflammatio, ſed ſemper in jecore affectio deprehenſa fuerit.* Et Thomas Willisivs *b*) *hunc* (paraphrenitidis) *affectum vix vnquam a tali cauſa* (ſcilicet diaphragmatis inflammatione) *produci arbitratur.* Alii, non quidem negare hoc inflammationis genus videntur, ſed tamen illud in tradenda vel facienda medicina ple-

a) in *Hiſtoria Hepatica*, p. 496. ſeq.

b) *de Anima Brutorum*. Parte 2. Cap. 10. p. 427. ed. Amſt. 1674. in 12.

plerumque praetereunt, negligunt, aut aliis partibus finitimis attribuunt; quapropter PETRVS SALIVS DIVERSVS c) hoc malum, conqueritur, *ab iis, qui praxin communiter docent, vel negligi, vel ignorari.* Contra grauiſſimus BOERHAAVIVS d), cujus merito magna eſt auctoritas, eum *morbum longe frequentiorem eſſe, quam vulgo quidem cenſetur*, exiſtimat. Quum igitur tali ratione pluribus dubiis controuerſiisque diaphragmatis inflammatio ſubjecta ſit, et ipſum tamen hoc argumentum non leuis in arte ſalutari momenti, quum praeſertim SALIVS, loco poſteriore, commoneat, propterea quod hunc morbum practici negligere conſueuerunt, *ab iis aegros in perniciem et mortem ſaepe deduci;* dignum illud judicaui, quod diligentiore diſquiſitione pertractarem, quo, quid de quaeſtionibus eo pertinentibus verum, rectum, certumque, vel ſaltim maxime probabile ſtatuendum ſit, appareat.

§. II.

Principio, quoniam morbus hic Paraphrenitis appellari conſueuit, ratio reddenda erit, cur ego nihilominus illud Inflammationis Diaphragmatis nomen praetulerim. Igitur ſcire licet, antiquitus Φρένας dictas eſſe tum mentem prudentiamque, tum, quod poſtea, PLATONE primum auctore, diaphra-

c) *de Affectibus Particularibus*, in Praefatione, et Cap. 8. p. 220. et 262. Opuſculorum edit. Amſtel. 1681. 8.

d) in *Aphorismis de cognoſcendis et curandis morbis*, §. 908.

gma vocatum *e*): ex qua priore significatione superest adhuc, quod etiamnum Phrenica vocantur vasa diaphragmatis, arteriae scilicet, venae, nerui, caeteraque. Phrenitin autem Medici veteres, eorumque princeps HIPPOCRATES, appellarunt in vniuersum omnem insaniam quae et acuta, et in febre est, continuaque *f*). Sed quum animaduerterent, hanc

e) Hoc duplici sensu jam apud HOMERVM occurrunt φρένες, et similiter apud HIPPOCRATEM; quorum loca dare poterunt Lexica, cumprimis ANVTII FOESII *Oeconomia Hippocratis*, JOH. CVNRADI DIETERICI *Iatreum Hippocraticum juxta ductum Aphorismorum Hippocratis adornatum*; et alia. Idem antiquissimum diaphragmatis nomen fuisse testantur HIPPOCRATES *de Morbo Sacro* sectione XVIII. ARISTOTELES *de Partibus Animalium* Lib. 3. Cap. 10. EROTIANVS in *Vocum Hippocratis collectione*, PLINIVS MAIOR *Historiar. Naturae* Lib. XI. Cap. 37. RVFVS EPHESIVS *de humani corp. Partium Appellationib.* Lib. I. Cap. 9. GALENVS *de Locis Affectis* Lib. V. Cap. 4. Ratio, cur eadem vtramque rem voce, scilicet et mentem et transuersum septum, notauerint, est, quia hoc prudentiae particeps credidere, testibus HIPPOCRATE, ARISTOTELE, GALENO, locis allegatis; siue, vt PLINIVS dicto loco tradit, quod *huic* (diaphragmati) *refertur accepta subtilitas mentis; ideo nulla ei est caro, sed neruosa exilitas:* quibus verbis declarat, centrum diaphragmatis se solum intelligere. Hanc tamen opinionem jam explosit HIPPOCRATES all. l. monendo, non magis has phrenas sapere, quam auriculae cordis audiant. PLATONEM primum diaphragma nominasse, docet GALENVS d. l. fortassis autem in eo praeeuntem secutus est HIPPOCRATEM, qui nimirum διάφραξιν vocat *de Virginum morbis* Sect. 2. numero 8. et φραγμὸν τῶν φρενῶν *de Flatib.* Sect. 17. num. 6.

f) HIPPOCRATIS et GALENI loca dabit Foesius in *Oeconomia*, et Indices. Conf. CORN. CELSVS *de Medicina* Lib. 3. Cap. 18.

hanc ipſam in febribus dementiam in diuerſarum partium morbis cum aliqua diuerſitate accidere; quo diſtinctius agerent, hoc quoque monuerunt, adjeceruntque differentias locorum et ſymptomatum *g*): non tamen ſuum cuique ſpeciei nomen proprium addidere. Quod recentiores demum facere aggreſſi ſunt, aliamque phrenitin vocarunt idiopathicam, ſeu veram, aut exquiſitam, quae ex cerebro ejusque membranis inflammatis oriatur; aliam ſympathicam, ſiue per conſenſum, aut notham, ex diaphragmate aliisue partibus: aliam primariam, quae principem morbum ſemper comitatur: aliam ſymptomaticam, quae et quatenus morbis variis jam formatis poſtea ſe adjungit: adeoque, majoris diſtinctionis ergo, phrenitin proprie dixerunt illam cum inflammatione cerebri ejusue membranarum conjunctam inſaniam; paraphrenitin, quaſi leuiorem phrenitin, illam cum inflammatione diaphragmatis *h*): perinde ac pleurae, hepatis,

 renum,

g) HIPPOCRAT. *de Morbis* Lib. 3. Cap. 9. diſerte ſcribit, *Phreniti-des fiunt etiam ex aliis morbis* (ſcilicet quam illa prior, Lib. 1. Cap. 28. ſeqq. deſcripta); mox pergens, *in Diaphragmate dolorem ſentiunt aegri quidam, ita vt ne tangi quidem eum locum ſinant.* GALENVS c. l. ſimiliter, et adhuc apertius, phrenitin quae ex encephalo eſt, et alteram quae ex diaphragmate, diſtinguit. Add. ALEXANDER TRALLIANVS *Medicinalium* Lib. 1. Cap. 13. PAVLVS AEGINETA *de re Medica* Lib. 3. Cap. 6.

h) Hinc, LAVRENTIO BELLINIO judice, *de Morbis Capitis*, titulo Paraphrenitis, poſt principium, p. 496. edit. Francof. et Lipſ. 1685. 4. *ſunt etiam, qui ab inflammationibus aliarum partium internarum oriri paraphrenitidem aſſerant: ſed nullius par-*

renum, pluriumque partium inflammationes propriis nominibus, pleuritis, hepatitis, nephritis, et fic porro, figillatim appellantur. Rurfus autem obferuatum eft, dementiam continuam, quae nota tam phrenitidis quam paraphrenitidis propria effe perhibetur, non in omni meningum aut ipfius encephali phlegmone, vel fimili diaphragmatis affectione, neque in vna eademque ejus fpecie, femper euenire *i*). Denique multi fub paraphrenitidis nomine quamlibet intelligunt febrem acutam cum delirio fere quidem perpetuo, fed minus, quam in ipfa phrenitide, vehementi, manifeftiusque fympathico *k*). Ex his apparet, paraphrenitidis appellatione faepius quidem fignificari diaphragmatis affectum; fed illam vocabuli vim, qua phrenes transuerfum feptum fignificarunt, partim jam obfoletam effe, partim propter alterum fenfum, quo de

partis inflammatio, praeter fepti transuerfi, producit delirium perpetuum; et hanc folam appellauere veteres Paraphrenitidem. At FR. BOISSIER DE SAVVAGES adhuc diftinguit inter paraphrenefin *Diaphragmaticam*, *Pleuriticam*, et *Hepaticam*, *Nofologia Methodica* Tomo 2. Parte 1. pag. 444. feqq. quae tamen differentiae nequaquam omnem confimilium inflammationum numerum abfoluunt.

i) Teftes magno numero excitatos videre licet in Diff. Inaugurali CAROLI HENR. FEIN *de indole ac fede Phrenitidis et Paraphrenitidis*, Praefide Ill. Viro, qui mihi quoque praefidium praeftitit, Gottingae 1765. defenfa, §. XVI. XVII. XVIII.

k) Vid. allegata cl FEINII Difp. §. I. in fine, §. IV. V. XII. et alibi; quibus plures addi poffunt, vt FELIX PLATERVS in *Praxi*: THEODOR. ZWINGER. in *Theatro Prax. Medicae*, caet.

de prudentia mentis accipitur, ambiguam: deinde patet, ea voce non raro febrem indicari cum continua leuiore desipientia, quae quidem febris diuersis ex locis, non ex solo praecise diaphragmate, proueniat: plerumque vero mentis alienationem intelligi, quae symptoma est, non ipse morbus, nec ipsa tamen semper suo, cui tribuitur, cum morbo conjuncta est. Has ob rationes illud Paraphrenitidis nomen non videtur satis aptum ad diaphragmatis inflammationem denotandam, aut ab aliis morbis distinguendam: contra ea, simpliciter inflammationem appellando, morbum ipsum, non symptoma, dicimus, ab aliis discernimus, et omnes antea propositas ambiguitates et confusiones vitamus: Quod etiam hoc confidentius facio, quo magis complures video Medicos *l*) illud nominis aut simile vsurpasse, vel retinuisse.

l) In his sunt praecipui, CLAVD. GALENVS pluribus locis, ALEX. TRALLIANVS *Medicinal.* Lib. 1. Cap. 13. HIERON. CARDANVS *de caussis, signis, et Locis Morborum* Parte 3. Cap. 71. VIDVS VIDIVS *de Curatione membratim* Lib. 8. Cap. 15. FRANC. JOEL *Operum* Tomo III. s. *Practicae* Lib. 3. Sect. 4. num. 2. PET. SALIVS DIVERSVS l. c. p. 260. seqq. DANIEL SENNERTVS *Practicae Medicinae* Lib. 2. Parte 2. Cap. 14. CASP. HOFFMANNVS *Institutionum Medicar.* Lib. 3. Cap. 46. FABRITIVS BARTOLETVS *Methodi in Dyspnoeam* Lib. 4. Cap. 20. et Lib. 5. Parte 2. Cap. 19. ZACVTVS LVSITANVS *Medicorum Principum Historiae* Lib. 2. Hist. 24. JOH. RIOLANVS *Enchiridii Anatomici et Pathologici* Lib. 3. Cap. 5. p. 216. edit. Paris. 1658. 8. etc.

§. III.

Possit autem aliquis existimare, paraphrenitin cum inflammatione septi transuersi conjunctam, diuersum ab hujus simplici solitariaque inflammatione morbum esse; ideoque etiam a practicis separatim tractari: Quemadmodum, exempli causa, FRANCISCVS JOEL phrenitin ex inflammatione diaphragmatis Libro I. *Practicae suae*, sectione 2. membro 2. exponit; at diaphragmatis inflammationem per se, Libro 3. sect. 4. membro 2. Enimuero, paraphrenitin quae leuioribus febrium deliriis, vel illis sympathicis viscerum contineatur, saepe sine propria septi inflammatione, vel vicissim hanc sine deliriis exsistere, non diffiteor, et hactenus distinctos esse morbos: sed eam paraphrenitin seu desipientiam, quae diaphragmatis comitetur inflammationem, siue cui proprium hoc nomen a Medicorum filiis attributum est, vnum eundemque cum ipsa diaphragmatis inflammatione morbum esse, cujus symptoma sit dementia, nemo, credo, negabit, qui, quid morbus sit, quid symptoma, et quomodo vtraque connectantur, speciatim in inflammatione cum febre, recte perpenderit. Ejusdem sententiae LAVR. est BELLINIVS; nam diaphragmatis inflammationem expositurus m), interponit, *Sed totum hunc morbum explicauimus sub Paraphreniti-* dis

m) *de Morbis Pectoris*, articulo Pleuritis, in fine, p. 656. edit. Opusculorum supra dictae.

dis titulo, quum praecipuum ex conjunctis habeat phrenitidem, et Paraphrenitis vulgo nuncupetur. Ad eundem modum JOELEM quoque et alios, qui forte diuerſis paraphrenitin et diaphragmatis inflammationem locis proponunt, interpretari fas eſt, id ſcilicet eos ideo feciſſe, quod idem morbus, pro variis reſpectibus, pluribus in ſedibus locum inuenire ponique poteſt, non quod reapſe pro diuerſis habuerint diuerſis nominibus appellatos, paraphrenitidem et diaphragmatis inflammationem.

§. IV.

Quid igitur cauſae ſit, merito quaerere videmur, cur magnum plerumque inter practicos de diaphragmatis inflammatione ſilentium eſſe ſoleat, vel adeo de ea ſaepe dubitetur, aut ipſa pluribus in caſibus, vbi ſubeſſe communiter creditum eſt, a multis alteri morbo, praeſertim jecinoris, locum ſuum tamdiu poſſeſſum cedere jubeatur: contra, cur alii ſedem illi, quam olim occupauit, conſeruare, reſtituere, creberrimosque caſus adjudicare contendant; quemadmodum initio monui. Equidem prius illud partim ea de cauſa fieri puto, quod antiquorum virorum ſcripta neglecta vel contemta ſunt, aut eorum verba perperam intellecta, nouarum autem rerum excogitatione gloria quaeſita: partim, quod confuſi ſunt inter ſe vicinorum locorum affectus, dum diaphragma cum tot partibus, praeſertim pectoris et inferioris ventris, connexum

eſt,

eſt, ideoque vel ipſius proprii morbi finitimis partibus adſcribi poſſunt, vel hi cum connexarum quoque partium morbis complicari: partim, quod ſepti transuerſi naturam, ſitum, nexum, motum, et reliquas functiones conditionesque Medici minus, quam par eſt, attenderunt aut aeſtimarunt. Primum, veteres hunc morbum ab Hippocratis vsque temporibus cognouiſſe literisque conſignaſſe, pluribus auctorum locis §. II. ſatis, arbitror, comprobatum eſt: conſtitit item, in Phrenibus ejus ſedem fuiſſe poſitam, quo tempore phrenes diaphragma ſignificarunt: poſtea vero quam Diaphragmatis nomen inuentum fuit, ſub hoc ipſo diaphragmatis nomine morbus idem indicatus; vt ergo pars eadem pro loco affecto ſemper habita ſit, et diuerſum ea tantummodo nomen geſſerit. Sed, quia phrenes quoque mentem ac rationem denotarunt, et phrenitis ejus aberrationem; hinc prima confuſioni anſa data: nam, quaſi mentis laeſio morbo nomen feciſſet, ad phrenitin relatus eſt, et poſtea certioris diſtinctionis cauſa Paraphrenitis appellatus: deinceps illud amentiae ſymptoma, tanquam in omni diaphragmatis inflammatione ſemper ſe manifeſtaret, pro ſigno morbi proprio ſeu pathognomonico acceptum eſt. Jam vero, negare quidam ſuſtinent, in locis Hippocratis, quos de hoc morbo interpretes expoſuerunt, et phrenas ibi dictas de diaphragmate intellexerunt, nominatim in illis *de Morbis* Lib. 3. Cap. 9. et *de Affectionibus* Cap. 10.

prae-

praeter alios multos, non per transuerſum ſeptum iſtam vocem eſſe reddendam, ſed potius per praecordia, id eſt, hypochondria, maximeque jecur: argumento eſſe, quod adjicit Hippocrates, phrenas ita dolere, vt ne attingi quidem ſe ſinant aegri, quum autem diaphragma nullo modo in viuentibus contingi poſſit, aliud intelligi debere, nominatimque hepatis gibbum: deinde ſeptum transuerſum propterea locum non habere, quod Hippocrates in eo morbo vomitoria et purgantia commendet, quae tamen ad diaphragmatis inflammationem nihil ſane valerent, quin potius non ſine grauioris noxae periculo adhiberentur: denique, qui ex hoc morbo mortui ſunt, in illis reuera nullam vnquam in transuerſo ſepto propriam phlegmonen, ſed ſemper in hepate labem repertam fuiſſe; et quae ſunt aliae ſimiles objectiones *n*). Vnde concludunt, diaphragmatis inflammationem ex falſa ſuppoſitione natam eſſe, precarioque aſſumtam.

§. V.

Quibus vt reſpondeam, quod ad Praecordiorum vocabulum attinet, nusquam, quod ſciam, apud Hippocratem phrenes de Hypochondriis et Hepate occurrunt, ſed omnibus locis, vbi pars corporis iis indicatur, de diaphragmate; quod etiam veteres vocum expoſitores Graeci *o*), Medici quoque

n) Vid. JOH. BAPT. BIANCHI l. c. et cl. FEIN alleg. diſſ. §. VI. et XIV.

o) quos nominaui ſupra §. II. annotat. *e*).

que ipsi, confirmant, qui quidem hac in re sine dubio majorem fidem merentur, quam recentiores, nec Graecanicae linguae scriptorumue tam gnari, et tantis temporum interuallis a vetustate remoti. Et eo minus de jecore phrenas apud Hippocratem exponere licet, quod ipse vtraque diserte separat, vt *Coacarum Praenotionum* Sectione 3. numero 387. diuisionis Joh. Antonidae van der Linden; *Aphorismorum* Lib. 6. Aphor. 18. *de Anatome* Cap. 3. *de Morbis* Lib. 1. Cap. 3. num. 4. *de Victu Acutorum* Cap. 36. num. 3. et alibi. Similiter phrenas et Hypochondria distinguit *de Victu Acutorum* Cap. 36, 1. Quodsi vel maxime praecordiorum vocem illi diaphragmatis substituamus, tamen ea non certius designantur hypochondria: nam praecordia antiquis aliquando solum septum transuersum significant, aliquando hoc iis simul cum hypochondriis comprehenditur. Sic CAJVS PLINIVS *Historiar. Naturae* Lib. XI. Cap. 37. clarissimis verbis pronunciat, *Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quae* praecordia *appellant, quia cordi praetenduntur, quod Graeci appellauerunt* phrenas. Et CORN. CELSVS locum definit, *de Medicina* Lib. 4. Cap. 1. pag. 184. editionis Almeloueenianae, scribens, *Stomachus* (id est, oesophagus) *circa* praecordia *cum ventriculo committitur*: et Lib. 8. Cap. 1. p. 503. *Os pectoris* a praecordiis, *jam ipsum quoque cartilagine mollitum, terminatur.* Qui distinguit etiam a *praecordiis jecur*, *lienem*, et *ventriculum* Lib. 2.

Cap.

Cap. 8. p. 70. et 73. Lib. 3. Cap. 24. p. 176. Lib. 5. Cap. 26. p. 286. ſaepe vero ſimul hypochondria comprehendit, vt Lib. 2. Cap. 3. p. 49. eodem Lib. Cap. 4. p. 51. et 52. Cap. 7. p. 63. et 64. bis: Lib. 3. Cap. 22. p. 170. eodemque Lib. Cap. 24. p. 175. bis, caet. quibus locis fere praecordia reddit, quae Hippocrates, vnde ſumſit, hypochondria vocauerat.

§. VI.

Quod, diaphragmati minus conuenire locum Hippocratis propterea, contendunt aduerſarii, quia contactum ait refugere partem affectam, diaphragma vero putant in viuis a contactu plane remotum eſſe; hoc non arbitror magnum probandi pondus habere. Satis enim dilucet, illa verba non aliter accipienda eſſe, quam, in iſto morbo loca, quibus transuerſum ſeptum adnatum eſt, ſcilicet interiorem oram mucronatae cartilaginis coſtarumque ſpuriarum, ſcrobiculum cordis qui dicitur, etc. non ſine ſummo dolore contrectari, manum aut digitos ſubjiciendo, vel partes exteriores aut interpoſitas verſus ſeptum premendo; quali quidem modo ea loca tangi in ipſis viuentibus poſſe, quis non videt? cui non in ſemet ipſo experiri licet? Neque jecur, quod ſubſtituunt, aliter in viuis tangi, niſi per intermedia ventris tegumenta, poteſt; vt tali ratione, quod de diaphragmate negant, de jecinore pariter confiteri neceſſum habeant, nimirum in viuis

uis plane tangi non poſſe. Praeter haec, eo minus hepar hic intelligere conuenit, quia ſatis conſtat, hujus viſceris inflammationem nequaquam, niſi in admodum graui malo, tam acutum mouere ſuimet ipſius dolorem, vt omnem attactum reſpuat, ſed fere tantum obſcuriorem vel obtuſiorem ejus generis ſenſum afferre *p*), ſiquidem ipſum per ſe jecur non magna ſentiendi facultate praeditum eſt: quodſi dolor vehemens in his locis percipitur, is vel ab exteriorum partium aut membranarum inflammatione proficiſcitur, vel a calculis veſiculae fellis, et ſimilibus.

§. VII.

Alterum argumentum, quo diaphragmatis inflammationem in loco Hippocratis euerti creditur, erat, quod emetica purgantiaque laudari non potuerint, ſi is morbus foret, cui nimirum ejus generis medicamenta inimica ſint, contra hypochondriorum, et potiſſimum hepatis inflammationi quam maxime accommodata; de qua poſteriore propterea locum iſtum interpretandum eſſe volunt. Verum, ſi contextum verborum Hippocratis ipſum oculis intuemur, manifeſte cognoſcimus, ibi definite praecipi, in morbo propoſito, quemadmodum in peripneumonia, ſurſum excernere, *ἀποκαθαίρειν*, et

p) Vid. JOD. LOMMIVS in *Obſeruationib. Medicinal.* Lib. 2. hoc titulo, FRID. HOFFMANN. in *Medic. Syſtem.* Tom. IV. Part. I. Sect. 2. Cap. 7. MICH. ETTMVLLERVS, etc.

et tuſſi ſputoque per ſuperiora educere, ſiquidem aptus fuerit aeger, ἢν μὲν οἷός τε ᾖ· ſi vero hoc non liceat, ventrem inferiorem praeparare, vt ſubducatur. Itaque jubet auctor, curationem hujus, de quo agimus, morbi ad illam peripneumoniae curationem exigere, ſimiliterque per ſupernas pectoris vias materiam rejicere, (hoc enim apud Hippocratem q) ἀποκαθαίρειν ſignificare conſueuit), per tuſſim ſcilicet et ſcreatum; idque tum facere, ſi natura hominis ad eam excretionem vergit: ſin ad hanc minus apta eſt, ventrem inferiorem ita diſponere praecipit, vt materiam dimittat, ſicut pariter in peripneumoniâ fieri ſolet. Nulla hic vomitoriorum aut purgantium proprie ſic dictorum mentio, ſed bechicorum, ſed aluum mollientium, aut laxantium, qualia a cibis, potionibus, lotionibus ſiue clysmatibus petere licet, et conuenit; non a medicamentis vomitum aut dejectionem majore vi molientibus: nam priora, quae laxant, etiam in diaphragmatis inflammatione quam maxime locum inueniunt; vt tali modo ſepti tranſuerſi phlegmonen ipſa quoque remedia praeſcripta praeſenti loco vindicent. Quodſi quis nihilo minus inſiſtat, vera ibidem vomitoria et purgantia intelligere; eadem, dico, non magis hypochondriorum aut hepatis inflam-

q) vt *Epidemicorum* Libro 7. Cap. 47. n. 17. alias ἀνακαθαίρειν, vt *Aphorismorum* Lib. 5. Aphor. 8. et 15. *de Affectionib.* Cap. 8. num. 13.

flammationi, dum viget, eſſe commoda, ſicut ex therapeuticis praeceptis conſtat, quam illi diaphragmatis: vnde conſequitur, vt tali ratione neutrius partis inflammatio, nec jecoris, nec transuerſi ſepti, locum hic tueri poſſet.

§. VIII.

Tandem in paraphrenitide, quae ipſam diaphragmatis inflammationem deſignare dicitur, negant vnquam hanc inflammationem repertam fuiſſe, aut reperiri, corporibus eorum, qui hoc morbo paraphrenitidis defuncti ſunt, inciſis, ſed ſemper in hepate; quapropter ſepti phlegmonen perperam ſupponi contendunt. At enimuero, primum, etſi paraphrenitis abſit, hoc eſt, leuior in febre deliratio continua, tamen nihilo ſecius ſeptum transuerſum inflammatum eſſe poteſt, ſiquidem non inſeparabile illud accidens eſt; vt jam in ſuperioribus §. II. et III. oſtendi: Quamobrem, licet in corporibus ex paraphreniti mortuis non diaphragmatis inflammationem, ſed jecoris, inuentam fuiſſe, concederetur, tamen aliis in caſibus, vbi nulla paraphrenitis obſeruata eſt, talis inflammationis veſtigia deprehendi poterunt. Deinde, quanquam paraphrenitidis nomen diaphragmatis inflammationi tributum ſit, tamen etiam ſine hac in aliarum partium affectibus contingit, ſicut pariter §. II. demonſtratum et teſtimoniis idoneorum auctorum confirmatum eſt. Ergo, quandocunque paraphrenitis ſine diaphragmatis inflam-

inflammatione fuit, alia ſpecies intelligenda eſt, quam quae inflammationem iſtam comitatur. Coniunctam autem perſaepe reuera cum ſepti transuerſi phlegmone paraphrenitidem eſſe, non tantum omnes illi, qui paraphrenitin in diaphragmatis inflammatione proprie verſari volunt, et qui ſane plurimi ſunt, vt ex ſupra propoſitis cognoſci poteſt, teſtantur, ſed ipſi quoque illi, qui paraphrenitin non ſemper ejus phlegmones eſſe comitem animaduerterunt, tamen aliquando eſſe, ſimul fatentur *r*). Denique, paraphrenitide tantisper relicta, veram diaphragmatis inflammationem, tam tendinoſi centri quam muſculoſae partis, reapſe frequentiſſime obſeruatam et oculis vſurpatam eſſe, praeter auctores §. II. annotatione *t*) prolatos, magno conſenſu etiam omnes afferunt, qui ſine deliriis, ſaltem ſine perpetuis aut euidentioribus, eandem eſſe defendunt aut repererunt, et ex quibus compluriam teſtimonia, ſuis quoque nonnulla verbis deſcripta, videri poſſunt in allegata diſſertatione Clar. Feinii §. XVIII. p. 29. et ſeqq.

§. IX.

Altera cauſa generalis, ob quam inflammationis ſepti transuerſi rarior, quam decet, mentio fiat, eſt, quod propter aliarum partium vicinitatem et con-

 nexio-

r) Hi videri poſſunt tum ſupra §. I. tum apud Cl. FEINIVM diſſ. cit. §. XVIII.

nexionem, illis finitimis ejus affectus adſcribi ſolent. Connectitur autem ſeptum cum aliis partibus potiſſimum per membranas ſeu tunicas, tum per vaſa ſanguinea, neruosque. Sic vnam eandemque tunicam inueſtientem, ſcilicet a pleura et peritonaeo productam, habet cum mediaſtino, pericardio, thoracis cauo, pulmonibus, oeſophago, tum inferius cum jecinore, ventriculo, ſplene, inteſtinis, caet. Cum iisdem partibus arterias venasque, communes, et ab vna origine propagatas, nactum eſt. Similis eſt neruorum communitas. Hinc, ſi diaphragma tumorem, inflammationem, dolorem, et quae conjuncta ſunt, contrahit, partim per communia vaſa materies in connexa quoque loca diffunditur, partim haec ab affecto ſepto pulſum, preſſionem, tenſionem, obſtaculum, ſenſum moleſtum, et quae inde porro pendent, patiuntur: eoque magis fit talis affectionum communicatio, quo viciniores diaphragmati ſunt partes, quoque latior et arctior eſt illarum cum hoc connexio. Quamobrem pleura, mediaſtinum, pulmonum tunica, jecur, et ventriculus cum ſtomacho, maxime in conſenſum trahuntur; et diaphragmatis inflammatio mentitur nonnunquam ſpeciem aliquam pleuritidis, peripneumoniae, gaſtritidis, hepatitidis, et ſimilium. Sic, ad pleuritin refertur hic affectus ab AVICENNA *s*), a PAVLO BARBETTE *t*), a JOHANNE PRINGLE *u*), pluribusque: ſimili-

s) *Canonis* Lib. 3. Fen. 3. Tractatu 4.

t) *Praxeos* Lib. 3. p. 70. edit. Amſtelaedam. 1693. 12.

u) *Obſervations on the diſeaſes of the Army*, Part. III. Cap. 2.

militer ad alias congenerum morborum ſpecies. Idque vulgo frequenter admodum fieri videtur, dum in praxi tam raro ſeptum transuerſum accuſari ſolet.

§. X.

Sed quoniam ad morbos recte cognoſcendos atque curandos inprimis opus eſt, vt ab aliis, qui ſimilitudinem cum illis aut affinitatem habent, probe diſtinguantur; notae tenendae ſunt, quibus quique morbi proprie deſignantur, et quibus a caeteris differunt: quae quidem notae fere a locorum conditionibus et a functionibus partium ſumuntur. Ergo, diaphragmatis inflammationem a reliquis diſcernunt, ſenſus tenſionis dolorisque vehementis talis, qui inſtar cinguli thoracem inferiorem ſtringentis ſe gerat, et praeſertim in inſpiratione augeatur: adhaec, reſpiratio celeris ac breuis, ſeu parua ac frequens; creſcente autem malo inaequalis, ſeu modo parua ac frequens, modo rara ac magna: hypochondriorum reuulſio verſus pectus: nonnunquam conuulſiones, Sardonius riſus, ſingultus idiopathicus, pulſatioque ſeu palpitatio circa ſcrobiculum cordis; et ſimilia. At communia cum pleuritide, cum peripneumonia, cum pericardii et mediaſtini inflammatione habet caeterarum inflammationum febrisque comitatae ſymptomata et conſequentia, nominatim aeſtum, dolorem capitis aliorumque locorum, pulſum durum et frequentem, dejectum appetitum, vrinam crudam, vigilias, inquietem, inſo-

mnia, suppurationem, caet. cum inflammatione ventriculi et hepatis, similia, praetereaque desipientiam paraphrenitin dictam; et sic porro. Ventriculi inflammationem, praesentibus reliquis notis, peculiariter distinguunt, locus, nausea vomitusque, praesertim quum aliquid ingestum est, anxietates, sitis, singultus sympathicus. Hepatitin veram, quaedam ex his, tum in loco grauitatis et obtusi doloris sensus, bilis vomitus, variaeque species icteri: tunicarum hepatis, peritonaei, musculorumque exteriorum phlegmonen, spuriam Hepatitin nonnullis dictam, similis quidem, vt in diaphragmatis inflammatione, dolor vehemens, at loco diuersus, quique ad latus dextrum et ad jugulum humerumque partis ejusdem perueniat; tum vomitus bilis: Pleuritin, dolor lateris punctim affligens: Peripneumoniam, mollis pulsus: Pleuropneumoniam, mixtum ex vtrisque symptomatum genus: Mediastini inflammationem, minor in inspiratione dolor, quam in pleuritide; etc. Praeter haec, in interstitiis, quae juxta xiphoïdem cartilaginem et infimas dorsi vertebras a pleura et peritonaeo formantur, potest fieri materiae collectio, et singulare morbi genus efficere, molesto loci sensu praecipue a diaphragmatis caeterarumque partium adjacentium affectibus diuersum. Prout autem aliqua ex his malis consociata sunt, id quod propter viciniam saepe fit, ita tum diuersorum locorum accidentia simul obseruantur et permiscentur. Sic inprimis pleuritis esse so-

let

let in inflammationis diaphragmatis ſocietate vel primarius morbus vel ſecundarius: ſimiliterque mediaſtini, vel ventriculi, vel jecinoris, vel peritonaei ab eoque productarum membranarum et externorum muſculorum inflammatio. Qualis permixtio vel conſortium merito putatur frequentem dare occaſionem, vt vnum inflammationis genus pro altero habeatur, nec, quae propriae ſunt diuerſarum partium affectiones, ſatis a ſe inuicem ſecernantur.

§. XI.

Praeter differentias, quas aliae partes in ſuis morbis a diaphragmatis inflammatione faciunt, etiam in ipſo ſepto quaedam exſiſtit diuerſitas. Nam vel ejus in ſuperiore membrana, ſiue thoracis cauum reſpiciente, pleurae ſcilicet productione, contrahitur malum, vel in inferiore tunica, cum peritonaeo coalita: in carnoſa ſeu muſculoſa parte, vel in tendinoſo centro ſiue nonnullis ſic dicto ſpeculo: rurſus, quantum ad carnoſam attinet, in antica parte lateribusque, vel in poſtica, cruribusue et appendicibus: vel denique in toto quaquauerſum diaphragmate. Pro hac igitur diuerſitate partim locus, vbi ſentitur vitium, varius eſt; partim gradus aut vis morbi, partim ſymptomata quaedam nonnihil differunt. Sic inprimis, ſi centrum quoque tendinoſum inflammatur, vehementiorem fore morbum omniaque inflammationis accidentia, non obſcurum eſt; ſiquidem, quum arctiora, quam reliquae partis,

magisque tensa sint ejus vasa, grauior quoque morbus hujusque motus esse debuit, qui in illa humorem inflammantem adegerit, neque hic inde facile iterum expediri poterit, aut viae, quantum ad transmittendum satis sit, molliri laxarique; quibus adeo rebus, necesse est, malum augeatur, et difficilius ad curationem reddatur.

§. XII.

Sunt etiam alii diaphragmatis morbi, qui cum ejus inflammatione cognationem habent, et cum eadem aliquando copulantur, propterea que, ne rectam curandi rationem peruertant, et erroribus opportunitatem praebeant, rite distingui debent. Quo praecipue referendi *Tumores* appellati *frigidi*, qui quidem a materia non inflammata, neque vehementer commota, sed cruda, siue ad probi humoris indolem non satis perfecta, et longiore demum tempore congesta, conflantur, duritiem contrahunt, diuque perdurant, et magis magisque confirmantur, caeterum secum ferunt aliquid doloris, respirandi difficultatis, tensionis praecordiorum aut hypochondriorum, pulsum durum paruumque, sed fere non celeriorem aut frequentiorem quam antea consueuerat, et quae ex his pendent aut consequuntur; neque febris animaduertitur, certe non acuta, neque delirium, nisi quum hi tumores exacerbati tabem afferunt, jamque mors appropinquat, tum enim accedere quoque solent febriculae leuiaque

deliria.

deliria. Quod valetudinis genus praeclare cumprimis, post GALENVM ac FERNELIVM *v*), explicuit PET. SALIVS DIVERSVS. *w*) Ab his differunt *Steatomata* super septo nata, quae nonnunquam pugni magnitudinem aequant, et solo fere pondere molestiam et respirationis impedimentum afferunt *x*). *Vulnera* transuersi septi per se quidem suosque proprios effectus, vt sanguinis spumantis sputum cum tussi, caet. satis ab inflammatione simplici distant, sed, quemadmodum alia vulnera grauiora, inflammationem post se trahunt cum suis accidentibus, in his praecordiorum sursum contractionem, respirationem laesam, mentis alienationem, interdum cum Sardonio risu, interdum cum furore; singultum, caet. De diaphragmatis *Vlceribus*, *Apostematibus*, *Abscessibus*, *Empyemate*, nihil addo, quia vel ex inflammatione consequuntur, ideoque tum decurso jam isto stadio satis distinguuntur; vel, si quid inflammationis conjunctum est, vt praesertim in nonnullorum principiis saepe fit, notis vtriusque generis, id est, et inflammationis et abscessus, collectionis, tumoris, similiumue se produnt.

v) Is *Patholog.* Lib. 5. Cap. XI. *Tumores duros*, inquit, *diaphragmatis radici infixos nonnunquam deprehendi, qui sensim tabe laborantes consumserunt, citra vllam delirii speciem.*

vv) *de Affectibus Particularibus* Cap. 8. p. 259. seq. Opusculorum supra dictorum. Idem ibid. GALENI doctrinam hujus argumenti pluribus ex ejus locis collectam exhibet.

x) Vid. JOH. VESLINGIVS in *Syntagmate Anatomico*, Cap. 9.

§. XIII.

Si nunc quoque confideramus, ex quibus rebus diaphragma compofitum fit, qua ratione conftructum, quas actiones exerceat, quibus aliarum rerum, aut corporis partium incurfibus motibusque obnoxium; videmus, illud inflammationibus contrahendis quam maxime, ficut fimiles partes, aptum effe. Nam ex mufculofa carne tendineqde, membranis, neruisque contextum eft, et plurimo irrigatur fanguine; tum femper quodammodo tentum, perpetuis agitatur refpirationis motibus, vnaque aëris in pulmones illabentis, nec non fubinde ciborum ac potionum per gulam defcendentium, contactum et frigus per medias vifcerum membranas fentit. Dum itaque mufculofa neruofaque et membranacea compages, et copiofus in eadem humor, qui quum per fe caleat, tum a jugi fortique motu partis et ab adjacentibus, caloris augmentum accipit, iftius frigoris acceffum percipiunt, aut viciffim fanguis in minora, pro fua mole vel craflitudine, vafa vehementiore motu impellitur, fane continuo mufculorum, membranarum, vafculorumque contextus ad contrahendum, et humores ad fpiffefcendum fubfiftendumque folicitabuntur; et reuera fic contrahentur, compingentur, ab fubfiftent, fi certum ad gradum frigus partem afficiat, aut motus humorem incutiat. Tum vero non poteft non fieri, quin ftatim nafcatur inflammatio, cujus nimirum conceptus verfatur in fanguine feruido vafis contractioribus

bus haerente, continuoque tum ipſius inteſtino motu, tum ſuccedentis impulſu. Sic ipſa diaphragmatis natura conflando morbo velificatur; quo tamen, neceſſe eſt, accedant occaſiones, quibus transuerſum ſeptum ita, vt dictum eſt, tamque grauiter afficiatur, vt res in ipſum morbum erumpat.

§. XIV.

His perſpectis, multas quaeſtiones, dubia et obiectiones, quae circa praeſens argumentum moueri poſſunt ac ſolent, facilius ſoluere atque diluere licebit. Primo, *Raram* eſſe diaphragmatis inflammationem, quidam volunt, alii *Frequentem*. In qua diſſenſione vt ratio recte ſubducatur, meminerimus, quod §. XIII. expoſitum eſt, ſepti transuerſi naturam ita comparatam eſſe, vt inflammationis morbum in aliqua ſui parte facile promteque concipiat, ſi cauſae talis morbi praeſto fuerint, atque ad ſeptum acceſſerint, in eodemque conſtiterint; quae quidem cauſae ſunt ſanguis copioſus, calidior, aut craſſior juſto, vehementius commotus et impulſus; frigus aeris aut ingeſtorum ciborum ac potionum; vicinorum locorum compreſſio, liberum humorum in ſepto fluxum intercipiens; vel conſentiens circumpoſitarum partium malum, quod in diaphragma ſe diffundat, et ſimilia. Pariter videmus, occaſiones, quae cauſas iſtas admoueant, aut concitent, admodum frequenter incidere: quam enim ſaepe frigidus aer in pectus, ſolito magis calens, irrumpit?

pit? aut potio frigidior per stomachum descendit? aut validius haec mouetur? aut finitima laborant? Quum itaque res, quae diaphragmatis inflammationem inferre solent, saepissime incidant aut exsistant, eaedem faciunt, vt iste morbus aeque frequenter exsistere possit, nisi vel in alia loca deriuetur, vel in ipso ortu, naturae vi aut idoneorum remediorum ope discutiatur; cujus generis remedia sunt abstinentia, sanguinis detractio, motus placidus, calor moderatus cum humore diluente, quo motus fluidorum aequabilis per vniuersum corpus adjuuetur; etc. Vt autem hic locorum, propositis ex rationibus, inflammatio persaepe fieri potest, sic eam ibidem non minus saepe reapse formari, suaque symptomata, grauia quidem ac permolesta mouere, tum, nisi soluatur, aut in aliam partem transferatur, in pus clausum, aut deinceps apertum, vel in gangraenam sphacelumque verti, satis per obseruationes compertum est atque comprobatum; et testes ejus rei locupletes sunt auctores plurimi supra subinde citati, nominatim annotatione 3. 4. 11. tum ad quos §. VIII. prouocatum est; ex quibus praecipuus et velut instar omnium esse videtur PETRVS SALIVS DIVERSVS y). Hinc concludere licet, minime rarum esse hoc morbi genus, sed admodum frequens: quod autem vulgo rarum existimatur, propterea fieri, quia posthabita diaphragmatis consideratione

y) *de Affectibus Particular.* cap. 8. Opusculorum p. 262. Add. ANTON DE HAEN *Ratio Medendi* Part. I. Cap. VII.

ratione, vicinarum partium morbis accensetur, qualis confusio jam antea §. X. pluribus exposita est.

§. XV.

Delirium siue *Paraphrenitin* cum inflammatione transuersi septi semper esse conjunctam, multi contendunt: alii, non eum indiuiduum esse comitatum, arbitrantur, sed etiam sine mentis alienatione hunc diaphragmatis morbum accidere stadiumque suum percurrere: rursus alii, paraphrenitin tum saltem euenire, volunt, quando media seu tendinosa septi pars incensa est; quod tamen alii pariter negant: item sunt, qui perpetuam hic esse dementiam statuant; quam alii vero tradunt interruptam esse, siue per vices accedere et decedere. Enimuero, delirium non inseparabile esse cujuslibet inflammationis accidens, cognoscimus, si totam ejus historiam apud animum recensemus atque perpendimus; sed ejus demum inflammationis comitem, quae febrem moueat: neque in omni tali febre, neque semper, mentem alienari videmus, sed in ea, quae grauior sit, et eo fere tempore, quo vehementius vrgeat: denique animaduertimus, deliramenta ipsa non tantum in febribus contingere, sed etiam extra febrem, vt in ebrietate, in melancholia, in mania, similibusque. Quum igitur in his morbis, quibus bilis materiem dat, vt in mania, melancholia, furore vterino, caet. mens laboret: et pariter in illis

cor-

corporis conditionibus affectibusque, quibus sanguis feruentior, tenuior, acrior, concitatius et confusius ad caput fertur, vt in ebrietate, febribus, inflammationibus, caet. quo contra motu sedato, vel ad alia loca reuulso, deliria conquiescunt: vtrobique autem, id est, tam in febribus inflammationibusque, quam extra has, sanguis alibi, maximeque in praecordiis et hypochondriis morbique sede, difficilius promoueatur, quam versus caput; et ab hoc propter impeditam respirationem difficilius refluat; videtur bilis, quae sanguini permixta sit, quaeque vt ipsa feruidissima, acerrima, mobilissimaque est, ita maxime valeat ad sanguinem incendendum, tenuem acremque reddendum, et commouendum, sic deliriis causam praebere, hoc est, talem turbulentum in cerebro neruisque motum efficere, qui sensuum internorum actiones, idearum perceptionem, ordinem, consequentia, nimis irritet, concitet, confundat, atque perturbet. Jam vero bilis propria sedes est hepar: hinc igitur ejus plus solito, vel acrius aut feruidius, ad sanguinem ferri oportet, quo ad caput rapto mens conturbetur: Bili autem exagitandae et in sanguinem infundendae satis et abunde sufficit ille humorum vasorumque et partium omnium motus, qui in febribus, inflammationibus, spasmisque fit; et quidem eo magis in diaphragmatis inflammatione febreque conjuncta, quo magis his locis accumulatur

san-

ſanguis difficiliusque progreditur *z*), quo vicinius ſepto jecur eſt, quo arctius cum illo connexum, quo propius et crebrius ab eodem premitur concutiturque. Delirium ergo mouebitur, quando non ſolum inflammatio ſepti ſat validam febrem concitauerit, ſed etiam bilis ſat copioſa et acris fuerit: ſi ſecus alterutrum vel vtrumque ſe habeat, (habet autem nonnunquam in non bilioſis, et minus calidis corporibus), non eueniet delirium; id quod conſentit cum experientia, qua conſtitit, aliquando inflammatum fuiſſe transuerſum ſeptum, nec tamen vllam per totum morbum deſipientiam obſeruatam. Sic PETRVS SALIVS diſerte negat *a*), in hujus inflammationis principio delirare aegros, ſed *increſcente* demum *inflammatione* ita ſe gerere docet. Et, quod ad alterum attinet, videlicet totum aliquando morbum, dum ab initio ad finem decurrit, a deliriis vacuum eſſe, teſtatur hoc FERNELIVS, verbis annotatione *v*. jam deſcriptis: et WILLISIVS *b*), poſtquam hujus generis morbos binis exemplis enarrauerat, ſubjicit, *nec tamen laborans in tota aegritudine ſua phreniticus, aut anima delirans fuit.* Plures dabit teſtes Cl. FEINII diſſertatio ſaepius allega-

z) Haec videtur eſſe ſententia HIPPOCRATIS, dum in libello *de Virginum morbis*, Cap. 2. num. 8. et 19. ſeq. docet, feminis mentem alienari, quando ſanguis prae multitudine ad cor et diaphragma congeritur; hinc enim lentius fluere, quia vaſa ſanguinis ibidem oblique poſita ſunt, ideoque locus opportunus et paratus ad aberrationem mentis ac furorem eſt.

a) l. c. p. 261. et 262.

b) *de Anima Brutorum* Part. 2. Cap. 10. p. 427. edit. alleg.

legata, §. XVIII. Rariores tamen incidere casus, autumare licet, vbi paraphrenitis abest, quam vbi consociatur, et, vt FRANC. JOELIS *c*) verbis loquar, *plerumque delirium adesse:* nam magis diaphragma per se vehementi patet inflammationi, quam leui, velut ex superioribus, praecipueque §. XIII. intelligi potest: et bilis plerumque tantum est, quantum ad turbandam mentem sufficiat: denique longe plures numerantur auctores, qui delirium huic inflammationi conjunctum asserunt, quam qui defuisse compererunt. Praesertim vero, centrum diaphragmatis si simul cum reliquo, (nam vix, ac ne vix quidem, fieri posse videtur, vt tunc reliquum transuersum septum immune maneat), inflammatione correptum fuerit, quo grauius tum, sanguine in exilibus tendinum vasculis haerente, malum est, eo minus delirio febrili destituetur: vnde permultis, tum demum, et tum quidem semper, insaniam oriri, persuasum fuit, quando neruosum hoc seu tendinosum medium inflammatur *d*). Quanquam nec tum illud inseparabile est, siquidem tum pariter aegrum vel ex toto non delirasse, vel non nisi leuiter sub mortem, aliquando cognitum est:

c) *Practicae* Lib. 3. Sect. 4. §. 2. p. m. 79.

d) vt AND. LAVRENTIO in *Hist. Anatomica* Lib. 9. Cap. 4. Quaest. 4. JOH. ARNOLDO FRIDERICI diss. *de Diaphragmatis vulnere,* Cap. 5. RVDOLPH. WILH. KRAVSS diss. *de Phrenitide*, p. 8. MICH. VAN DE WERKE diss. *de Paraphrenitide*, §. XVII. JOH. HENR. SCHVLZ. et AND. CHRISTIAN. BEZEL in hujus inaug. diss. *de Paraphrenitide*, §. XXIX. XXXI. caet.

eſt: vt in exemplo Casp. Gvil. Bevsseri *e*), qui hanc ipſam ſepti partem inflammatam, indeque adeo ſphacelo correptam inuenit, quum nulla per morbi decurſum paraphrenitis animaduerſa fuiſſet: et in obſeruatione Joh. Bapt. Morgagni *f*), ſcribentis, *Conſpexi ego tendineam quoque ejus* (ſepti) *partem*, (*quam vnam maxime attendunt, qui delirium ab diaphragmatis inflammatione repetunt*), *inflammatam, quum vix confuſa et ſubdelira morbi extremo tempore mens fuiſſet.* Nec non in caſu Antonii de Haen *g*), quo transuerſum ſeptum *in muſculoſa parte multa* quidem, ſed *in tendinea vniuerſa*, adeo vehementer inflammatum fuit repertum, vt ipſa per artem injectione rubicundior reddi non potuerit, et tamen aeger *in morbo non delirauerat*, ſed ipſam tantummodo *ſub mortem;* pariterque *riſu Sardonio, conuulſionibus, furoribusque* plane liber fuerat. Quantum ad inſaniae perpetuitatem attinet, de ea ſimiliter ex inflammationis gradu motuque et bilis acrimonia copiaque judicandum eſt: nam ſi, verbi cauſa, vehemens eſt inflammatio, eaque loco ſuo, pari grauitate conſtanter inhaeret, vel adeo continuo increſcit, et febris eadem ratione continenter durat, an-

e) in *Hiſtoria morbi et ſection. cadau. variolis confluentib. defuncti*, apud HALLER. in ſyntagmate *Diſſertationum Medico-Practicar.* Vol. V. p. 580. et 582.

f) *de Sedibus et Cauſis Morborum per anatomen indagatis*, Epiſt. VII. num. 14.

g) *Ratione Medendi*, Parte IX. Cap. 1. §. 5. et Cap. 2. §. 7.

ſanguisque ſimul ſat bilioſus eſt; perpetuum fore delirium, par eſt: At, ſi phlegmone leuior eſt, et per interualla quadantenus diminuitur, vnaque febris per vices remittit, nec bilis ſemper tantum humoribus additum eſt, vt cerebrum perturbet; tunc deliria non perpetua, ſed interrupta erunt.

§. XVI.

Riſum qui praeter rationem fiat, pariter in diaphragmatis inflammatione ſemper obſeruari, quidam affirmant, ex quibus BELLINIVM *b*) nominaſſe ſufficiat; de quo tamen alii dubitant. Mihi videtur, quum ejusmodi riſus delirii ſpecies ſit, de eo in vniuerſum quidem ſimiliter, ac de deliriis ipſis hunc morbum comitantibus, eſſe ſentiendum, ſcilicet et accidere vtique poſſe, et non accidere, prout vehementia febris et actio bilis major aut minor eſt. Idque experientiae reſpondet, quae docuit, aliquando ridere cum inſania tales aegros, aliquando non ridere. Nam et complures ex allegatis auctores, inque his ipſe HIPPOCRATES SALIVSQVE DIVERSVS, dum ſymptomata morbi recenſent, plerumque neutiquam vllum in eo riſum commemorant, quod tamen, quum aliquando fecerint, ſine dubio ſemper vel in vniuerſum feciſſent, ſi obſeruaſſent; et nonnunquam ejus accidentis mentionem

b) Hic enim riſum ſimpliciter ad ea refert, quae proprie cum morbo conjuncta ſunt, lib. cit. p. 496.

nem injiciunt, vt idem HIPPOCRATES *i*) et PLINIVS MAJOR *k*); et quidam diſerte ponunt, delirium conſequi ſaltem *interdum cum riſu*, interdum cum truculentia *l*), non ergo ſemper. Tantoque minus ſemper euenire riſum iſtum credibile eſt, quod nec ſemper deliria contingunt, hic autem riſus ſolum aliqua deſipientiae ſpecies eſt, adeoque non tam frequenter exiſtere poteſt, quam generatim delirium quodlibet, ſiue vniuerſum deliriorum genus conjuncte computatum. Caeterum, riſum hunc ex eo fieri nonnulli putant, quod transuerſum ſeptum, ipſorum opinione, ſedes hilaritatis organumque riſus ſit *m*), vnde, ſi inſtrumentum illud grauius percellitur, vt in inflammatione, vulnere, caet. riſum

i) *Epidem.* Lib. V. Cap. 34. num. 2. edit. Lindenianae, et Lib. VII. Cap. 58. num. 2. *riſum* accidiſſe *tumultuoſum* ait; non ergo, puto, Sardonium, vt quidam interpretantur: hic enim eſt ſpaſmus oris, non verus riſus.

k) *Hiſtoriar. Naturae* Lib. XI. Cap. 37. milites in praeliis et gladiatores in arena, vulnerato ſepto transuerſo, mori cum riſu, narrat obſeruatum: quod quum Hippocratis obſeruationi congruat, ſimiliter nolim de Sardonio intelligere; quanquam THOMAS BARTHOLINVS, qui alia quoque exempla ex ARISTOTELE, SAXONEQVE GRAMMATICO profert, Sardonium fuiſſe velit, *Anatome Renouata* lib. 2. cap. 3. p. m. 346.

l) Vid. JOH. ARNOLDVS FRIDERICI in diſp. quae inſcribitur: *Diaphragma ex vulnere laeſum*, Cap. V. prope finem.

m) PLINIVS dicto loco: JOH. MAGIRVS *Phyſiologiae Peripateticae, cum Commentar.* Lib. V. Cap. 12. de partib. Medii Ventris, num. 5. pag. 409. Nam et mentis conſors antiqui ſeptum credebant, vt ſupra not. 5. ſignificatum eſt; vnde facile colligi potuit, riſum ibidem ſuam capere originem.

moueri: Alii rem per titillationem explicant, quam calor inflammationis concitet *n*); et qui sunt reliqui declarationis modi. Verum, illa de diaphragmate hilaritatis sede sententia inter veterum placita perperam assumta referenda est, eodem jure quo altera de splene risum efficiente; neque alia ratione pars haec instrumentum risus dici poterit, quam quatenus ad risum sonorum suis succussibus repetitis maxime confert. Neque titillatum ab inflammatione exerceri credam, qui in risum erumpat, siquidem in superficie partium solum ad extrema neruorum fit ille titillatus, non intra sanguinis meatus, quibus inflammatio continetur. Potius ergo statuendum, risum hunc ex erroribus idearum mentis nasci, perinde ac delirium ipsum, tum a confusa cerebri actione septum transuersum in motus istis ridentibus ideis congruos suscitari.

§. XVII.

Ab hoc proprie dicto risu plane diuersus est ille, qui *Sardonius* appellari consueuit. Quod nomen a Sardis, celebris insulae siue populo siue herba, in medicinam migrasse, satis constat. Quum enim veteribus Sardis in more positum fuerit, vt inutiles senes sui, ipsique grandaeui parentes, vitae pertaesi, Saturno sese mactandos, vel caesi fusti-

n) Vid. FRANC. VALLESIVS *Commentar. in* locum *Hippocratis* ex *Epidemicorum Libro V.* modo excitatum; vbi simul alias explicandi rationes in medium profert. Conf. THOM. BARTHOLINVS allegato oco.

fuſtibus in foſſam praecipitandos, inter laetitiam et riſum darent; hunc riſum mortis prodromum, nonnulli putant, ad illum phreniticorum, ſimiliter funeris praenuncium, eſſe translatum, Sardoniumque vel Sardium, Sardanium, aut Sardianum propterea dictum. Plures tamen tradunt fidemque faciunt, herbae cujusdam vim, qua comeſa rictum oris in morem ſpeciemque ridentis contrahit, et tali ſub ſpasmo mortem infert, in Sardinia primum cognitam, ideoque herbam ipſam Sardoam aut Sardoniam vocatam, item oris illum habitum, ab eadem inductum, Sardonium riſum: herbam vero iſtam, quam qui guſtauerint, ridendo exanimantur, Apiaſtro ſimilem eſſe ſcribunt, alioque nomine Sceleratam appellarunt, nec non Apiaſtellum, et Apium Riſus, etc. recentiores denique botanici Ranunculum paluſtrem apii folio laeuem *o*), Linnaei ſceleratum Ranunculum. Caeterum ſcire conuenit, etiam ab aliis herbis ingeſtis ſimilem aliquando commoueri riſum, nominatim ab aconito ſiue napello, datura ſiue ſtramonio, cicuta, vene-

o) Vid. SALLVSTIVS apud SERVIVM *in Virgilii Eclogam* 7. verſ. 41. APVLEJVS *de Herbis*, Cap. 8. PEDACIVS DIOSCORIDES *de Materia Medica* Lib. 2. Cap. 206. et Lib. 6. ſiue *de Alexipharmacis* Cap. 14. cum *Commentario* PET. ANDR. MATTHIOLI: ERASMVS ROTERODAMVS in *Adagiorum* Chiliade 3. Centur. 5. Adag. I. JOH. BOECLER. in *Continuatione Cynoſurae Materiae Med. Pauli Hermanni*, Parte I. Cap. 6. p. 287. BENJAM. SCHARF in *Miſcellaneis Academiae Naturae Curioſor.* Decuria 3. Anno 2. p. 106. GEORG. FRANCVS in diſſ. *de Riſu Sardonio*, §. 8. ſeqq.

nis aliis causticis, adeoque croco *p*). Est autem Sardonius risus, SAVVAGESIO *q*) Trismus Sardonicus dictus, spasmus siue conuulsio musculorum oris abductorum, siue angulos versus aures trahentium, inprimis zygomaticorum: et conuulsiones majores praecedere solet. Eadem risus species accidere obseruatur in moribundis, in infantibus lentam mortem oppetentibus, in pueris dentientibus per somnum, et in castratione, similiterque conuulsiones grauiores, adeoque mortiferas praedicere *r*). Eodem modo musculi labrorum et faciei trahuntur in Cynico spasmo, risu Canino, Diastrophe, Tortura oris, vel quibuscunque nominibus aliis idem affectus donetur; et similibus malis *s*). Quae quan-

quam,

p) GE. FRANCVS dicta diss. §. 17. 20. 21. DAN. PARTHEY in *Append. Itiner. Indiae Oriental.* p. 136. ap. GEORG. WOLFG. WEDEL. in disp. *de Spasmo Cynico* p. 22. de fructu Chini insulae Bandae: LAVR. HEISTER. *Compend. Medicinae Pract.* Cap. 15. §. XI. GER. VAN SWIETEN *Commentar. in Herm. Boerhaaue Aphorismos de Cognosc. et Curand. Morbis*, Tomo 3. ad §. 909. versus fin. Differre tamen Sardonium risum ab illo, qui ex aliis causis oritur, FRANCVS autumat §. 22.]

q) *Nosolog. Methodica* Tomo 2. Part. 2. p. 21.

r) THOM. BARTHOLIN. *Anatom. Renouata*, l. c. ex RIOLANO: G. FRANCVS alleg. diss. §. 17. GER. v. SWIETEN d. l.

s) CORN. CELSVS *de Medic.* Lib. 4. Cap. 2. num. 2 et alii plurimi recensiti a MATTHIA MORONO in *Directorio Medico-Practico*, tit. Oris affectus, et Spasmus: item a JOH. GEORG WALTHERO in *Sylua Medica*, tit. Oris tortura: quibus add. JOH. RIOLANVS in *Enchirid. Anat. et Patholog.* Lib. 4. Cap. 5. p. m. 301. FR. BOISSIER DE SAVVAGES. l. c. p. 20. seq. etc.

quam, ex mente ſcriptorum, nonnullis forſitan rebus circumſtantibus vel inter ſe, vel a Sardonio nuncupato riſu differant, vt quod paucioribus aut pluribus muſculis oris ac faciei, vel etiam finitimarum partium, exerceantur, quod fortius aut remiſſius conuellantur muſculi, quod in vtroque aut in alterutro tantum latere fiat diſtorſio, quod in vel ex aliis aliisue morbis vel cauſis eueniat, etc. tamen omnium eadem eſt natura, quae verſatur in inuita ſiue coacta muſculorum oris ac faciei conuulſione. Quapropter minus recte quidam *Sardonium riſum a Spasmo cynico* eo diſtinguunt, *quod in hoc vnius tantum, in illo vero vtriusque lateris faciei muſculi ſpaſmodice contrahantur t*). Nam nec hoc mori ringentium canum, quos ſcilicet os ab vtroque latere retrahere videmus, ſatis conuenit, a qua tamen ſimilitudine nomen illud ductum eſt: et auctores ipſum Cynicum ſpaſmum tam ab vtraque parte, quam ab vna, fieri docent *u*): denique Sardonium riſum ſpaſmumque Cynicum, vnum eundemque affectum eſſe tradunt *v*). Quandoquidem igitur

t) vt pronunciat JOSEPH. ANTONIVS LINPRVNER in diſſ. inaug. praeſide JOH. ANDR. SEGNERO hab. Gottingae 1747. de *Paraphrenitide*; §. XXVI. p. 34. add. FRANCVS d. c. §. 19. PANCRAT. BRVNO in *Caſtelli Lexico Med. renouato* voc. Caninus, et Conuulſio: RVD. GVIL. KRAVSS diſp. *de Spasmo Cynico*, Cap. 2. p. 5.

u) vt ex gr. RIOLANVS all. l. JAC. BONTIVS *de Medicina Indorum*, Obſeruat. 1.

v) vt GERARD. BLASIVS in *Medicina Vniuerſa*, Lib. 3. Sect. 10. Cap. 9. G. W. WEDEL diſp. cit. Cap. 2. p. 8. HEISTER l. c.

tur ſpasmi vocabulum naturam mali bene deſignat; alterumque cynici ſiue canini, ſedem ac modum ejus in oculos incurrentem; vtrumque melius, quam caetera nomina; hoc Cynici Spaſmi reliquis praetulerim, rejecto praeſertim iſto Sardonii riſus, quod nullo praeter antiquitatem titulo ſe commendat: niſi cui SAVVAGESII trismus magis arrideat. Hunc vero ſpasmum non magis, quam delirium, ſemper in inflammatione diaphragmatis accidere, tum ex optimorum auctorum frequente ſilentio diſci poteſt, tum ex obſeruatione ANTONII DE HAEN, nota 32. prolata. At ſi inciderit, mortem prae foribus eſſe, quum obſeruationum exemplis conſtitit, tum communis inflammationum et febrium ratio, hujusque ipſius ſpasmi procreandi modus confirmant.

§. XVIII.

Etenim ſpaſmi ſeu conuulſiones in inflammationibus conjunctisque febribus, ſicut in aliis morbis, eueniunt, dum per ſummam difficultatem ſuperandi mali, nerui muſculique irritantur, vt locis illis, quorſum fibrarum vaſorumue nexus et humorum impulſus ducunt, vehementius agant. Jam, quod ad ſeptum transuerſum attinet, notum eſt ejus, inprimis per neruos membranasque, commercium cum muſculis ſpasmum cynicum exercentibus, id quod complures, qui de diaphragmatis inflammatione vel paraphrenitide, deque riſu in ea con-

contingente, vel alias ab hac parte nato, ſcripſere, diſtinctius et particulatim expoſuerunt *vv*). Ergo, ſi, ſanguinis per diaphragma motu propter morbi magnitudinem interrupto, reditu autem a ſuperioribus locis propter difficilem reſpirationem impedito, tum neruis ſepti grauiter affectis, ſenſus inde motusque propagantur ad neruos ac muſculos oris, ſpasmus orietur cynicus: Si vero ad alia loca diuertitur motus, vel minor mali gradus eſt, non orietur. Simili ratione poſt cynicum ſpasmum etiam grauiores aliarum partium conuulſiones ſequi poſſe, vel has per ſe ſine iſto naſci, facile ad intelligendum eſt. Nec minus patet, ab aliis pariter neruorum et motuum irritamentis, vt a venenis in ventriculum delatis, a caſtratione, dentitione, caet. eundem ſpasmum ob easdem rationes concitari poſſe, et aliquando reapſe concitari. Denique ſub adeo turbatis neruorum et muſculorum miniſteriis, ſanguinisque et ſpirituum motibus, vitam ipſam in extremo verſari diſcrimine, quis ambiget, qui motibus ordinatis vitam contineri conſiderauerit?

vv) vt JOH. RIOLANVS *Enchirid. Anat. et Patholog.* Lib. 4. Cap. 5. p. m. 301. *Thom. Bartholin.* all. l. HVGO VAN DER HEIM diſſ. inaug. *de Paraphrenitide*, Leidae 1741. §. XX. SCHVLZ. et BEZEL diſſ. nota *dd.* dictae §. XXXIII. LINPRVNER diſſ. nota *tt.* citatae §. V. caet.

§. XIX.

Hanc explicationem nobis ad rationalem artem demonſtrandam ſufficere credo, neque facile vlteriorem in cauſis indagandis dari progreſſum. SAVVAGESIVS quidem exiſtimat *x*), cynicum ſpaſmum *eſſe conatum naturae ad deprimendum diaphragma et anhelitum cohibendum, vt in conatu ad egerendum, parturiendum, mingendum, quum maxima ad obices ſuperandos requiritur virium intenſitas; nec poſſe diaphragma vehementer depreſſum retineri, niſi, ſi contractis faciei muſculis, chordae vocales, per muſculos laryngis commodius contractos, glottidis rimam claudant, et ſic aeris inſpirati exitum praepediant.* Verum ille *vultus veluti nitentis*, qualem in Flauio Veſpaſiano Imperatore conſpectum fuiſſe SVETONIVS TRANQVILLVS annotat *y*), vel, vt VALERIVS MARTIALIS appellat *z*), *facies durum cacantis*, an ſpasmo cynico deſignando conueniat, jure dubitandum videtur. Namque vultus ille ſpiritum continentium, quo ſeptum transuerſum deprimatur, parum ſimilitudinis habet cum habitu oris in ſpasmo cynico. Deinde iſte niſus ad ventrem dejiciendum et ſimiles actiones naturales breuis eſt temporis et interuallis diſtinctus, at cynicus ſpasmus per totum, quo hic morbi ſtatus eſt, ſpatium continenter durat: vt taceam, niſum iſtum eſſe voluntatis actionem,

quam

x) *Noſolog. Method.* T. 2. P. 2. p. 20. ſeq.

y) *de Caeſaribus*, Lib. 8. in T. Flauio Veſpaſiano, Cap. 20.

z) *Epigrammatum* Lib. 3. epigramm. 87.

quam in ſpasmo non ſentit aeger; poſſet enim ab iis, qui quaslibet corporis actiones ad animam referunt, etiam hic occultum mentis conſilium praetendi, quam vero controuerſiam nunc diſcutere non attinet. Faciei ſeu potius oris muſculis opus eſſe ad diaphragma depreſſum tenendum, eo refellitur, quod hoc non experimur, dum tentamus: neque, dum thorax in ſpirandi difficultatibus, dyspnoea, orthopnoea, aſthmate, caet. laborat, videmus. Denique tantum abeſt, vt transuerſum ſeptum in inflammatione ſui cynicoque, qui tum accidit ſpasmo deprimatur, vt aegri potius, quemadmodum in pleuritide, cum qua multa habet communia, propter dolorem in adducendo ſpiritu, pectoris dilatationem ac ſepti deſcenſum omni modo prohibere nitantur, vnde diaphragmate ſurſum ſublato, hypochondriorum quoque viſcera eodem concedunt ſeu reuelluntur, vt in expoſitione ſymptomatum hujus morbi dictum eſt; quo minus ergo Savvagesii de depreſſione diaphragmatis opinio locum habet. Satis autem expedita ſic videtur ratio, cur in hoc malo hypochondria ſurſum introrſumque retrahantur, ſiquidem ea cum diaphragmate connexa ſunt, hujus motum ſequuntur, et hoc leuato a ventris muſculis verſus pectus compelluntur; vt non opus ſit eam retractionem a ſingulari muſculorum abdominis et diaphragmatis cohaeſione cum Schvlzio *) repetere.

§. XX.

*) Diſſ. modo dicta, §. XXXV.

§. XX.

Vt autem hic Sardonius riſus, ſeu ſpaſmus, neruorum propaginibus et communicationibus primam debet originem, id eſt, per ſic dictum conſenſum neruorum primo cietur, ita tum deinde muſculos ipſum ſpaſmum perficere, putandum eſt, ſiquidem muſculis vel ejus generis fibris propriam eſſe contractionis facultatem, neruis autem illam ſenſus, ſatis conſtare videtur. Qui enim contractionem exercere per ſe poſſent nerui, qui tam molles in ſuis principiis et extremis ſunt, tam laxe per corpus pendent? Error itaque foret, neruis proprie dictis eorumue fibris aliquam ad ſpaſmos efficiendos adſcribere contractionem, vel ad tonum, qui vocatur, cohaerentium praeſtandum aliquam tenſionem, ad atoniam laxitatem aliquam, ad motus quoscunque conſtringentes aut remittentes aliquam intentionem aut reſolutionem, ſpeciatim in praeſente ſpaſmi Sardonii caſu, vt multi faciunt *a*); ſed haec omnia conuenit tribuere ſingulari generi fibrarum, quales ſi majore mole contextae ſunt, muſculi nominantur. Quodſi nerui tenduntur, laxantur, trahun-

a) ex gr. LAZAR. RIVERIVS *Praxeos* Lib. I. Cap. 6. p. m. 21[illegible] THOM. WILLIS in *Cerebri Anatome*, et in *Pathologia cerebri*, paſſim: CASP. SIBELIVS A GOOR in Diſp. inaug. *de Motibus Conuulſiuis*, Lugd. Bat. 1678. p. 7. FRID. HOFFMANN in *Medicina ſyſtematica*, Tomo III. Sect. I. Cap. IV. §. IX. ſeqq. Tomo IV. Sect. I. *Prolegom* §. IV. ſeqq. et paſſim tum eo in opere, tum in *Diſſertatt.* HVGO VAN DER HEIM in Diſſ. dicta §. XXVI. Cl. LINPRVNER excit. Diſſ. §. XIII.

huntur, velluntur, aut ſimili modo quocunque mouentur, vt ſane ſaepe per actionem partium, quibus intexti ſunt, fieri neceſſe eſt; non tamen ipſi ſeſe tendunt aut remittunt, ſed connexis fibris muſculoſi generis trahentibus obſequuntur.

§. XXI.

Delirium quoque, diaphragmatis inflammationem concomitans, per ſolum neruorum conſenſum contingere quidam exiſtimant b), ſenſu ſcilicet motuque peruerſo a diaphragmate ad cerebrum propagato. Et inordinatum quidem in phrenicis neruis affectis fieri motum, dum ſepti partes per inflammationem multiplici ratione laceſſuntur, premuntur, et distrahuntur, facile concipitur: hinc autem ad cerebrum eundem motum per ipſos neruos continuari, ibique ſimiles turbulentas actiones concitare, quae delirium conſtituant, difficilius ad comprehendendum eſt, ſiquidem nec per tenſas fibras eam rem explicare licet, quum in principiis finibusque molles ſint nerui, nec per fluidarum ſuarum particularum ſeu ſpirituum qui vocantur animalium contactum productum, quum hic in fluidis eodem tenore ſeruari non poſſit, et ambientibus circumſtantibusque neruorum ſubinde interrumpatur. Itaque potior multo videtur ea modi, quo delirium in hoc morbo

b) FRIDERICI Diſſ. d. Cap. 2. B. 2. M. VAN DE WERKE d. l. §. XVII. H. V. D. HEIM l. c. SCHVLZE et BEZEL all. Diſſ. §. XXXII. et alii.

morbo conflatur, expoſitio, quam § XV. dedi, nimirum procreari ab acri vehementerque moto ſanguine et bile ad cerebrum propulſis, ibique neruorum actionem perturbantibus, ſiue, vt SCHENKIVS STRVVIVSQVE loquuntur c) *παραφρoσύνην induci propter vtrumque, et neruos et vaſa, ſi inflammatum fuerit* tranſuerſum ſeptum.

§. XXII.

Quod attinet ad *Singultum*, quem etiam in inflammatione diaphragmatis incidere diximus, eſt is vehemens et breuis intra pectus concuſſio aeris, quae ſonum edat, et quam ſpaſticus ſepti transuerſi motus, quo hoc ſubito deorſum verſus trahitur, plerumque a ſimili ſuperioris oris ventriculi infimique oeſophagi motu concitatus, et cum hoc conjunctus, efficiat. Sonus enim in ſingultu manifeſte percipitur, qui diuerſus a ructu ventriculi ſit, et alio loco, nimirum in pectore, contingat: neque tamen ventriculi pars ſuperior et oeſophagi inferior in motu ſingultus immunis eſt, ſed hunc ipſum quoque, ructus aemulum, ſentimus; et, dum videmus a deglutitis feſtinantius oſſis majoribus extemplo naſci ſingultum, ſimiliter ab ingeſtis venenis aliisue acribus, eundemque ventriculo curato ſtatim compeſci, quid

c) cit. Diſp. *de Diaphragmatis natura et morbis* §. 13. p. 21. Similiter, *ob conſenſum* quidem *neruorum* delirare paraphreniticos, exiſtimat LINPRVNER c. Diſſ. §. XXIV. p. 29. ſeqq. ſimul tamen ob *auctum inordinatumque ſanguinis per cerebrum motum.*

quid aliud inde concludere licet, nisi ventriculum irritatum commoueri? Igitur neque vsque quaque verum est, quod multi statuunt *d*), solius tantummodo ventriculi conuulsionem esse singultum: neque alterum, eorum scilicet sententiam, qui idem soli tribuunt diaphragmati, et in hoc tantum formalem singultus rationem ponunt *e*): nec denique eorum opinionem, qui inspirando fieri singultum contendunt *f*). Quanquam enim in singultu leuari subito costas apparet, eoque sonum istum oriri, dum deorsum conuulso diaphragmate thorax repente quadantenus dilatatur; tamen abdomen neutiquam simul expandi cognoscimus, vt illi volunt, et ad inspirationem necesse foret, sed contra potius sursum trahi ventris musculos et abdomen intro rapi; vnde per singultum non nouus adducitur spiritus, ideoque nec inspiratio proprie fit, sed ille, qui pectore jam receptus est aër, subito concussus, hoc motu sonum reddit; quem quidem cuilibet imitari simili motu, quandocunque placet, licet. Sic simul et septum transuersum et ventriculus oesophagusque conuel-

d) GALENVS, AETIVS, AVICENNA, locis facile reperiundis; tum communiter hos secuti: ipse etiam RIOLANVS *Enchirid. Anatomico-Patholog.* Lib. 2. Cap. 23. p. m. 126. HIPPOCRATI quoque haec sententia tribuitur, verum nullo certo indicio.

e) vt FRANC. DE LE BOE SYLVIVS in *Praxi Med.* Lib. 1. Cap. 22. §. 23. et Cap. 23. §. 7. seqq. p. 305. et 319. seq. edit. Lugd. Bat. 1671. 12. hinc alii plurimi.

f) Cl. LINPRVNER l. c. §. XXV. p. 31. seq.

conuelluntur in singultu g): quam ad rem vtraque tanto magis conspirare consentaneum est, quanto magis inter sese, eo quod oesophagus per diaphragma transmittitur, connexa sunt, ita vt vna pars conuulsa alteram quoque necessario trahat. Quodsi singultus ex ipso septo nascitur, est idiopathicus; si aliunde, sympathicus seu per consensum: quatenus autem alteri morbo accedit, symptomaticus, qualem quidem, nihil vetat, simul aut sympathicum esse, aut idiopathicum; sicut in hoc ipso inflammati septi casu qui suboritur singultus, est idiopathicus, vnaque symptomaticus. Hunc vero singultum, inflammationi diaphragmatis superuenientem, mortem fere certam, eandemque propinquam indicare, quum ex praesagiis spasmi, cujus species est singultus, §. XVII et XVIII. propositis intelligitur, tum testimoniis obseruationum omnium satis superque confirmatum est, praesertim si septum transuersum per se laborat, et delirium conjunctum est, vt hic supponimus h).


§. XXIII.

g) Mecum faciunt H. BOERHAAVIVS in *Praelect. in Institutiones Med.* ad §. 808. LAVRENT. HEISTER in *Compendio Institut. Med.* edit. alter. in Definitionib. Morbor. et in *Compend. Medicinae Pract.* Cap. XV. §. XVII.

h) Vid. LOMM. *Obss. Medicinal.* Lib. 2. de Singultu, p. m. 136. THOM. FIENI *Semiotice*, Parte Altera, Cap. IX. §. 2. p. 255. seqq.

§. XXIII.

Tanti mali, quale diaphragmatis inflammatio eſt, curationem ancipitem quam maxime fore, per ſe patet, eoque magis dubiam, quo grauius ipſum vrget, pejoresue notas, in ſuperioribus commemoratas, oſtendit; quum inprimis difficilem reddat curationem, quod ſeptum ſemper irrequieto reſpirationis agitatur motu, ſanguinisque fontibus adeo propinquum eſt, adhaec propter loci receſſum remediorum effectum e longinquo demum accipit. Optimum factu tamen erit, quantocius ſanguinis miſſionibus morbo materiem detrahere: tum alui ductione ſubinde ventri viſceribusque liberiores laxioresque reddere vias ac motus: ſimul ſoluentibus, diluentibus, temperantibus ſanguinem ad aequabilem per vniuerſum corpus curſum reducere, perſpirationem et caeteras excretiones expedire: denique ſymptomata conſequentiaque ſuis propriis curare remediis. Quae omnia et ſingula nunc latius exponere, fere ſuperfluum videtur, quandoquidem a curatione pleuritidis et peripneumoniae parum aut nihil diuerſa ſunt.



VII.

Diſſertatio de haemoptyſi in genere, et ſpeciatim ejus nexu cum varia aduerſa ex hypochondriis valetudine. Gott. 1766. Reſp. GERH. ANT. GRAMBERG, *Jeuerenſi.*

PROOEMIVM.

Haeſi forſan diutius, quam par erat, in ſectione priore de haemoptyſi in genere, ita etiam, vt trita jam et recocta modo haecce noſtra lecturis videri poſſint, neque ſatis, quod facile perſpicio, momenta ſectionis alterius, quae tamen exactiorem poſtulaſſent attentionem, exhauſi. Sed partim neceſſariam illius ampliorem expoſitionem eſſe ad dilucidationem poſterioris capitis vberiorem, partim quaedam non indigna fore vlteriori diſquiſitione cenſueram. Quaedam etiam ſecundum naturam deſcripſiſſe mihi contigit, quum et ipſe leuiori quidem ſed pertinaciori quondam pneumonico ſanguinis ſputo laborauerim, cujus nec futuri metus plane deerat ob corporis mei altera in ſectione declaratam diſpoſitionem. Et hujus dictae aduerſae ex hypochondriis valetudinis cauſa ignoſcat B. L. minus accuratam minusque ſtudioſam, quam ipſemet optarem, materiae praeſertim ſectionis ſecundae, elaborationem. Ill. Praeſidi, aliis nunc maxime diſtento negotiis, nitidiorem

diorem huic ſcripto perfectioremque conditionem impertiri integrum non fuiſſe, maxime doleo.

SECTIO I.

HAEMOPTYSIS IN GENERE.

§. I.

Haemoptyſis ab αἷμα et πτύειν, ſanguinem ſpuere, nomen ſuum habet; eſtque excretio ſanguinis per aſperam arteriam; ſaepiſſime absque dolore, cum ſenſu tamen grauatiuo et titillatorio in pectore et faucibus percipiendo, ſubinde quoque praecedente anxietate, cum tuſſi vel ſaltim ſcreatu peracta. Plurimi haemoptoici fluidum et ſpuma commixtum ſanguinem coccinei coloris rejiciunt. Nequaquam tamen hujus color purpureus originem ejus ex arteria, aut nigricans ex vena ſatis hic probare videtur; etſi quidem fuerint, qui hoc ipſum ſtatuerunt; *a*) interdum quippe contingit, vt non modo nigricantior ſed vel coagulatus cum tuſſi vel ſcreatu expellatur ſanguis; interim haemoptyſis dici poterit, modo ex cauſis praecedentibus et conjunctis, vel ſubſequentibus e ſymptomatibus, de ſputo per aſperam arteriam, et ex pulmonibus facto, conſtiterit. Fallere tamen aliquando medentem poteſt, ratione ipſius loci affecti, ſanguis ex naribus in pulmones delapſus, vti bene praeter alios Lommius *b*) notauit,

V 2

a) BRENDEL *Diſſ. de haemopt.* §. IV.

b) v. *Obſeru. Medicinal.* p. 111. (edit. Fft. 1722. 8.)

uit, qui ibidem coagulatus postea etiam tussi expellitur. Sed praegressa et subsequens narium haemorrhagia, et defectus signorum, haemoptoen ex pulmonibus et bronchiis praecise declarantium, de admissa fallacia optime testantur.

Generatim praeterea notamus, haemoptysin quoque, siue majorem siue minorem, cum spasmo conjunctam esse solere; cujus praesentiam euincunt pulsus, siue paruus ille sit et contractus, siue durus et magnus, aliquando etiam cum cordis palpitatione conjunctus, deinde pallor faciei, extremorum frigus, vagi per artús atque dorsum horrores, tremor aliquis membrorum, pectoris angustia, ejusque talis constrictio, qua costarum eleuatio difficilis fit, motus vndulatorius circa praecordia, spasmi abdominis, tussis et ipsa denique medela, quae saepius veriora antispasmodica, immo et opiata, postulat.

§. II.

Signa haemoptoes ab auctoribus varia proponuntur, sed diuersi pretii: anxietas et oppressio pectoris, difficilis respiratio, spasmi circa septum transuersum, sensus adscendentis calidi cujusdam liquidi ex pulmonibus in tracheam, cum pulsu paruo contracto, dein forti, duro, celeri, titillatio in faucibus, tussis, quacum sanguis educitur coccineus, spumosus, aliquando etiam cum vasculis et membranulis commixtus. En, characteristicas frequentiores haemoptoes notas. At constanter haec ita se non

habent.

habent. Praecipue vero tuſſis fallaciis facillime obnoxia eſt. α) Inuenimus enim nonnumquam tuſſim in ſanguinis iſto ſputo, quod faucibus et laryngi debetur, ob magnam nimirum in his partibus titillationem; immo tuſſis iſta ob alias circumſtantias, e. g. catarrhum ad fauces, validiſſima eſſe poteſt. β) Sanguis ex narium haemorrhagia in pulmones delapſus tuſſim ibidem excitare valet, vt haemoptyſis videri poſſit. Tale apud *perill. van* SWIETEN *c*) legimus exemplum. γ) Accedit quod etiam verae obſeruentur haemoptyſes ſine tuſſi. Talia WEDELIVS *d*) refert, et RHODIVS, *e*) et ipſe ego in me aliisque ſaepius expertus ſum. Tuſſis autem tunc demum cum haemoptyſi conjuncta eſſe videtur: 1) Si ſanguis ex profundioribus pulmonum locis erumpit; 2) ſi largior futura eſt haemorrhagia; 3) ſi ſpaſmi vehementiores illam comitantur. Patet hinc nec illum HIPPOCRATIS *f*) aphoriſmum pro lege generali, ſecundum quam haemoptyſis quaelibet vere dignoſci poſſet, aſſumendum eſſe, quo dicit: *qui ſpumoſum ſanguinem tuſſiendo exſcreant, his ex pulmone fit eductio.* Sic nec LOMMIVS *g*) ſatis accurate diſtinguere ſanguinis ſputa videtur, vbi, *qui ex faucibus*, inquit, *et gurgulione ſanguis fertur, is ſcreatu*

 pelli-

c) v. *Comment. in Boerh. aph. Tom. IV.* p. 3.

d) v. *Act. N. C. Ann.* 1670. *Obſ.* 42. *Ephem.* N. C. *Ann.* 1719. *Cent.* VII. p. 305.

e) *Obſeru.* Centur. VIII. p. XXXIII.

f) *Aphor.* 13. Sect. V.

g) *Obſeru. Medic.* p. m. 108.

pellitur; qui ex ipſo ore, ſimplici ſputatione; qui ex ventriculo, vomitu; qui ex gutture, tuſſicula; qui ex thorace et pulmone, valida tuſſi. Per modo recenſita tamen ſigna, quae diagnoſtica ſunt, haud difficulter haemoptyſis a morbis cognatis diſtingui poterit. Huc referuntur: 1) Sputum cruentum, quod faucibus, palato, vuulae, gingiuis, dentibus, naribus debetur. Hic ſaepe nulla ſymptomata ſpaſtica deprehenduntur, nullus moleſtus in pectore ſenſus, nulla rejecti ſanguinis ſpuma, nulla tuſſis, atque citius hoc deſinere ſputum ſolet. 2) Sputum ſubcruentum pleuriticorum et peripneumonicorum; hoc mucus plerumque eſt ſtriis modo ſanguineis commixtus, et exigua ejus rejecti copia eſſe ſolet. 3) Vomitus cruentus, vbi praecedente nauſea ſanguis plerumque nigricans et coagulatus per vomitum ejicitur.

§. III.

Conſtat ex principiis pathologiae, haemorrhagiam, ſeu ſanguinis profluuium, tribus abſolui modis; 1) *diaereſi*, dum latera vaſorum rumpuntur, et ſanguis plerumque copioſe et cum impetu profilit; ſique hoc ab eroſione humoris acris fiat, vocatur *diabroſis*, 2) *diapedeſi*, qua ſanguis tunicarum poros permeat, non ſecus ac Mercurius corium; 3) *anaſtomoſi*, dum vel ipſa oſtia vaſorum minorum vi liquidi irruentis et diſtendentis adaperiuntur, vt ſanguinem transmittere queant; vel ſanguis in eum gradum attenuatus eſt, vt liberius et ſine diſtenſione

ne

ne vaſculorum iſta permeare et ſic effluere queat. Quibus etiam tribus modis haemoptyſin oriri minime dubitandum. Quod ſi autem priori fiat modo, ſiniſter ſemper magis metuendus erit euentus, ob ancipitem veri vulneris conſolidationem; ſi altero, minus quoad pulmonum laeſionem periclitantur aegri, pariter ac ſi tertio contingat, ex quo minimum quidem diſcrimen inſtare ſolet, quum imminutus ſaltem tonus fibris reſtituendus ſit; etſi etiam, vbi labes in ipſo ſanguine deliteſcit, grauiorque conjunctus eſt morbus, magna ſubinde reperiatur in aegro ſeruando difficultas.

§. IV.

Ex dictis quidem jam patet variam eſſe haemoptoes indolem, varias cauſſas, ideoque diuerſam ejus requiri medelam. Operae autem pretium facere quoque videntur qui et illam vlterius ratione gradus diſtinguunt: in *majorem*, quae vehementior eſt et periculoſior, Germanis *eine Blutſtürzung* dictam, et *minorem*, quam vocant modo *das Blutſpeien.*

I. *Major* illa et copioſa saepius ſupponit rupturam vaſorum ac phthiſin frequentius, vbi reliqua ponantur paria, pediſſequam habet. Solent autem iſtam et praecedere et comitari varia ſymptomata, quae pro ratione cauſſarum diuerſo gradu et numero adeſſe obſeruantur. Sunt vero haec: tuſſis ſicca, laſſitudo, opple-

tio pectoris, anxietas, refpirationis difficultas, procliuitas in iracundiam, fapor oris nunc falfus, nunc dulcis, nunc amarus, pulfus celerior duriorque, varia plethorae incommoda, praefertim ex ceffantibus quamcunque ob cauffam folitis periodicis fanguinis fluxionibus, alui obftructio. Haec omnia corporis ad haemoptyfin grauiorem difpofiti figna funt, quae monent, praecauere infultum atrocis ac funefti tandem mali. Inftantem praeterea haemoptyfin fortiorem etiam propius praecedere eandemque dein comitari folent: fpasmi in abdomine, praefertim verfus praecordia, refpiratio anxia et anhelofa; conftrictio pectoris fpafmodica, artuum grauitas, pulfus nunc paruus fpafmodicus, nunc major duriorque, palpitationes cordis, fenfus compreffionis fpafmorumque vagorum et caloris in pectore, interdum ardens aut pungens dolor, genarum rubor, motus vndofus in hypochondriis verfus feptum transuerfum *b*), manifeftior et grauior fapor oris falfus, vel dulcis, vel amarus, vel alius nonnunquam alienus, non facile femper verbis exprimendus. Fit tandem valida cum tuffi, quae conuulfiuae in quibusdam fpeciem prae fe fert, fputatio copiofa crebra, fanguinis finceri coccinei, fpumantis, aliquando cum

b) Vid. HOFFMANNI *Med. rat. fyftem. Tom.* IV. *Part.* II. *Sect.* I. *Cap.* II. §. 6. p 203. (edit. Geneu. fol.)

cum vaſculis *i*), fibris, membranulis, commixti; ac ſaepe tanta excreti ſanguinis copia obſeruata eſt vt libras excederet. Vbi vero ſanguinis haec ſputatio peracta eſt, ſtatim ſaepe melius aeger ſe habet, reſpiratio fit liberior ac plurima ſymptomata ceſſant. Sequitur plerumque, et plures per dies continuat, ſputum muci cum ſanguine commixti, quo reſiduum intra pulmones cruoris effuſi exſcreatur.

II. *Minor* gradus eſt haemoptyſeos, quae per transſudationem aut modo per anaſtomoſin peragitur. Fit autem is, dum praegreſſa anxietate, rubore genarum, frigore extremorum, ſpaſmis, horrore, cordis palpitatione vel pulſu etiam paruo ſenſus in pulmone et faucibus titillatorius oritur, leuisque ſtertor, quo ſanguis, in ſummo ad vncias paucas, purus fluidusque ſine vehementia vel placida cum tuſſi ſimiliue cum ſcreatu ejicitur. Immo ex his dictis ſymptomatibus plura ſaepe deſunt, ita vt ſolummodo praegreſſa pectoris anguſtia ſub leui intra pulmones et fauces titillatione ſenſim in linguam adſcendat ſanguis; ad quae ſigna niſi caute attendamus, difficile interdum vera haemoptyſis ab aliis ſputis ſanguineis erit diſcernenda. Immo fieri quoque poteſt, vt

i) Vid. GALENVS *de locis affect. Lib.* IV. *Cap.* VIII. (*Charter. Tom.* VII. *pag.* 467.) TVLPII *Obſeruationes Lib.* II. *Cap.* XII. XIII. XIV. *Acta N. C. Ann.* 1683. p. 218.

haemoptoicus quidam sit, sine sanguinis ex pectore adscendentis sensu.

Diuidere porro haemoptysin commode possumus in *primariam*, quae morbum sistit alio non excitatum, et *secundariam* vel *symptomaticam*, quae symptomatis instar aliis se adsociat morbis, eosdemque sequitur. Velut symptoma quidem certius se exhibet haemoptoe in phthisi, scorbuto, variolis, morbillis, aliisque febribus cum tussi validiori coniunctis, vel etiam putridis, neque minus etiam in ictero chronico, hydrope, rachitide, aliisque morbis ex obstructione hepatis, lienisue, oriundis, aut quum et aliunde, ex morbo quodam, respiratio difficilis, et sanguinis motus per vasa pulmonum impeditior fiat, vt asthmate, apoplexia. Velut epigenomenon autem in quemcumque alium morbum incidere haemoptysis potest, vt, si quis laborat febre acuta, ictum percipit ab alio in pectore, indeque sanguinem spuit; nam haemoptysis tunc non est effectus morbi, sed aliquod nouum superueniens, quod et in statu sanissimo ab eadem causa oriri potuisset. Alia haemoptoes diuisio est in *idiopathicam* et *sympathicam*, siue *consensualem*. In *illa* morbi causa haeret in parte affecta, scilicet pulmonum labe, a tuberculis crudis, concretionibus polyposis, exulceratione etc. In *hac* remotiores a thorace corporis partes caussam mali proximam continent, siquidem obstructio hepatis, lienis, mensium et haemorrhoidum suppressio etc., quibus sanguis,

guis, ob denegatum per viſcera inferiora iter, magis ad ſuperiora determinatur, per conſenſum haemoptyſi anſam praebere valent.

§. V.

Dantur corpora, quae ad haemoptyſin, prae ceteris morbis, pariter ac ad hujus quoque pediſſequam phthiſin pulmonalem, peculiari ratione inclinant. Duplex autem facies eſt illius diſpoſitionis, *hereditaria* ſcilicet et *adquiſita*. Generatim vero notamus juuenilem illi aetatem maxime fauere, quam Lommivs *k*) cum Hippocrate *l*) ab anno aetatis XVIII. ad XXXV. poſuit; Boerhaavivs *m*) ab anno XVI. ad XXXVI. Attamen in diſpoſitis quoque ante priorem iſtum aetatis annum hic morbus incipere et cum diſcrimine vitae aliquamdiu continuare, aut etiam per periodos redire poteſt. Hereditaria autem illa diſpoſitio parentes ſupponit eodem morbo affectos, ita quidem vt profundiores in illis radices jam egerit, aut ſaltem qui ad eundem valde procliues fuerint, quum prolem generauerunt. Eadem ſimilitudo, quae quoad faciem, ſtaturam, animi dotes et propenſiones, parentes inter et liberos intercedit, ad ipſam quoque partium corporis occultiorem fabricam humorumque miſcelam aliquando extendi poſſe, multis conſtat morborum here-

k) Vid. *Obſ. Med.* p. 118. cf. p. 225.

l) *Sect.* V. *aph.* IX. *Sect.* III. *aph.* XXIX.

m) *Aph.* 1198. γ.

hereditariorum obseruationibus. Integrae saepius familiae fomitem hujus periculosissimi alunt morbi, ita vt fere certo quodam aetatis tempore, insigni licet adhibita cautione, illo implicentur *n*). Saepe autem naturalis illa et hereditaria corporum ad haemoptysin procliuitas se quoque manifestat, peculiari illo corporis habitu phthisicis frequente, pectore nempe angusto et plano, collo longiore, scapulis prominentibus, cute corporis flaccidiore tenuiorique, pinguedinis defectu, carne spongiosa, vasis majoribus ac tenuioribus, systemate neruoso irritabiliori, vt affectibus animi facilius commoueantur, mutationes temporum ac tempestatum aegrius ferant, anxii reddantur a potu Coffeae, vini, et ab ingestis aromatibus, aliisque calefacientibus et efficacius nutrientibus; catarrhis quoque obnoxii sint, et iis quidem praesertim ad pulmones. Color illis faciei frequentius albicans est cum viuido nimis genarum rubore, vt amoene roseus et venustus appareat; aliquando tamen idem quoque in flauum quibusdam vergit. Facile iis etiam humorum ad superiora congestio contingit, ad pulmones nimirum et caput. Difficulter spirant et anxietatis nonnihil persentiscunt in scalarum aut montium adscensu. Pulsus fit celerior, imo palpitationibus cordis adficiuntur ac fatigantur a leuiori corporis exercitio. Hypochondriacae subinde compressiones

n) Vid. LOMMII *Obs.* p. 119. cf. v. SWIETEN *Commentar.* Tom. IV. p. 80. 81.

nes circa pectus, crebra ſuſpiria, fauciumque ſpaſmi quaſi hyſterici, phlegmatis exſcreatio ſalſi, dulcis, amari, et ſapor oris eodem modo varius nonnullis accedunt. Haec, vbi in corpore juuenili deprehenduntur, hereditariam adeſſe aut naturalem ad haemoptyſin diſpoſitionem merito exiſtimabimus. Confirmantur iſta indicia peculiari animorum conditione in multis obſeruabili; quippe ingenio ſubtiliori et acriori, ſenſationibus acutioribus, imaginatione viuidiori, ad hilaritatem, atque ad mitius de ſui morbi diſcrimine judicium ferendum propenſione. Propoſita vero ſigna, quae procliuitatem connatam et ipſa inde cum generatione in prolem a parentibus deriuatam, ad ſanguinem e pulmonibus aliquando rejiciendum declarant, rarius quidem omnia vno in homine deprehendi ſolent; neque omnium conjunctorum praeſentia, ob inſignem corporum humanorum diſcrepantiam facile locum habere poterit, verum ſufficiet ad diagnoſin, vbi illorum modo adſint praecipua.

Adquiſitam ad haemoptyſin diſpoſitionem iſtam voco, cujus fomes in ipſa parentum eodem morbo implicatorum labe quaerendus non eſt, ſed qui aliis qualibuscunque ante vel poſt natiuitatem admiſſis vitiis originem debet. Refero huc 1) omne illud, quod jam in vtero vel dein prima ab infantia corpus debile reddit, vt imbecillis varia parentum valetudo, praua nati nutritio, corporis animique exercitatio, nimiae et frequentiores vigiliae, ani-

mique

mique affectus, aer humidus et calidus diu sic persistens, balneorum et pediluuiorum tepidorum crebriorumque purgantium abusus, medicamenta relaxantia sine justa ratione frequentius adhibita, venus immatura, nimiaque etc. 2) Omne illud quod conformationem pectoris laedit ejusque functionem difficiliorem reddit, vt vestes angustae, thoraces mulierum arctiores et rigidiores; 3) quodcunque humoribus acrimoniam rodentem conciliat et destillationes ad pectus crebras efficit, vt sunt potus spirituosi, victus aromaticus et quisquis nimis calefaciens, salsus; mutationes tempestatum ratione caloris et humiditatis repentinae; vapores varii putridi, sulphurei, arsenicales, mercuriales, sicci pulueres a caesis lapidibus per aerem dispersi; 4) quaecunque labem in visceribus hypochondriacis chronicam efficiunt, videlicet obstructionibus vasorum, neruorum irritamentis, impuritati primarum viarum ansam praebent.

§. VI.

Longa omnino series est causarum haemoptoes occasionalium, quarum pars aliis cum haemorrhagiis illi communis, pars autem illi propria est, quas tamen omnes sigillatim recensere nimis prolixum foret; quare varia saltim, quae nobis quidem nunc memoratu videntur digniora, paucis exponemus. Omnis primo haemorrhagia, quae in consuetudinem transierat, praesertim ex genere magis natura-

lium,

lium, quum ſuppreſſa, ipſaque ſolita venaeſectio quum intermiſſa fuerit, in diſpoſitis haemoptyſin accelerare valet. De menſtruis quidem ſuppreſſis vulgatiſſima haec eſt obſeruatio, etiam auctoritate HIPPOCRATIS *o*), ARETAEI *p*), DVRETI *q*), BENEDICTI *r*), et aliorum quoque plurimorum confirmata. De haemoptyſi ex narium haemorrhagia ſuppreſſa etiam BENEDICTVS *s*) memorabilia exhibuit obſeruata. Neque valde rarum eſt ab impeditiori haemorrhoidum fluxu ſputum ſanguinis ex pulmonibus excitari; isque effectus eo certius ſubſequitur, quo magis ita conſtituti homines motum ſanguinis adaugeant ſiue corporis exercitatione, ſiue animi affectu vehementiori, ſiue calefacientibus ingeſtis, vel majori ejus in pulmonum vaſis collectioni anſam praebeant, retento in pectore ſpiritu, vt in tubarum inflatione aut in aliis moliminibus, aut nimia ipſius pectoris commotione, vt in tuſſi. PLATERVS *t*) ſtatim abſoluto coitu in muliere vidit repetita vice haemoptyſin naſci. Aeris variae conditiones multum quoque ad excitandum ſanguinis ſputum conferre communis obſeruatio docet; quamuis etiam generatim auctores, malum hocce omni anni tempore et qualibet ſub tempeſtate fieri poſſe,

o) *De morb. mulier.* p. 420. ed. Lind.

p) *De cauſſ. et ſign. morb. acut.* L. II. C. 2. p. 15.

q) *Comm. in Coac. Hippocr.* p. 289.

r) *Theatr. tabid.* p. 13.

s) *Theatr. tabid.* p. 14. 15.

t) *Obſ. Lib.* III. p. 76.

poffe, teftentur. Interim ver et autumnus maximam frequentioris noxae fufpicionem prae fe habent. Pro varia tamen corporum diathefi, atque diuerfo aeris nocendi modo, minus aduerfa quibusdam effe poteft aeris conditio quae alios grauius affligit. Indeque forfitan illarum fententiarum, praeftantiffimi quas habent obferuatores, difcrepantiam non temere deriuaueris. SYDENHAMVS u) aeftatis ac veris confinium accufat; LOMMIVS x) magis autumnum; pluuiofum, humidum, frigidumque aerem BENNETVS y). Sub intentiffimo gelu facile hoc fanguinis fputum accidere HOFFMANNVS z) quoque docuit. Sane res notatu digna eft, dari loca, vbi endemium fere deprehendimus iftud malum, fiue illud fitui fiue regimini, fiue victui, fiue peculiari aeris indoli fiue aliis cauffis debeatur. Sic conftat Londinum difpofitis ad haemoptyfin et phthifin periculofum effe; ac Celeb. BVRGGRAVE a) fputum illud cruentum inter morbos incolis Francofurti ad Moenum frequentiores recenfet. Subinde concurrunt, fitus loci, quoad varias aeris qualitates, huic malo generando aptior, frequentiores tempeftatum viciffitudines, victus ratio, vini, inprimis vbi pejoris illud et calidioris indolis fuerit, fpirituumque ardentium, et fimilium potulentorum

inebri-

u) *Opp. Sect.* VI. *Cap.* VII. p. 285. edit. Leidenf. 1754.

x) V. *Obf. med.* p. 118.

y) *Theatr. tabid.* p. 109.

z) *Med. fyft. rat.* Tom. IV. P. II. *thef. pathol.* §. XI.

a) *Lib. de aere aquis et loc. vrb. Francof.* p. 71.

inebriantium abuſus, aliaeque cauſae ad haemoptyſes crebriores producendas. Aliud cauſſarum genus ſiſtit omnis injuria manifeſtior pulmonibus illata; vti fit in cantu, clamore, tibiarum inflatione; vis externa pectori, dorſo, abdomini admota; nixus in eleuando pondere vires ſuperante, aut in edendo partu. Sic etiam HIPPOCRATES *b*) *tabes*, inquit, *frequentes a partu fiunt; prae violentia enim rupturas ac vulſiones habent.* Dein huc refero alui diuturnam et pertinacem obſtructionem et nixum in leuando ventre; veſtitum circa pectus et collum ſtrictum, thoraces mulierum, tuſſim ferinam, iram vehementem, tum clandeſtinum ejus affectum, tum quoque excandeſcentiam manifeſtam; labores vltra vires continuatos, ſomnum nimis diu protractum, motus corporis vehementiores coelo ſub feruido; adſcenſum in montem, turrim, ſcalas; vectionem citatiorem in equo vel curru. Hasque omnes cauſſas eo facilius noxam grauiorem inferre, nemo dubitabit, quo pleniora ſanguine vaſa fuerint, quo magis aliunde jam idem turgeat, quo impeditior ſit ejus ad pulmonum venas tranſitus, et quo magis vltimae arteriolae pulmonum, quacunque ex ratione, debilitatae, et ideo ad emittendum ſanguinem pronae fuerint. Ex efficacioribus cauſſis potus etiam ſpirituoſus eſſe videtur vbi, corpus ex motu et animi affectu antea jam incaluit.

Sic

b) *De aere aq. et loc.* *Tom.* I. p. 332. N. VII. Edit. Lind.

Sic enim *Celeb.* VNZERVS *c*) tres vidit iuuenes ab equitatione vehemente calefactos ſtatim a potu ſpiritus vini haemoptoicos. Multum quoque confert nimius potus Coffeae, victus aromaticus, quilibet alius calefaciens, nec non durus, aut qui humoribus acrimoniam conciliat, vt et qui tonum hypochondriacorum viſcerum infirmat; praeterea vero et ſitus corporis idem diuturnus cum depreſſo capite, vel is quo abdominis viſcera comprimuntur; hinc forte quoque eruditis haemoptyſes frequentius contingunt. Nec excludendae ſunt metaſtaticae cauſſae, vt ſcabies retropulſa, clauſa imtempeſtiue vlcera antiqua, ſiue ſpontanea illa fuerint, ſiue artificialia; qua vltima ex ratione IOH. RHODIVS *d*) naſci vidit haemoptyſin in puella nouenni. *Perill. van* SWIETEN *e*) potum aquae frigidae poſt incaleſcentiam corporis ad cauſſas etiam refert, cujus rei quoque exempla prodidit. Forſan eadem cauſa, quae in robuſtioribus et ſtrictioribus corporibus pectoris inflammationem, in debilioribus nonnunquam haemoptyſin inducere valet. *Celeb.* BVRGGRAVE *f*) Francofurtanorum crebras haemoptyſes magna ex parte nimio eſui aſparagorum, et ſuctioni frequentiori fumi nicotianae inter vini potationes tribuit. Denique huc quoque referenda ſunt emetica

c) Vid. *der Arzt Tom.* VII. p. 381.

d) V. *Obſeruat.* 30. *Cent.* I.

e) *Comm. in Boerh. aph. Tom.* IV. p. 23.

f) *de aere aq. et loc. etc.* p. 73. et 77.

tica fortiora, et ſine juſtis cautionibus adhibita, a quibus multi obſeruarunt ſputa cruenta. Et hae quidem cauſae mox conjunctim, mox ſeparatim agunt; nunc vna ſufficit ad haemoptyſin producendam, nunc plures demum concurrentes aut ſeſe inſequentes ad hunc effectum ſatis pares reperiuntur.

§. VII.

Venio jam ad prognoſin. Generatim notamus, haemoptyſin minus ob periculum, ne purpurea euomatur anima, quam ob hujus pediſſequam phthiſin, metuendam eſſe. Rariſſimi enim caſus ſunt ſubitaneae ex haemoptyſi, per immenſam ſanguinis rejecti copiam, aut ſuffocationem, mortis, niſi in iis, qui tabe jam pulmonali laborant. Plurimum ergo periculi latet in labe, quam pulmones inde ſenſim contrahunt. Primo enim vaſorum, quae rupturam paſſa ſunt, conſolidatio in pulmone difficillima eſt, ob continuum, quem ſuſtinent motum, frigidique aeris acceſſum; dein etiam ſanguis ex vaſis ſuis elapſus, niſi totus educatur, nonnunquam, vbi forte intra telam celluloſam nimis diu haeſerit, putridam indolem accipere lentaeque ſuppurationi anſam praebere poterit, vnde febre hectica accedente pedetentim aeger conficiatur, aut inter cruciatus et anxietates atrociores ſuffocetur. Frequentius tamen, vbi pertinaciter malum reſiſtit prudenti medelae, ſputaque ſaepius cruenta, phthiſin minitantia, redeant; grauior inhaeſiſſe jam pul-

monibus labes, a tuberculis inprimis aut crudioribus aut maturioribus, vel quoque conjunctum in viſceribus abdominalibus chronicum ſubeſſe vitium videtur. Nunquam haemoptyſis periculo caret, α) ſi corpus aggreditur ad hanc affectionem diſpoſitum naturali quadam et haereditaria labe. Semper enim, quum procliuitas ad eam remaneat, metus eſt illam fore redituram; quod etiam frequenter, et leuioribus ex cauſis fieri ſolet. Et nonnunquam, quum omnia jam in tuto eſſe videntur, inopinato redit ſputum cruentum. Aliquando typum ſeruat, vt e. g. alternis diebus, etiam cum febre quadam ingruat, quod ſub veſperam ſaepius fieri bene monuit Brendelivs *g*). β) Metuimus omnem haemoptyſin copioſam; credibile enim quam maxime eſt, factam inde rupturam vaſorum majuſculorum eſſe, quae inflammationem quantulamcumque facile arceſſit et phthiſin plerumque ſubſequentem inducit. Sic Hippocrates *h*) *quibus inſignis*, inquit, *in pulmone venae ruptio ſit*, *copioſus ſanguis vomitione ejicitur*, *periculumque imminet*. *Idem* alio loco *i*) *tabes periculoſiſſimas* dicit, *quae ſunt a ruptura craſſarum venarum.* γ) Ea inprimis periculo ſcatet, quae ab eroſione interna acrium humorum oritur. Sane Lommivs *k*) *nullus*, inquit, *medicinae locus eſt*,

ſi

g) Vid. *Diſſ. de haemopt.* §. II.

h) *Coac.* N. 433.

i) *Coac. Praen.* 438.

k) *Obſ. med.* pag. 111.

ſi ſputum cruentum ab eroſo pulmone eſſe coepit. Idem *perill. van* SWIETEN *l*) confirmat. *δ*) Prae ceteris autem tunc de bono exitu deſperare oportet, ſi effectus euincunt incipere jam pulmonis laeſi exulcerationem. Sunt autem iſti: dolores obtuſi in certa pectoris regione permanentes, calor faciei et totius corporis poſt prandium vel coenam auctus, inappetentia quaedam, quam euacuantia et ſtomachica et viſceralia non facile penitus tollere queant. Anxietas praeterea vel tuſſis breui excitata cum in certum latus aeger cubauerit et cum profundius reſpirare tentauerit; difficilior quoque in mediocri adſcenſu ſpiritus; leuis motus cujusdam humoris in pectore fere continuus, quem et aures inter reſpirandum percipiunt; frequens et vaga inhorreſcentia, faciles etiam corpore leuius tecto, matutini ſudores. Sputum tandem ipſum cum tuſſi purulentum, ita quoque, vt materies excreta in aqua fundum petat, et prunis injecta peculiarem grauem foetorem ſpargat. Sane veriſſimum in plerisque ſic laborantibus COI *m*) dictum eſt: *a ſanguinis ſputo, puris ſputum, malum;* etſi quoque, vbi reliqua omnia bona ſunt, quod optime monuit *van* SWIETEN, paucis poſt ſedatam haemoptoen diebus ſputum puri analogum ſenſim imminutum ſine periculo aegri nonnumquam obſeruetur. *ε*) Metuenda tandem ea maxime haemoptyſis eſt, quae phthiſi pul-

l) *Comment. in Boerh. aph. Tom.* IV. pag. 7. 8.
m) *Aphor. Sect.* VII. *Aph.* XVII.

monali ſuperuenit; ex hac enim vires vitae magis magisque proſternuntur, exulceratio et excretiones colliquatiuae augentur, ſaepiusque illa, ſubitaneam per ſuffocationem, celerem vitae finem facit.

Minoris autem periculi haemoptyſis eſt: 1) ea quae corpus indiſpoſitum aggreditur ceteroquin ſanum; ſic e. gr. plethoricus bene paſtus ab equitatione vehemente coelo calido ſtatim a prandio haemoptyſi poterit tentari; quae ſublata cauſſa ſiſtitur, nec mali quid relinquit, nec facile iteratur; 2) omnis haemoptyſis minor ſine periculoſis ſymptomatibus; hic enim plerumque anaſtomoſis adeſt, quae facile corrigitur; 3) ea quae a vi externa ortum habuit, corpori ſano et ſatis robuſto inflicta; facilius hic ob bonos humores et vim vitae integriorem conſolidationem vulneris natura init; 4) ea quae menſtruorum vel haemorrhoidum vicibus fungitur. Frequentius illa deſinit, cum reſtituta ſanguinis profuſio naturalis fuerit. Sunt quoque exempla ejusmodi ſputi cruenti, diu et per annos ſine vlteriori noxa ſuſtentati. Sic Frid. Hoffmannvs *n*) per annos aliquot notauit haemoptyſin, et Tvlpivs *o*) in vno vidit per XXX. annos, ſine noxa, in alio poſt ſputum ſanguinis XX. annorum demum acceſſit phthiſis pulmonalis; 5) ea quae a ſenſiliori ſyſtemate neruoſo ſpaſmisque hypochondriacis

n) Vid. *Med. rat. ſyſtem. Tom.* IV. *Part.* II. p. 46.
o) Vid. *Obſeru. Lib.* II. *Obſ.* 2.

driacis fere vnice pendet; haec enim ex anaſtomoſi aut etiam interdum ex diapedeſi exorta facilius roborantibus cedit; 6) ſi ſputo ſanguinis ſputum phlegmatis conſueti ſubſequitur leuis, absque odore, colore alieno, cet.; ſi nullus in pectore dolor oboritur, nullus ſenſus grauatiuus, nulli poſt coenam calores, nulla febricula; ſi vires integrae, ſi nulla ſit profundius reſpirandi difficultas, ſique cubare in vtroque latere ſine incommodo aeger poteſt.

SECTIO II.

HAEMOPTYSIS EX HYPOCHONDRIIS.

§. VIII.

Venio jam ad id, quod alteram et praecipuam diſſertationis meae partem attingit. Dixi nempe nexum intercedere haemoptyſin inter et variam aduerſam ex hypochondriis valetudinem. Dixi hypochondriorum vitia non ſolum praediſponere ad haemoptyſin, ſed excitare etiam illam poſſe. (§. VI.) Meum jam erit vt paulo fuſius me in hunc campum diffundam. Et ea quidem ſententia mihi quam maxime probabilis eſt, permultas niſi pleraſque haemoptyſes vitiis viſcerum hypochondriacorum qualibuscunque implicatas eſſe, et magna ex parte his ipſis exſiſtentiam ſuam et vim debere. Videamus nunc quotuplici modo ſe exhibeant vitia illorum viſcerum et qua ex ratione majori ad ſputum ſanguinis ciendum efficacia polleant.

§. IX.

Triplicem agnosco speciem aduersae ex hypochondriis valetudinis hic attendendae, vnam, qua jecur ac primario systema venae portarum in illo et partibus propinquis contentum obstructionibus vexatur; alteram, quae consistit in debilitate et irritabilitate systematis neruosi justo majori, ipsaque spirituum animalium ataxia; tertiam, quae colluuiem variarum sordium, plerumque biliosarum in primis viis latentem agnoscit. Et huic quidem triplici fonti haemoptoes propinquiores causae, et symptomata, suam saepe originem debent, ita quidem, vt peculiarem postulet, pro varia hujus valetudinis indole, medelam. Atque hinc simul nexus patebit, qui intercedit ipsum malum hypochondriacum et sputum sanguinis pneumonicum.

§. X.

Vena portarum semiarteriosa, quae per hepar in ramos plurimos et valde exiguos dispergitur, docentibus aeque pathologia ac practicorum experientia, facillime obnoxia est, et stasi sanguinis lente per totum viscus mouendi, et ecchymosi, et vasorum concretioni, et parenchymatis indurationi. Sic vere LOMMIVS p) monet; *nullum aeque viscus obstructionibus, vt jecur, patet.* Sed cognationem et nexum, qui haemoptyses intercedit venaeque portarum

p) *Obseruat. med.* p. m. 161.

tarum oppilationes, vel frequentius illud sanguineum sputum in haemorrhoidariis probat, quod soli plethorae tribuendum haud esse, etiam patet ex conjuncto nonnunquam satis copioso haemorrhoidali fluxu cum vera haemoptysi. Neque rarum, fluentes homorrhoides nondum expertis varia saepius molimina futuri fluxus accedere. Ex ipso autem impeditiori sanguinis per venam portarum progressu, ejus in toto corpore circulum valde turbari necesse est; inde congestiones oriuntur ad superiora, et inprimis si pectus naturaliter angustius fuerit, anxietas fit et difficilis respiratio, et calores faciei et spasmi, et alia inter mala haemoptyses quoque variae vehementiae pro diuerso gradu obstructionis. Praeterea sane multis jam ab auctoribus veteris et recentis aeui notatum est, plurimis haemoptoicis hypochondria dolere. Quod ipsum et propria mea satis mihi comprobauit experientia, quum diu in hunc morbum, quo ipse aliquando affectus eram, attentionem direxerim. Memorabile autem Coi q) est effatum qui, *spumosum sanguinem*, inquit, *spuunt*, *dextrum hypochondrium dolentes de hepate spuunt*, *et multi pereunt.* Quod quidem ita quoque intelligi poterit, ex obstructione hepatis et ex denegato liberiori sanguinis per illud itinere eundem sursum magis pelli, et alicujus ope spasmi sputum sanguinis ex pulmonibus

q) Vid. *Coac. Praenot.* N. 408.

excitari. Sic etiam ARETAEVS r) monet a liene et hepate prodire sanguinis sputum. BENNETVS s) *apud illos saeuire maxime*, ait, *fluxiones — quibus a vasorum exilium infarctione partes remotiores imperuiae redduntur*; et alio loco t): *magis periclitantur pulmones a pressura per denegatam epatis percolationem, quam a regurgitatione ab infarctis lienis vasculis.* Spectat huc quoque obseruatio de motu quodam vndulatorio et grauatiuo et spasmis versus diaphragma, quos praecedere plerumque haemoptysin solere HOFFMANNVS v) affirmat.

§. XI.

Aliud hypochondriorum vitium latet in systemate neruoso, quod me judice in haemoptysi non raro est accusandum. Neque enim tam facile robustos homines, quibus cutis et caro strictiores sunt, quam delicatiores potius, imbecilliores et sensiliores hujusmodi pertinacioris indolis malo obnoxios esse obseruamus. Sane medium excedentes gradum neruorum irritabilitas ac debilitas totum corpus facile aptum reddunt, quod leuioribus ex irritamentis diuersi generis spasmos concipiat, qui omnino ad sputum ex pulmonibus cruentum plurimum conferre valent. Plures illae spasticae affe-

ctiones,

r) *De causs. et sign. morb. acut. Lib.* II. *Cap.* II. p. 13.

s) Vid. *Theatr. tabid.* p. 13.

t) *Lib. cit.* p. 107.

v) *Med. rat. system.* *Tom.* IV. *Part.* II. p. 6. Conf. *perill.* van SWIETEN *comm. Tom.* IV. p. 25. 26.

ctiones, quae haemoptyſin praecedere et comitari ſolent, illae muſculorum in dorſo, pectore, abdomine et artubus tremulae contractiones, pallor quoque faciei, extremorum frigus, cordis palpitatio, et ſubitanea pectoris anguſtia, etiam vertigo in eo vtique facillime locum inuenient, qui ſuo mobiliori neruorum ſyſtemate ad ſpaſmos prae aliis procliuis fuerit. Accedit quod ipſae neruorum ſenſiliorum ſpaſticae affectiones vitiis variis et obſtructionibus viſcerum praeſertim abdominalium plurimum cauſſae ſubminiſtrent. Spectat huc quoque obſeruatio practicorum tam veteris quam recentis aeui de phthiſi pulmonali ſaepiſſime ex catarrhis ad pectus natis, quibus acrioribus et grauiorem tuſſim conjunctam habentibus et ideo haemoptyſin quoque facilius arceſſentibus, imbecilli et ſenſiliores, praeſertim ad cacochyliam proni, maxime ſunt obnoxii. Ipſaque tum incipiens tum adultior phthiſis dein etiam haemoptyſeos cauſa fieri poterit. Merito igitur ſyſtematis neruoſi majori juſto ſenſibilitati atque mobilitati multum culpae tribuendum exiſtimamus, vnde accedentibus varii generis irritamentis cruenta ex pulmonibus ſputa excitentur. Confirmat haſce ſententias Fr. Hoffmannvs *x*) qui, et frequens admodum, ait, in praxi eſt obſeruatio, hypochondriaca paſſione laborantes, nec non pathematibus hyſtericis obnoxias feminas incidere in hunc ſanguinis e pulmonibus fluxum.

§. XII.

x) *Med. ſyſtem. Tom.* IV. *Part.* II.

§. XII.

Tertium, quod hypochondria exhibent, huc referendum vitium latet in ventriculo debili cibis male digeſtis, aut humoribus ad primas vias delatis ex viſcerum culpa varie corruptis. Conſtat equidem jam experientia y) ad finem lautae coenae, vbi ventriculus bene repletus eſt, in conuiuarum vultibus omnia ſanguine turgere, caloremque per totum corpus diſtribui, ac in delicatioribus anxiam oriri reſpirationem. Premit enim ventriculus diaphragma verſus pulmones, qui dein ſanguine turgent et anguſtantur. Multo magis hoc fieri credibile eſt, quum ventriculus diutius ſaburra quadam acri, calorem intendente, repletus fuerit; vnde praua digeſtio ex prauis humoribus, atque dein tenſiones oriuntur ſpaſmodicae in praecordiis, ac preſſiones, et reſpiratio difficilis nauſeae juncta reperitur, ſanguinisque motus et impetus facile per conſenſum augentur, ejusdemque corrupta craſis ſtagnationi facile et ecchymoſi anſam praebet. Sic BALLONIVS z) juuenem XX. annorum memorat, qui haemoptoen valde metuens ex improuiſo tangit hypochondria blanda manu, ac pulſum ibidem percipit; mox conſecuta eſt haemoptyſis; conualuit tamen expurgata copioſa ventriculi ſaburra. Ipſaque indicia peruerſae humoris bilioſi ſecre-

y) Vid. *van* SWIETEN *Comm. Tom.* IV. p. 12.

z) Vid. *Epidem. et Ephem. Lib.* I. p. 41.

ſecretionis, ejusdemque primas ad vias colluuiei, cum haemoptyſi non raro conjuncta, vel illius inſultus inſequentia, veritatem quoad hunc morbum quoque declarant, ARCHIGENIS apud AETIVM dicti, medicos ſaepe decipi, aientis, ratos mali cauſam in pectore eſſe, quum tamen a ventriculo repetenda ſit. Colligamus inde quantum facere poſſint euacuantia ad medelam et ad prophylaxin haemoptoes, ſi nempe cauſa latet in colluuie ſordium intra primas vias haerentium, praeſertim bilioſarum. Dubitare non poterit de hujus conditionis vitioſae efficacia in haemoptoe excitanda, qui multorum pectoris morborum, obſeruationibus practicorum comprobatam, ex primis viis originem perpenderit *a*).

§. XIII.

Hac triplici ratione ſaepiſſime cauſſam haemoptoes latere in aduerſa ex hypochondriis valetudine facile erit probatu, ſi modo 1) attendimus ad diſpoſitiones varias corporis ad haemoptyſin, (§. V.) exhibitas, quae rarius ſine labe viſcerum hypochondriacorum inueniuntur; 2) ad cauſas procatarcticas, quae in hypochondria valide ſatis agunt: 3) ad ſymptomata quae ſputum iſtud ſanguinis concomitantur; (§. IV.) 4) accedit, quod cauſſae, quae vniuerſaliter ſanguinem mouent, in corpore perfecte ſano haemoptyſin non facile excitare valeant.

§. XIV.

a) Conf. inprimis REGAE *diſſ. med. de ſympathia C. X.*

§. XIV.

Ac primo quidem fi ad varias corporum ad haemoptyfin difpofitiones animum aduertamus, facile erit perfpectu, ex notis (§. V.) allatis, fubjecta hujus mali effe homines junioris aetatis et adultos infirmiores, quos tempeftatis, aeris, victus, vitae generis et regiminis, mutationes facilius affligant, et qui fpafticis congeftionibus a fenfiliore fyftemate neruofo, a pronitate tum ad affectus animi vehementiores, tum ad catarrhos ac ventriculi vitia prae aliis obnoxii fint. Cuiuis autem facile hinc liquere arbitror, rarius fieri poffe, vt omne genus aduerfae ex hypochondriis valetudinis a corporibus fecundum experientiam ad haemoptyfin difpofitis abeffe reperiatur.

§. XV.

Inter caufas procatarcticas haemoptyfeos multae funt, quae manifefte fatis in hypochondria agunt et per haec affecta demum fputum illud fanguinis excitare videntur. Sic omnino huc pertinere exiftimamus, quae de aeris mutatione fubitanea et frequentiore ex calore in frigus, ex humido in ficcum, et vice verfa, ac de impedita etiam aliunde perfpiratione obferuata fuerunt. Immo huc etiam refero thoraces mulierum, quibus quippe pariter abdomen ac pectus laeditur; fitumque corporis cum abdomine compreffo inclinatum, vnde

fpafmi

ſpaſmi et obſtructiones et determinatio ſanguinis ad ſuperiora facile oriuntur. Pertinet huc porro ira praeſertim celata et introrſum verſa, de qua conſtat manifeſte illam et violenter ſaepe in ventriculum et praecordia agere, biliſque effuſioni anſam praebere, vnde quoque ſanguinis motus accelerari, neruorum functiones perturbari, et alia inter mala ſanguinis varias per vias fluxus excitari experientia ſaepiſſime docuit. Cibus etiam potusque, copia aeque modum excedente, ac acriori et calefaciente indole, multum ad haemoptyſin ciendam valent, de quibus vero negari minime poteſt eos prius in ventriculum et alia propinqua in viſcera abdominalia agere, quam ad ſanguinem ex iis paratus chylus vehatur. Spectant huc quoque emetica fortiora de quibus experientia practicorum conſtat, illa ſputum iſtud ſanguinolentum omnino efficere poſſe. Sane quid propius in hypochondria agere valet quam emetica, quae vim ſuam praeciſe in ventriculum, eidemque propinqua viſcera exſerunt; vnde vero cum haemoptyſis obſeruata eſt, ſpaſmo illa videtur adſcribenda fuiſſe, qui ex ventriculo obortus pectus obſedit, reſpirationem intercepit, ſanguinem intra pulmones accumulauit, vaſaque minima pulmonum per vim preſſionis vel dilatauit vel diſrupit.

§. VI.

§. XVI.

Etiam symptomata quae haemoptysin concomitantur vitia hypochondriorum produnt. Sunt vero: spasmi in infimo ventre, motus vndulatorius in hypochondrii quodam latere, dolor dextri praesertim hypochondrii, dolor etiam dorsi, borborygmi in imo ventre, aluus adstricta, paroxysmorum typus, sapores varii in ore percepti. Accedit medelae efficacioris ratio, quam quidem in hoc schediasmate pertractare non constitui; interim notasse conueniet, illam saepe quidem palliatiue, tempore paroxysmi, sanguinis missione, temperantibus et antispasmodicis absolui posse; plerumque tamen, si a caussa interna oborta fuerit haemoptoe, ista non satis ad mali reditum auertendum praestare constat, quum therapeutica etiam praecepta doceant, blandas quoque canalis intestinalis purgationes, et ejusmodi auxilia, quae liberiorem humorum per viscera progressum restituant, quae secretiones expediant corrigantque, quae tonum denique neruosi et vasculosi systematis tutius roborent, saepissime requiri.

§. XVII.

Vltimo monendum mihi adhuc erit, ea quae vehementer sanguinem mouent, in corpore perfecte sano et bene constituto raro haemoptysin productura esse. Si enim circulatio per omnes corporis

ris partes libera, ſi ſtomacho bene et neruis, ſane a vehementiori corporis motu, majori quidem vi ſanguis per vaſa ſua pellitur, isque magis tunc horum latera diſtendit, et corporis ad ſuperficiem aequabilius diſtribuitur, ſudorique potius vniuerſali aucta circulatio quam haemoptyſi anſam praebet. Hanc theoriam cum experientia optime conuenire multis, et praeſertim quoque mihi, obſeruatione conſtitit. Saepe celeriorem ſanguinis motum exercitio corporis excitatum practici viderunt haemoptoicis, quum inſultus mali conquieuit, multum profuiſſe. Mihi ipſi, qui ſaepe leuioribus, maxime pertinacibus tamen, ſanguinis ex pulmone ſputis, per paroxyſmos, alternis diebus certa hora redeuntes, cum febre tertiana intermittente, quouis intercalari die typum ſeruante, per aeſtiuum ſemeſtre anni 1765. affectus fui, nunquam iſtud ex motu, eoque vehementiſſimo, vt e. gr. equitatione ſentire contigit. Quid? quod melius nunquam valuerim, et nunquam liberior a variis pectoris mei incommodis fuerim, quam inter motus corporis in equo etiam ſatis vehementes, quos, poſt ſedata febrilia illa incommoda, inſtitui. Nocebat mihi ſemper quies, inprimis cum abdomine compreſſo. Plus etiam, fateor, mutato a me vitae generi corporisque mei exercitiis debeo, quam exquiſitiſſimis aliquamdiu mihi commendatis, e penu pharmaceutico, remediis.

VIII.

Dissertatio exh. de apoplexiae ex praecordiorum vitiis origine analecta. Publice proposita Gott. 1767. Resp. GEORG PH. KOCH, *Wetzlariensi.*

§ I.

Ex acutis certe et sagaciori medico dignis magni CELSI nostri sententiis quisque facile illam habuerit: quum raro fallere medelam ait, nisi fefellerit caussarum indagatio. Vbi enim de vera morborum origine plenior et absolutior doctrina in medentis potestate fuerit, idque ipsum, quod in corpore mutandum est, exactius innotuerit, vtique tunc certior via minus difficulter detegitur, qua incedere conueniat ad malum praesens profligandum. Nulla ergo excusatione sui tentaminis opus habere existimo, qui ad acquirendam penitiorem absconditae originis morborum cognitionem, obseruando atque meditando quid conferre suscipiunt. Non equidem arbitror a vero me longe recedere, si et apoplexiam earum in affectionum numerum reponam, de quarum ortu secundum vsitatiora medicorum dogmata quibusuis in aegrorum exemplis jam satis constet; etsi me non lateat in variis etiam optimis ceteroquin practicae medicinae institutionibus eo modo de illo

morbo

morbo agi, ac si vix vllos ejus theoria hiatus admitteret, et quoad maximam saltim partem, vt quisque tiro facile exultaret, perfecta foret atque consummata. Verum tamen vt hanc modo ipsam in multis minimum exemplis meram hypothesin esse, et fallaciae maxime obnoxiam, sic aliam quoque corporum conditionem, quae omnino saepe medentis attentionem postulare, minusque sollicite a multis notata videtur, caussae instar praecipuae in apoplecticis locum habere, tum ipsa per obseruata, tum et per accuratiorem analogiam comprobari existimo. Haec autem ipsa meditatus, quum ex legum academicarum praescripto inaugurale specimen mihi conscribendum esset, de apoplexiae origine ex hypochondriorum vitiis analecta quaedam, pro virium tenuitate, studiosius disquirere, atque paucis, quoad fieri poterit, exponere constitui.

§. II.

Minime quidem operae pretium fore existimo, externam hujus morbi speciem, quippe ex primis nostrae artis lineis jam satis cognitam definire, vel satis trita ejus nomina enarrare. Neque est, quod in exponendo illo satis cognito discrimine, quod inter sanguineam atque serosam, aut quod inter exquisitam apoplexiam et leuiorem ejusdem affectionis gradum intercedit, nunc haereamus. Breuibus tamen varium hujus magni morbi accessum indicare conueniet. Vt vero experientia satis constitit, ipse morbus attonitus

 a) modo

α) modo ſine praeeuntibus ſignis et inopinato fere tanta vehementia impetum facit, vt vno temporis puncto quis, reſolutis membris, omnique fere ſenſu priuatus proſternatur, vt etiam nonnunquam ſtatim vel poſt pauca momenta lugubri ſuccumbat fato, neque extemplo allatum auxilium hominem in praeſentiſſimo periculo mortis exſiſtentem ſeruare amplius valeat. Ejusmodi exempla, inter alia, obſeruationes WEPFERI *a*) de homine inter prandendum, et Cel. MORGAGNI *b*) de aethiope inter tuba canendum, apoplexia ſubito correptis et ſimul vita ſtatim defunctis, referunt.

β) modo ſenſim increſcit malum poſt leniores inſultus, quibus per interualla externi internique ſenſus cum voluntaria mouendi poteſtate ſubito vacillant, conceſſoque ſemel vel aliquoties vario leuamine, niſi tunc forte ſuccurrat auxilium efficacius, per impetus morbi magis magisque exacerbatos in grauiorem et exquiſitum, raroque tunc ſuperabilem affectionis apoplecticae gradum tranſit.

γ) modo diu antea prodromi imminentis apoplexiae, qui monent, illi tempeſtiue obuiam eundum eſſe, praecurrunt. Non ſolum vero pro certo conſtat, praeſagiendae variis ex incommodis apoplexiae haud raro locum dari, immo praelonga hunc morbum initia, vt ARETAEVS jam aſſeruit, *c*) nonnun-

a) *Hiſtor. apoplect. I.* p. 427.
b) *De cauſſis et ſedibus morbor. epiſt. V.* n. 17. p. 41.
c) *De morbis diuturn.* Lib. I. Cap. VII. p. 35.

nonnunquam habere, ſed omnino rarius derepente non praemonitos homines affligere illam ſolere complurium obſeruatio comprobare videtur. LANCISIVS *d*) raro forti apoplexia quem prehendi, niſi ejus praeludia praeceſſerint, aſſerit. Et praeſtantiſſimus THIERY *e*) nullum forſitan morbum praenuntia antiquiora, quam apoplexiam idiopathicam antecedere, generatim tradit. Immo Celeb. TISSOTVS exiſtimat, in iis etiam, qui ſine vlla manifeſta cauſſa ſubito apoplexia correpti eſſe dicuntur, ſi aegrorum hiſtoriae modo attente perpendi poſſent, plura ſaepe ſymptomata ſe proditura fore, quae morbum, diu antequam inuaderet, praedicere potuerint *f*).

δ) modo conjunctim cum febre intermittente aut remittente, vel et illarum naturam ſaltim aemulando quosdam per paroxyſmos affligit, et per interualla deſinit aut remittit; qualem hujus morbi genium aliquando eſſe clare docuere SYDENHAMVS, BAGLIVVS, MORTONVS, TORTI, WERLHOFIVS, SENACVS, TISSOTVS, F. C. MEDICVS et plures.

ε) modo et inſtar grauioris hyſterici aut hypochondriaci paroxyſmi ſuum exercet impetum, ac ſimiliter aliquando cum hemiplegia aut minori paralyſi deſinit, vbi ſyſtematis neruoſi jam adeſt imbecillitas, aut nimia mobilitas, et inanitio vel

 alia

d) *Opera omn.* Cap. XX. Lib. I. §. VI. p. 24.

e) *Medecine experimentale* p. 145.

f) *Epiſt. ad Hallerum de variolis, apopl. et hydrope.* p. 87.

alia debilitans cauſſa acceſſerit. Praecipue vero referente Sydenhamo, Boerhaavio, pluribusque hoc affectionis genus feminas confeſtim a partu, magna ſanguinis vi ſimul ejecta, et vel partui laborioſiori vel vehementiori alicui animi commotioni debetur; *g*) attamen in aliis quoque, pari ex ratione, poſt magnam vaſorum inanitionem, vel alio modo inductam neruorum imbecillitatem, ſimilem apoplexiam incidiſſe, obſeruata docuerunt *h*).

Nonnunquam ζ) ad inſtar morbi ſecundarii ad grauiſſimos alios accedit, tum chronicos, vt icterum, hydropem, phthiſin, multum adauctos et fere inſanabiles, tum acutos quoque, et hos quidem saepius cum indolis malignioris fuerint, atque tunc vix non ſemper in propinquo certa mors eſt.

Praeter has denique conditiones variarum apoplexiae originum etiam illius, quae forte notiſſima eſt, aliqua mentio facienda eſt, nempe, hunc morbum externam quoque violentiam capiti illatam aliquando, et poſt varium quidem temporis ſpatium ſequi, vbi ex iſta caput fortiter commotum et concuſſum, vel in encephali quadam parte compreſſio, aut laceratio, aut humorum ſtagnatio, aut eorum effuſio, aut nimia vaſorum extenſio, aut verior in-

flamma-

g) SYDENHAM *oper. vniu. edit. Lugd.* 1754. p. 388. BOERHAAVE *prael. de morb. neru.* p. 538. Conf. etiam LAZERME *de morb. capit.* p. 37.

h) BOERHAAVE *l. m. cit.*

flammatio, ſuppuratio, corruptio excitata eſſe potuit.

§. III.

Memoratu autem maxime dignum videtur morbum huncce, internis ex cauſſis ſponte natum, ſecundum definitionem illam apoplexiae generalem, quae ſyſtematicis auctoribus arridere ſolet, quae nempe ſenſuum aeque externorum ac internorum vſum, ſimulque voluntariam artus mouendi poteſtatem plane abolitam poſtulat, tum quoad initium tum quoad incrementa ſua conſideratum, rariſſime contingere. Primum quidem animaduerto, ſenſuum internorum ceſſationem minus accurate ad morbum attonitum generatim requiri poſſe. Etſi enim aegri eorum, quae ipſis durante inſultu apoplectico acciderunt, et quae praeſertim ipſorum in corpore ad praeſentem functionum animalium torporem diſcutiendum ſuſcepta fuerunt, ſe minus conſcios eſſe referant, malo vel ſuperato, vel ſaltim rationis vſu cum loquela reſtitutis; nimis tamen abſcondita eſt internorum ſenſuum conditio, quam vt inde argumentari liceat inſultus ipſius tempore ab illorum vſu mentem plane vacaſſe. Et eo minus quoque pro certo ab aegris negata perceptorum recordatio ipſos earundem rerum apperceptionem aliquam habuiſſe plane refellit, quum et exempla proſtent ſublatae, per vim capiti applicatam, aut grauem ſyſtematis neruoſi morbum, memoriae eorum quae ſa-

nior adhuc mens ante perpeſſum ictum peregit. Sed praeterea, ſi rariora excipiamus vehementiſſimae ſtatim apoplexiae exempla, aut ſenſim increſcentis maxime difficilis morbi majorem vim, nec ſenſibus externis plane priuatos plerosque reperiri manifeſtiſſime confirmant plurimae ſumme laudabilium ſcriptorum obſeruationes, veluti WEPFERI, *i*) et MORGAGNI, *k*) quibuscum et doctrina CAEL. AVRELIANI *l*) et Auctor. hiſtor. morbor. Vratisl. *m*) et BOERHAAVII, *n*) VAN SWIETEN, *o*) ELLERI, *p*) et plurium conſentit. Eodemque plane modo ſeſe res habet ratione motus voluntarii; multis enim deglutiendi, caput artusque nonnullos quodammodo mouendi, et vocem aliquam, licet intellectu difficillimam, edendi facultas permanet. Sunt, qui cum grauior inſultus remiſerit, per interualla ſubmiſſa voce delirant, ſunt, quibus artus nonnulli tremunt aut conuelluntur. Minime vero tantummodo in attoniti morbi initio, aut primis inſultibus, vel in decrementis adeſſe poſſunt ſenſuum externorum et motuum voluntariorum aliqua exercitia, verum et ejusmodi reperiuntur aegri, in quibus iſta ſuperſunt, quum mors jam ſatis manifeſte appropinquat. Singularis ergo hinc apparet neceſſitas conſtituendi diſcriminis apoplexiam

i) *Hiſt. apopl. IX.* p. 318.

k) *De cauſ. et ſed. morb. ep. II.* n. 13. p. 13. *et plur. aliis in locis.*

l) *Acut. morb. L. III. c. V. edit. ab Almel.* p. 199. 200.

m) *Ex edit. Halleri* p. 289. 291.

n) *Aph. de cogn. et cur. morb.* §. 1015.

o) *Comment. in aph. Boerh.* T. II. §. 1015.

p) *Obſ. de cogn. et cur. morb.* p. 285. et ſqq.

xiam inter fortem aut exquiſitam, atque aliam debilem ſiue leuem, quam quoque parapoplexiam recentioribus, verbo ſatis accommodato, nominare libuit. Ideoque ſi morbi hujus ideam explicueris reſolutione ſiue magna imminutione virium neruoſarum, quoad mentis vniuerſum cum ſuo corpore commercium, aut quoad ad omnes fere corporis functiones animales, vitalibus saepe manifeſtius perſeuerantibus; hacce definitione leuiores quoque apoplecticae affectionis gradus commode comprehendi poterunt.

§. IV.

Haud exiguis quidem difficultatibus adhuc implicatam eſſe omnem de encephali et ſyſtematis neruoſi functionibus doctrinam, quisque veri his in rebus curioſior lubenter conceſſerit; attamen ad faciliora certioraque referri deprehendimus cauſſae generalis proximae, vnde omnis apoplexia ortum habere debeat, notitiam. Plurimi enim non dubitarunt, quum in attonitis fere ſubito et ſimul, vel plane, vel quoad maximam ſaltim partem, ceſſet externorum internorumque ſenſuum, atque illorum motuum, qui alias animi parent arbitrio, exercitium, ea ratione his in aegris affectam eſſe debere neruorum, illis functionibus inſeruientium, originem, vt vel penitus vel ad tempus modo vnius aut aliquot dierum intercipiatur ſolitum illorum cum anima commercium, ita quidem vt hoc ipſum ſem-

per, si modo tandem voti fiamus compotes, perquam difficulter restitui queat. Atque omnino de modo hujus affectionis vlterius quam plurimis exemplis dissectorum, quae hoc morbo defuncta fuerunt, cadauerum certissime id constitit, encephalum, vel principaliorem aliquam ejus partem persaepe qualicunque ratione affectam laesamque fuisse; siue effusus e vasis suis sub caluaria sanguis fuerit, siue ipsa modo illa vasa apparuerint nimis distenta, siue serum ibidem effusum stagnauerit, siue etiam pus aut ichor alicubi intra caluariam haeserit, siue in osseam duritiem vasa degenerata fuerint, siue ossis pars de sua sede mota, encephalum vllibi compresserit. Minime tamen satis tuto hinc ducenda videtur argumentatio, nunquam sine aliqua ejusdem generis caussa, quae nempe comprimendo suam in encephalum efficaciam proxime exsereret, apoplexiam oriri. Neque enim exempla deficiunt, in quibus ejusmodi caussa, etiamsi sollicite quaesita fuerit, reperta haud est, in quibus nempe memorabilis nulla encephali labes detegi potuit, quam satis aptam censere licuisset impediendis sensorii communis functionibus; prouti e contrario quoque alia, vt satis notum, q) occurrunt, vbi vel ex insigni vasorum cerebri plenitudine, vel aliis grauioribus vel sponte natis vel aliqua externa violentia productis ejusdem

vitiis,

q) v. PLATNERI *instit. chir.* §. 513. 531. 547. *et inprimis* MORGAGNI *de caus. et sed. morb. ep. II. n.* 17. *et ep. IV. n.* 29. 34. 35.

vitiis, apoplexiam facile ſuſpiceris adfuiſſe, quum tamen ejus nihil ante mortem obſeruatum fuerat. Conferamus modo, quae Cel. THIERY r) de hac doctrina difficiliori propriis ex obſeruatis tradit: *J'ai ouvert 15 cadavres de perſonnes agées de 60 à 90 ans; Les vaiſſeaux de la tête etoient très engorgés, quatre fois même j'ai trouvé des concrétions polypeuſes dans les ſinus longitudinaux et lateraux, dans d'autres les ventricules de cerveau étoient remplis de ſeroſité; tels ſont les effets, que j'ai rencontrés très ſouvent et exactement des perſonnes enlevées par l'apoplexie; et celles ci cependant étoient mortes ſans la plus legère apparence d'apoplexie. D'un autre coté, j'ai ouvert pluſieurs cadavres de perſonnes frappés et mortes ſubitement, ou le troiſieme ou le quatrieme jour, d'une attaque d'apoplexie, et je n'ai trouvé qu'un très leger engorgement des vaiſſeaux, ſans aucune eſpèce d'extravaſation.* Retulit jam in morborum capitis natura inueſtiganda celebris WILLISIVS hiſtoriam ſenis valde memorabilem, corpore, quem ait, obeſo, nec non collo breuiori, et toroſo praeditum, diu valetudinarium et vitam ſedentariam agentem, cacochymiam valde ſcorbuticam contraxiſſe, reſpiratione etiam difficili et anheloſa, capitisque grauitate et torpore inſolito affectum, vix quicquam laboris aut exercitii praeſtare potuiſſe. Is quodam mane, dum genibus prouoluitur, derepente perculſus, et mox ἄφωνος et inſenſibilis factus, a medicis ocyſſime aduentantibus non modo

absque

r) *Medec. exper.* p. 142. 143.

absque fenfu, pulfu et refpiratione, fed etiam toto jam corpore frigens et plane rigidus, imo vere mortuus reperitur. In cadauere poftridie aperto WILLISIVS morbi licet atrociffimi ne vel vmbram fe fatetur animaduertiffe: vafa nempe meninges irrigantia fanguine mediocriter repleta fuerunt, absque vlla tamen phlogofi, aut extrauafatione, cerebrum, cerebellum et medulla oblongata cum prominentiis illorum omnibus vbique firma et bene colorata tum extra tum intus per totum apparebant: et plexus choroideus integer omni culpa immunis videbatur. Nihil etiam reliquo in corpore alienatum obferuari potuit praeter pulmones difcolores et ichore fpumofo per totum infarctos *s*). Non multum diffimiles, faltim ejusmodi apoplecticis obferuationes, quae vitium euidens fub caluaria plane deeffe poffe confirmant, fummus quoque habet MORGAGNVS *t*), qui etiam ipfe exempla plura propofuit, collecti fatisque copiofi in cranii cauo fanguinis aut puris aut feri, nullo fuborto infultu apoplectico *u*). Ideoque et illud LANCISII adfertum in rem noftram vertere licebit: *frequens hinc erroris anfa apud minus in arte peritos, qui lympham in cerebri cauitatibus inuenientes, illam apoplexiae caufam, cum*

tamen

s) *De anim. brut. Cap. VIII.* p. 143.

t) *De cauf. et fed. morb. ep. IV. n.* 5. 6. 8. 9. 11. 28. *ep. V. n.* 17. 18. Memorabile adjicio VAROLII dictum qui in *ep. II. de neru. opt.* fic locutus eft: *in apoplecticorum ventriculis cerebri (hoc quaefo mihi credas) non reperitur major excrementorum copia, quam communiter in omnibus aliis reperiri folet.*

u) *Epift. II. n.* 10. *cap. IV. n.* 29. 34. 35.

tamen plerumque dumtaxat effectus fuerit, accuſare ſolent v). Si ergo quaedam vniuerſalis apoplexiae conſtituenda eſt cauſſa proxima, vix aptius illa declarari poterit, quam ipſis magni MORGAGNI verbis: eſſe videlicet *intimorum, qui in cerebro fiunt motuum, cum nempe mouemus, ſentimus, cogitamus, ſubitam imminutionem, tantam interdum, vt proxime ad ceſſationem accedat, aut in ceſſationem continuo tranſeat; eam tamen imminutionem multas eſſe et varias quae inducant cauſas, harumque ipſarum alias ſenſus omnino fugere, alias ſub hos cadere w).*

V.

Satis frequente obſeruatione dudum conſtitit, certas corporum diatheſes dari, quae prae aliis apoplexiae magis obnoxiae ſint. Etſi quidem a meo nunc inſtituto alienum ſit, quaeuis hujus morbi ſemina et alias illius cauſſas pertractare, eorum tamen aliqua hic facienda erit mentio, quae praecordiorum vitiis in excitanda apoplexia certiorem afferant culpam. Et huc primum referimus ſingularem corporis craſſitiem et obeſitatem, *pingues enim natura, humidos ac deſides, hoc morbo facile corripi,* bene obſeruauit ARETAEVS *x*); meritoque ad hunc morbum quoque extendendus videtur HIPPOCRATICI dicti ſenſus,

v) *Oper. Tom. I. L. I. C. VII.* §. 3. p. 7. conf. WEPFER *hiſt. apopl.* p. 298. 299. §. 111.

vv) *De cauſ. et ſed. morb. ep. II. n.* 5.

x) *De cauſ. morb. diut.* p. 35.

sus, quum natura admodum crassos celerius interire perhibuit y). Et BOERHAAVIVS expressis verbis, ad hunc morbum procliuiores tradit, *quibus corpus valde crassum et pingue est* z). Plurimaque satis vulgaria, idem ipsum assertum satis confirmant obseruata. Qui autem eo praediti sunt corporis habitu, non raro aliis torpidiores reperiuntur, quieti et somno magis indulgentes, acriora et mentis et corporis sui exercitia saepius abhorrentes, atque difficilius respirantes. Ideoque nec dubitari potest, quum viscerum quae hypochondria occupant, ea inprimis ratio sit, vt deficientibus circulationis vegetioris adminiculis, functiones suas languidius obire soleant, neque solum humorum stagnationi obnoxia fiant, et liquores digestioni destinatos minus efficaces, minusque integros officinae chyli subministrent. Memorabile quod in historia morborum Vratislauiensium relatum legitur: *non facile recordor, quenquam apoplexiam incurrisse, vbi non vel manibus fuerit palpabile, inter assumta et motum, corporisque exercitia nullam fuisse seruatam proportionem, sed illa modum excessisse, haec defecisse* a). Neque vero vel parum humanae naturae legum gnarus hinc non facile intellexerit, quam esse possit noxia praecordiorum in obesis quoad capitis morbos in iis excitandos efficacia; quae vtique incrementa capiet, concurrenti-

bus

y) *Aph.* 44. *sect.* II.
z) *Aph.* §. 1010.
a) *Edit.* HALLERI p. 288.

bus, malo huic fauentibus caussis, et quum hypochondriorum vitia cachexiae jam et pituitosae cacochymiae ansam praebuerint, solitasque varias humorum depurationes impediuerint.

§. VI.

Praeterea vero nec vllus forte auctorum de hac doctrina vel mediocriter bene meritorum facile fuerit, qui habitualem rubri sanguinis abundantiam, quam BOERHAAVIVS *temperiei plethoricae* nomine memorauit *b*), ad caussas apoplexiae praedisponentes frequentiores non retulerit, siquidem obseruatio illius constitutionis in morbum huncce procliuitatem persaepe confirmauit. Non est quod ad exponendam rationem, qua siderationi ansam praebeat habitualis plethora, vel verbulum addam, quum hoc argumentum ab instituto meo alienum, et ab exercitatioribus viris jam satis explanatum judicem *c*). In iis vero, quibus certiora sunt et euidentiora et minus interrupta plethorae indicia, magna ex parte peculiaris deprehendi solet ad bilis exsuperantiam diathesis, si hujus in signa exactius inquiramus. Proni nempe ad oris amaritiem, nauseam, atque cardialgicas affectiones multi reperiuntur, cum perturbatus quodammodo animus fuit, cum diaetae vitiis indulserunt, vel cum rigidioris tempestatis perpessi sunt injurias. Facile tunc etiam capitis dolore, et graui-

b) *Aphor. de cogn. et cur. morb.* §. 1010.
c) Conf. v. SWIETEN *comm.* Tom. III. p. 257.

grauitate, et vertigine confliᶜtantur, aut ſanguinis turgeſcentis impetus ad pectus ruit, varioque modo reſpirationis difficultatem inducit. Leuamen haud raro afferunt ſpontaneae ſanguinis profuſiones, praeſertim ex naribus, et e vaſis haemorrhoidalibus, et ex vtero, nonnunquam et ex pectore, quae dein ſaepius per periodos recurrunt, atque noxas ad commotionem proni ſanguinis reſtituta majori ejus copia ſaepius auertunt. Nonnunquam diutius perſiſtentibus illis, ex abundante atque ſimul turgeſcente ſanguine oriundis incommodis, etiam artis auxilia ſubueniunt, vel ebullitionis humorum cauſam ex praecordiis educendo, vel cruoris exſuperantem quantitatem ex inciſa vena minuendo, vel commotionem ipſam antiphlogiſticis temperando. Quos vero ita conſtitutos et naturae et artis auxilia defecerint, facile ex retento et in partem aliquam interiorem congeſto, et vel e vaſis effuſo, vel ſaltim eadem ipſa nimis diſtendente ſanguine, variis morbis acutis, et ſubinde quoque apoplexia corripi, nemo mirabitur, qui oeconomiae animalis leges accuratius penſitauerit *d*). Ipſam quidem ſecundum experientiam de illa omni habituali plethora aſſeri poſſe exiſtimo, eandem vix non ſemper alienatis viſcerum hypochondriacorum conditionibus et excitari et foueri; ſed inprimis tamen valde memorabile, vt nunquam magis atque facilius graues ex plethorica

d) Conf. F. HOFFMANNI *Med. R. S.* Tom. IV. P. II. S. I. C. VII. *Theſ. path.* §. IX.

thorica temperie capitis morbi ſubnaſci ſolent, quam vbi ſueta ejus leuamina per narium haemorrhagias *e)*, aut ſanguinis per haemorrhoidalia vaſa fluxum *f)*, ob aliquod pertinacius impedimentum ceſſauerint, ſic de his binis etiam haemorrhagiarum ſpeciebus, prae ceteris euidentius certiusque conſtat, illas quam frequentiſſime a vitiata quomodocunque viſcerum hypochondriorum functione vel penitus dependere, vel augeri ſaltim et foueri. Vbi enim in perceptiones et ſymptomata aegrorum, ingruentibus modo memoratis, perſaepe tamen et aliis quoque periodicis ſanguinis profluuiis, praeſertim quum impetuoſius et aliqua cum febre contingant, inquirimus, plerumque imminutum vel deficientem appetitum cum alienato ſapore moleſto, et nonnunquam doloroſo tenſionis aut preſſionis in hypochondriis ſenſu, aluoque difficiliore, et vario modo vitiata, deprehendimus. Et quamuis ſubinde haud magni eſſe momenti videatur illud in praecordiis latens malum, difficulter tamen plane tollitur, et per interualla ſuam variis excitatis incommodis praeſentiam declarat, nouisque cum haemorrhagiarum acceſſioni-

e) Conferri poterit HILDANVS *obſ. cent. I. p.* 69. VAN SWIETEN *comm. T. III. p.* 276. LANCISIVS *oper. L. II. C. VII n.* 4. p. 7.

f) HIPP. *coac. n.* 478. F. HOFFM. *Diſſert. de viro apoplexia ex inconſulta haemorrhoidum ſuppreſſione extincto.* Etiam BAGLIVVS exemplum refert apoplexiae lethalis *ex haemorrhoidum euacuatione ſuppreſſa oper. omn.* p. 339. §. II.

ceſſionibus euidentius adaugetur. Optime cum his conſentire videtur aſſertio F. Hoffmanni g) *experientia teſte*, inquientis, *apoplexiam ſaepe incurrunt, qui ſpaſmis in abdomine maxime aliquamdiu fuerunt detenti, qui ſcilicet colicis paſſionibus, praeſertim ſpasmodicis, hypochondriaco malo, doloribus ex calculo veſicae, item cyſtidis felleae, nec non diuturna alui ſtrictura laborant.*

§. VII.

Frequentiori obſeruatione confirmatum fere omnes boni auctores cenſent arthriticam pertinaciorem, inprimis podagricam corporum diatheſin, apoplexiae quoque facile anſam dare poſſe, ſiue retenta in viſceribus nec ad articulos detruſa materie arthritica, ſiue hac ipſa ex articulis retrocedente aut retropulſa. Fieri poteſt, vt nimis imbecillis natura ſit, vel praeparandae illi materiae, quo commodiora in corporis loca deponi queat, vel ſatis efficaciter ad eadem ipſa propellendae. Nonnunquam vero et imminutae nimis vires, varia diaetae et regiminis vitia, vel inepta quoque exterius applicata medicamina id mali efficiunt, vt in vaſa reſorbeatur, quae extra humorum circulum jam conſtituta fuerat materies varie vitioſa et acris. His autem contingentibus horrenda facile mala producit, eorumque ex numero ſunt etiam grauiſſimi

capitis

g) *Med. rat. ſyſt.* T. IV. P. II. S. I. C. VII. *Theſ. path.* §. X.

capitis morbi et ſubinde lethales apoplexiae *h*). Negari non poteſt, etiam his ſubortis, magnas vaſorum encephali diſtenſiones et effuſiones quoque ſanguinis ipſius obſeruatas eſſe, attamen nec difficulter cuiuis, de veriori arthritidum natura inſtructo, atque conditiones hoc mali genere laborantium exactius perſcrutanti, patere poterit, quanti momenti ſint in excitandis et fouendis arthriticis affectionibus laeſae viſcerum hypochondriacorum functiones. Certe, qui attenderit, facile multum veri deprehendet in SYDENHAMI doctrina, labefactatam nempe humorum concoctionem in arthriticis adeſſe, eademque incrementa ſumente malum adaugeri, correcta leuari, obſeruabit *i*). Non juſto major modo voracitas extra paroxyſmos frequens, et quidem ciborum duriorum difficillime digerendorum, ſolitaque vini compotatio liberalior, cum deficientibus corporis, contra vero continuatis acrioribus mentis exercitiis, vnde illos morbos tam ſaepe excludi conſtat, metuendas chyli officinae corruptelas, praeſagiunt, ſed etiam praeterea fere perpetuo ipſis in paroxysmis vitiatus aut proſtratus appetitus, alienatus ſapor, atque inordinata aluus, conjunctae in multis affectiones haemorrhoidales, vomitiones pituitoſae, et bilioſae

 haud

h) VAN SWIETEN *comm.* T. III. p. 276 et T. IV p. 533.

i) *Tract. de podagra oper. vniu. edit.* Lugd. 1754. p. 444. ſeqq. Conf. HOFFM. *Med. rat. ſyſt.* T. IV. P. II. Sect. II. C. I. p. 529. BOERH. *aph.* §. 1265. et v. SWIETEN T. IV. p. 335. ſeqq.

haud raro leuamini cedentes, satis manifeste praesentem in praecordiis labem comprobant, quae ad malum sustentandum plurimum conferat *k*). Minime itaque dubitandum, quin vbi defecerit in dispositis sufficiens materiae arthriticae justa praeparatio, et ejusdem in articulos depositio, aut si dolor jam natus praeter rationem iterum euanescat, attonitusque tunc suboriatur morbus, plurimum in eodem excitando culpae in aliqua viscerum hypochondriacorum labe haerere possit. Memorabile inter alia exemplum, quod assertionis meae veritatem dilucidius confirmet, lethalis magni olim viri MARCELLI MALPHIGII apoplexia *l*) exhibere videtur. Quamuis enim proximam noxam ab effuso insigni copia sangine et sero in cerebri ventriculos et a varicosis vndequaque sanguiferis cerebri vasis repetendam esse quam lubentissime largiar, vix vlli tamen dubitationi locus erit, quin varia praecordiorum vitia, quae morbi et sectionis historia declarat, cum podagrica et calculosa ejus diathesi, plurimum ad illam cerebri colluuiem producendam contulerint. Refert BAGLIVVS, MALPHIGIVM per decursum plurium ejus virilitatis annorum obnoxium fuisse vomitibus et secessibus biliosis, et post horum suppressionem vomitibus acidis, palpitatio-

nibus

k) Conf. inprimis BOERH. *aph.* §. 1257. et 1258. v. SWIETEN T. IV. p. 301. sqq. et Henr. Joseph. REGA *in tract. de sympathia.* C. XI. p. 135.

l) *Cujus historiam cum sectione cadaueris, tanquam testis autoptes, enarrauit* BAGLIV. *oper. omn.* p. 681. 682.

nibus cordis, calculis renum et vesicae, vrinis cruentis, et interdum affectionibus podagricis leuioribus, — dein priori vice, praecedentibus curis et animi passionibus, apoplexia correptum fuisse, cum totius dextri lateris paralysi; a quibus cum liberatus esset, et praeter varias sensorii communis et neruosi systematis perturbati affectiones, etiam inappetentia et ventriculi indigestionibus per interualla implicatus mansisset, post spatium quatuor mensium vehementiori succubuisse insultui apoplectico. Nemo forte manifestam hoc in exemplo, qualia etiam plura prostant, praeteruiderit hypochondriorum labem; nec facile quis abdominis vitio hic euidentem in congerendo ad caput sanguine et sero efficaciam denegauerit; etsi simul admittendum esse bene cognoscam, ex vere praesente grauiori encephali affectione partem imbecillitatis viscerum abdominalium omnino quoque dependere posse *m*).

§. VIII.

Plurimis praeterea atque certissimis constat obseruatis, neruoso systemate vndecunque vehementius affecto, viscera ad officinam chyli pertinentia quam frequentissime laedi, horumque vicissim perturbatis functionibus et sensorii communis et plurimorum corporis neruorum munia facile vlterius alienari, vel etiam plane impediri. Hinc autem in-

m) BAGLIV. *oper. omn.* L. I. C. IX. p. 112.

ſigne argumentum efficacioris poteſtatis, quae praecordiis ita vitiatis ipſa etiam in apoplexia excitanda inhaeret, petendum exiſtimo; quum frequentius neruoſae affectiones prius in viſcera praecordiorum agere ſoleant, quam grauiores et pertinaciores inſequantur functionum capitis et neruorum perturbationes. Veriſſimum obſeruamus, vbi ſpasmi, dolores, curae, animi affectiones, aliquamdiu perſeuerauerint, aut majoris vehementiae fuerint, bilis colorem et craſin perſaepe et facile permutari, ſpasmos in hypochondriis et anxietates excitari et chyli fabricam ita grauiter laedi, vt non minus appetitus, quam ingeſtorum bona digeſtio imminuantur, vel deleantur, ſenſimque maxime refractaria et manifeſtiſſima fiant viſcerum hypochondriacorum vitia, quae integram ſanationem admodum difficulter admittant. Sed atrociora longe neruorum pathemata, quam quae praeceſſerunt, et excitari et ſuſtentari ſolent, iis ſemel in hypochondriaca viſcera inductis morboſis affectionibus. Attentior quisque facile deprehendit per ipſos mali hyſterici et hypochondriaci repetitos inſultus, etiamſi primum nulla in hypochondriis culpa reperiri potuerit, viſcerum chyli officinae inſeruientium functiones perturbari, impeditiorem fieri ſanguinis per venae portarum ſyſtema progreſſum, primas vias humoribus vitioſis, acidis, bilioſis, pituitoſis, corruptisque ciborum reliquiis, frequentiſſime inquinari; atque ſub hac rerum conditione multo

pejus,

pejus, longeque grauius memoratis malis neruosum systema affici solere. Tunc enim vehementiora pathematum genera saepius accedunt, lipothymiae, cephalaeae, melancholiae, asthmata conuulsiua, epilepsiae, ipsaeque nonnunquam paralyses et apoplexiae. Eo vero minus dubitari potest, in illis primarum viarum inquinamentis et humorum in praecordiis secretorum vitiis, quum suis se signis manifestauerint, multum culpae grauiorum pathematum haerere, quod insigne tunc leuamen et perefficacem prophylaxin euacuantia ad morborum indolem accommodata, subjunctis praesertim, quae stomacho subueniant, roborantibus, largiri saepissime soleant. Ad ejusmodi conditionem et Hippocratica illa pronunciata pertinere videntur, quibus docetur: *melancholicum illud esse, si lingua derepente impotens aut pars aliqua corporis siderata fiat n)*; itemque hoc: *melancholicis morbis periculosos, vere et autumno contingentes, decubitus, alia inter mala, corporis quoque apoplexiam denunciare o)*. Morbum forsan non ita rarum esse apoplexiam spasmodicam censet praestantissimus LORRY, de hystericis praesertim et hypochondriacis affectionibus agens *p*), in cerebrum vero praesertim tunc facilius fieri spasmodicos impetus tradidit, vbi degenerata jam bilis crasis et perturbata viscerum hypochondriacorum

 fun-

n) *Aph.* 40. sect. VII.

o) *Aph.* 56. sect. VI.

p) *De Melanchol.* T. I. p. 115.

functio fuerit q). Quantum vero etiam animi affectiones ingratiores, ira, moeror, terror, in perturbandis praesertim praecordiis valeant, quantumque immodica quaeuis et acriora mentis exercitia, vigiliae, curae, sollicitudines, nimis intensa studia, integriori chylopoiesi obsint, vix vllum latere posse medentium existimo. Plurimis autem obseruationibus ita etiam certo constitit, illas animi agitationes atque contentiones nimias apoplexiae ansam dare posse, vt nec elementorum doctrinae pathologicae quis auctor facile causam hancce praeterierit r), Ideo quoque ad illos animi affectus, praesertim iram proniores, quum reliqua consenserint, apoplexiae magis obnoxii reperiuntur. Ipsa autem praecordia tunc primum perturbata et bilis praesertim vitiatam crasin auctumque ad primas vias affluxum, forsitan et aliquando humoris ejusdem ad sanguinis massam regurgitationem, plurimum ad magnum illum capitis morbum producendum plerumque conferre, salutare leuamen satis confirmat, quod vomitiones aluique dejectiones biliosae tunc saepius praestiterunt. Praeterea quum et aliquando ab haemorrhagia largiori et subitanea, prouti supra memoratum fuit, aliisue causis, quae necessarium sanguinis ver-

q) Ibidem p. 301. 302. Conf. HOFFMANNI *Med. syst.* T. IV. P. II. S. I. C. VII. *Thes. path.* §. X. et MORGAGNI *de caus. et sed. morb. ep. III. n.* 5.

r) Conferri tamen hac de re merentur ARETAEVS *de morb. diut.* L. I. C. VII. TISSOT *ep. de variol. apopl. et hydrop.* p. 89. 115. 116. *Histor. morb. Vratisl.* p. 295.

verſus encephalum appulſum imminuere ſolent, verae apoplexiae fuerint obſeruatae, vix vllus dubitationi locus erit, quin etiam certae praecordiorum affectiones, eadem ratione, qua inanitiones imbecillitatem ſyſtematis neruoſi totius, praeſertim ſenſorii communis producendo, anſam apoplexiae praebeant. Veriſſimum enim, primariam quandoque vniuerſalis neruorum debilitatis cauſſam in praecordiis haerere, atque animi quibusdam affectibus, terrore praecipue, triſtitia et metu continuatis debilitatem totius corporis aliquando ſatis inſignem produci. Frequentiori et fere quotidiano rerum vſu haec omnia ſatis confirmari exiſtimo, ſed accurate expoſita et exquiſitioribus exemplis illuſtrata reperiuntur praeſertim a binis noſtri ſeculi ornamentis, diuo BOERHAAVIO *s*), et perill. DE HALLER *t*), dein etiam a praeſtantiſſimo medico, IO. GEO. ZIMMERMANNO *u*). Pluribus etiam cum noſtris hactenus propoſitis aſſertionibus bene conſentire videtur obſeruatio, additaque conjectura ſagaciſſimi THIERY: *on ne voit guères d'apoplexie dans les villages, elle eſt presque reſervée aux grandes villes. Seroit elle donc le fruit de la molleſſe, de l'intemperance, et de la debilité du genre nerveux v)?*

 §. IX.

s) *Praelect. in inſtit. med. c. not.* HALLERI T. IV. p. 416. ſqq. *et de morb. neru.* p. 320. ſqq.

t) *Element. phyſiol. maj.* T. V. p. 579.

u) *Von der Erfahrung in der Arzneykunſt* II. Th. 4. B. II. Cap.

v) *Medec. exp.* p. 147.

§. IX.

Sed prodromos apoplexiae praecipuos nunc etiam paucis enarrare et expendere conueniet, quum et illorum indoles haud leue argumentum culpae, in praecordiis quoad magnam partem haerentis, praebere videantur. Ipſae quidem affectiones, quae atrocem iſtum, aegro ſaepe inſcio, prope imminentem hoſtem complurium ex obſeruatione portendere queunt, praecipue ſequentes habentur: cephalalgiae nimirum grauioris frequentes paroxysmi, externorum internorumque ſenſuum aliquis torpor, et memoria praeſertim vacillans, vertigo ſaepius rediens varii ſenſimque aucti gradus, interdiu ſomnolentia et pigritia, noctu vero inſomnia terribilia, ex quibus cum anxietate ac tremore expergiſcuntur, dein et aurium tinnitus, imagines peregrinae et ſplendores oculis obuolutantes; illacrymationes oculorum ſpontaneae; dentium ſtridores inter dormiendum inſoliti; inprimis quoque linguae impotentia et titubatio, vocisque tarditas *w*); inſultus etiam paralytici partiales, fugaci modo frequenter inuadentes citoque deſinentes; pedum algor cum ſtupore, et ſubitaneum glaciale frigus in partibus, quas deinceps corripuit paralyſis *x*); catarrhi diu fluentes ſaepeque reuertentes; reſpiratio ſae-

w) *Hanc linguae affectionem fere non fallacem apoplexiae metuendae* τεκμήριον *exiſtere tradunt Auctores hiſt. morb.* Vratisl. p. 288.

x) TISSOT *ep. ad* HALLERVM *de variol. apopl.* p. 88.

ſaepius anheloſa; frequens indigeſtio y), vomitus ſpontanei ſiue pituitoſi, ſiue bilioſi; ſternutationum fruſtranei conatus; tandem quoque vrina fere aeruginoſa, aliquando et atra, cum ſedimento κριμνῶδε. Quamquam nunc ejusmodi affectiones, vbi plures illarum pertinacius inhaeſerint, et incrementa ſenſim ſumſerint, quadantenus oppreſſas totius neruoſi ſyſtematis vires omnino vix non ſemper arguant, facileque aliqua neruorum originem propius laedens cauſſa vere ſubeſſe poſſit, inſignis tamen probabilitas quoque videtur admittenda, quod vitium haud exigui momenti in hypochondriis latens ad prodromos illos excitandos multum conferat, niſi et aliquando vnam atque ſolam earundem cauſſam conſtituat. Non praegreſſae modo procatarcticae cauſſae, quas hi prodromi apoplexiae inſequi ſolent, ex quibus nonnullas praecipuas expoſui, manifeſtiorem viſceribus officinae chyli deſtinatis vim inferre ſolent, ſed etiam ipſa illa incommoda ex eorum ſunt genere, quae et in aliis morbis ex hypochondriis affectis quam certiſſime ortum habent. Si enim vel Hippocratis obſeruata, vel alius cujusuis boni auctoris medici dogmata experientia ſuffulta, quoad mali moris febrium ſymptomata conſulamus, vix vllam reperiemus laeſam functionem inter prodromos apoplexiae numerari ſolitam, quae non iis febribus ſubinde accidat. Quod

y) CAEL. AVREL. *acut. morb.* L. III. Cap. V. edit. ab ALMEL. p. 199.

Quod ipſum vt facillimum foret vel pronuntiatis pluribus HIPPOCRATICIS, vel aliorum teſtimoniis allegatis confirmare, huic tamen labori, quod haec res maxime trita ſit, mihi ſuperſedendum exiſtimo, ſi modo ad praeſtantiſſimi LOMMII obſeruationes prouocauero, et vel vnum illud HIPPOCRATICVM adjecero: Ex hypochondriorum doloribus obortae febres malignae (κακοήθεες); In his profundus ſopor (το καρωδες) peſſimus z). Qui autem accuratius indolem iſtarum febrium malignarum, quibus grauiora neruorum capitisque ſymptomata frequenter accidunt, et ipſa quidem ſecundum obſeruata perſcrutatus fuerit, non facile dubitabit, colluuiei humorum quadantenus corruptorum ad praecordia delatae et collectae, atque vitiatae ſuccorum chylopoieſi deſtinatorum ſecretioni, et febris vehementiam, et memorata ſymptomata praecipue deberi. Praeterea quoque cuiuis in doctrina morborum non plane hoſpiti ſatis notum eſſe puto, magnam partem iſtarum affectionum, quae apoplexiae prodromos conſtituunt, permultos illorum affligere, qui paulo grauius chronico ex hypochondriis malo laborant. Quam enim ſaepe hos capitis dolorem in vertice, aut latere, aut occipite ſaepe valde refractarium, etiam vertiginem, oculorum caliginem, vexare deprehenduntur? quam frequens eſt obſeruatio ſenſuum tum externorum tum internorum in hypochondriacis atque hyſtericis per interualla

z) *Coac.* n. 31.

terualla torpentium. Sic etiam imaginum ante oculos apparentium et intercepta objectorum visio haud alia subinde, quam ex stomacho, cruditate labefactato, vera origo deprehenditur *a*). Valde laudabilis quarundam vtilissimarum scriptionum auctor HENR. JOS. REGA, propria sua obseruatione permotus HELMONTIO adstipulatur, apoplexiam a stomacho praegrauato passim oriri ex iis probare contendenti, quae eandem communiter praecedere solent, symptomatis; atque suam dein sententiam sequentibus proponit: *sane, si ad singula animum reflectamus, si modum inuadendi, si causas occasionales et remedia spectes, quibus nonnunquam celerrime cedit grauissimus hic affectus, non dubitabis, quin saepius apoplexia ob ventriculi grauitatem et oppressionem ejus quasi a pondere incumbente inducatur b*). Testatur etiam PROSPER ALPINVS *c*), nonnunquam aphonos reddi aegros solere ventriculo ab aliquo humore laeso, quo aut sponte aut arte rejecto liberarentur; neque minus frequenter a vermibus aphonias obseruari sine periculo. *In colica biliosa* ait BAGLIVVS *d*) *contingit saepissime aphonia et vox rauca — haec eadem vox rauca obseruatur pariter in febribus a bile ortis, quamobrem arguere merito possumus raucas voces et aphonias in acutis similibusque morbis subindicare nobis causam proximam illorum a bile, siue partibus*

a) LOMM. *obs. med.* p. 92.

b) *Tract. de sympathia.* Harlemi 1739. p. 92. 93.

c) *De praesag. vita et morte.* p. 220.

d) *Oper. omn.* p. 217. §. XI.

bus acribus volatilibus sulphureisque pendere. Respirationis quoque difficultatem variam quam saepissime ex caussa ejusmodi oriri, quae suam in praecordiis sedem habeat, siue mobilis et euidentior illa fuerit, siue magis abscondita interioribus in viscerum recessibus haeserit, ipse rerum vsus omnino satis manifeste testatur, idemque ipsum compluribus practicorum testimoniis propriisque obseruationibus satis clare comprobauit laudatus REGA *e*). Quanta pariter sit potestas praecordiorum grauius laborantium in artuum neruos plura facile argumenta declarant; quum neminem medicorum latere queant vel pareses ex colicis atque dysenteriis grauioribus subortae, vel et artuum dolores ac lassitudines in biliosis febribus, inprimis quum simul malignae fuerint, frequentes, per euacuantia tamen primarum viarum saepe mitigandae tollendaeque, vel motus conuulsiui ac epileptici a vermibus varieque corruptis in chyli officina humoribus excitati. Quare et bene asseruit REGA *f*) *obseruare etiam est, dolores stomachi majores desinere in conuulsiones vel artuum resolutiones.* Minime ergo arbitror, in dubium vocari posse, insignem partem caussae prodromorum apoplexiae in affectis hypochondriis quam saepissime latere, ideoque et eidem regioni multum culpae in excitanda, quae subsequitur, apoplexia rectissime tribui. Notissimum equidem est, capitis et ventriculi talem esse

e) *Lib. cit.* C. IX.

f) *lib. cit.* p. 135.

esse consensum, vt quoque laeso aut repleto cerebro vicissim ventriculus et hypochondria inde perturbentur, siquidem vel capitis vulneribus persaepe accedentes nauseae vomitusque biliosi id clare comprobent *g*). Quamquam vero neque hanc ex quadam cerebri labe ad ventriculum extensam sympathiam, neque reliquam cerebri idiopathice laesi efficacitatem in praedicendis et variis apoplexiae prodromis et ipso hoc atrocissimo morbo in dubium vocare mihi nequaquam sit animus; plurimum tamen interesse existimo, si et pro certo sciamus, in sponte subortis, sine omni externa violentia, apoplexiis multum culpae in vitiatis hypochondriorum visceribus haud raro haesisse, siue inde labes ipso in encephalo excitata, siue modo sympathice hoc affectum fuerit. Lubentissime largior illustri atque praestantissimo TISSOTO, aliquantum difficile saepe esse judicare, num ex ventriculo aut cerebro nauseae et vomitus ortum habeant, dum plethora cerebri sordes ventriculi saepe mentiatur. Concedo quoque non sine summa cautione aliquem emeticis locum dari, neque raro praestare, vbi certiora non adsint illorum vere tuti vsus indicantia, si ab iis abstineamus *h*). Etiam ipsi huic summo Viro plane adstipulor in rejiciendis ex hujus morbi, quum san-

g) Conf. BOERH. *aph.* §. 267. et VAN SWIETEN T. I. p. 432. seqq.

h) *Epist. ad Haller. de var. apopl. et hydr. p.* 118. 119. Conferri quoque merentur de noxa emeticorum apoplecticis minus prouide exhibitorum obseruata MORGAGNI *de caus. et sed. morb. ep. III.* n. 11. 12.

ſanguis ad caput nimis congeſtus fuerit, curatione ſtomachicis et ſpirituoſis medicamentis omnibus, et multo magis, quae merito atro carbone hic notanda ſunt, ſopientibus et praeſertim opiatis. Probandam in multis ſanguineis atque calidis apoplexiis, immo ſummis extollendam laudibus ejus methodum credo, attamen inde minus recte colligendum, aliis mecum ſentientibus, exiſtimo, non aliquam et in illo ipſo apoplexiae genere et in aliis pluribus vtilitatem remanere notitiae de ſympathica hypochondriorum in encephalum quoad apoplexiae originem efficacia; quamuis minime putem ad emetica et ſtomachica roborantia ideo confugiendum eſſe, ſi medico etiam ſatis certo conſtiterit, nauſeam vomitusque ſpontaneos vbi apoplecticum corripiant, non ex cerebro idiopathice affecto, ſed ex hypochondriorum et ventriculi labe excitatos eſſe.

§. X.

Multum quoque lucis noſtrae doctrinae affundere videtur ſingularis affinitas, quae apoplexiae verae cum febribus quibusdam intermittentibus pernicioſis, ſenſuum aeque internorum ac externorum functiones cum voluntaria artus mouendi facultate vel ſuſpendentibus, vel multum imminuentibus aut alterantibus intercedit. Satis inter medicos noſtri aeui de febrium hujusmodi indole, atque efficaci certaque iis medendi methodo conſtat, et quidem

tali,

tali, quae non reſpondet alicui cauſſae, cerebrum per idiopathiam afficienti. Habent ejusmodi febres nonnunquam exquiſitae apoplexiae ſpeciem, aliquando et frequentius parapoplexias aemulantur, alias graui ſopore, aut catalepſeos inſultu, aut ſtupore profundo, ipſis his affectionibus cum febre conjuncta intermittentibus, ſeſe diſtinguunt. Si, quae de febribus hujusmodi, easque curandi ratione, a ſummis viris SYDENHAMO, *i*) MORTONO, TORTI, WERLHOFIO, SENACO, FR. CAS. MEDICO, tradita ſunt, perpendimus, vix vllum dubitationi locum eſſe facile perſpicimus, quin ex viſcerum hypochondriacorum certa perturbatione, et bile praeſertim abundante atque vitioſa, nec raro ſimul turgente, febres hae cum grauiſſimis ſuis ſymptomatibus vel vnice vel maximam ſaltim partem dependeant. Hanc enim originem non ſolum obſeruatio docet aegrorum, iis in febribus laborantium, qui de nauſea, oris amarore et vertigine extra paroxyſmos conqueri ſolent, nonnunquam ſponte bilioſos corruptosque humores cum leuamine vomunt, etiam a vomitu, veriora ſecundum indicantia, ipſis moto ſe melius habent, aliquando et pluribus quae idem praecordiorum vitium declarant, afficiuntur ſymptomatibus *k*); ſed ipſa quoque omnium fere inter-

i) *Epiſt. ad Rob. Brady op. vniu.* p. 307.
k) WERLHOF. *obſ. de febr.* p. 24. ad 29. F. Caſ. Med. Samml. von Beobacht. 2 B. p. 396. 397.

intermittentium natura, qui vtpote morbi praecipuam certe in hypochondriis cauffam habent, atque cadauerum, perniciofis hifce febribus defunctorum, inftitutae fectiones, memoratum illum hujus mali fontem quam maxime confirmant. Non reperimus mentionem, de aliqua memorabili cerebri labe in his cadaueribus reperta, bonis ab auctoribus factam, qua idiopathica cerebri affectio inftar cauffae illarum febrium ftabiliretur; attamen contra expreffe notatum, fectiones defunctorum, pariter ac fymptomata et procatarcticas cauffas, bilis praecipue officinam crafin et directionem valde vitiatam fuiffe *l*). Iam vero et maxime notabile, veri, quem dicunt, attoniti morbi minime raram hanc indolem effe, vt plures per infultus majori vel minori intercedente remiffione, et plerumque cum indiciis conjunctae febris, corripiat. Quum latere non poffit medendi artifices peritiores, quanta fit febrium manifefte remittentium atque intermittentium cognatio, tum quoad cauffam praecordia occupantem, tum quoad curationem ipfo vfu confirmatam *m*); magni certe roboris argumentum haec etiam obferuatio praebet, quod in remittentibus et exacerbantibus apoplexiis noxia

l) Conf. WERLH. *lib. cit.* p. 27. F. CAS. MEDICVS. Samml. von Beobachtungen aus der Arzneyvviffenfchaft. I. B. p. 379.

m) MORTON *pyretol. exerc.* II. C. I. PRINGLE Beobachtung über die Feldk. p. 204. fqq. WERLH. *obf. de febr.* p. 50. §. V. LOMM. *obferu. medic.* p. 5. edit. Amft. 1761. WINTRINGHAM *comm. nofol. paffim vt* p. 47. 50. 52. HOME *princ. med.* P. II. fect. VI. p. 90. §. 3. 6. 12.

noxia quaedam adſit praecordiorum diſpoſitio, ipſo in excitando morbo attonito efficax. Praeterea vero vt proteiformis interdum febris intermittentis genius eſt, ſiquidem, aſſerente Mortono, *inter innumera illa ſymptomata haſce febres comitari ſolita nullum eſt, quod non aliquando ita vehementer ſaeuiat, vt vita aegri inde in praeſens diſcrimen adducatur; et typus febris in variis ſuis ſtadiis, algoris, caloris et ſudoris abſcondatur penitus, et opprimatur, ita, vt neque ex vrina, temperie, pulſu, vel alio quoque ſolito modo diſtingui poſſit n)*; ſic certe nihil impedit, quo minus periodicas typicasque apoplexias, a pluribus obſeruatas, *o)* ad morbos, indole ſua ſpasmodica ex affectis hypochondriis oriunda, febribus intermittentibus perſimiles referamus. Neque Mortonvs ipſe apoplexiam illis accenſere dubitauit abſconditae febris ſymptomatibus, quae propriis remediis incaſſum tentari aſſeuerauit *p)*. Etiam obſeruatae nonnunquam epidemicae fuerunt apoplexiae; *q)* ſed in epidemicis acutis quam frequentiſſime inquinatae humoribus corruptis et bilioſis reperiuntur primae viae, ita quidem vt non modo plura hinc ſymptomata repetenda ſint, verum etiam ipſi illi morbi ex magna parte ſaepe ab eadem cauſſa dependeant. Et ſi Hvxhamiana conferimus obſeruata, illae, quas

n) *Pyretol. exerc. I. C. IX.* edit. Genev. p. 73. 75.
o) Conf. F. CAS. MEDICVS *Geſchichte period. Krankh.* I. B. p. 5.
p) *Libr. cit.* p 73. 74.
q) v. F. HOFFM. *Med. R. S.* T. IV. P. II. S. I. C. VII. *Theſ. path.* §. XIII.

vir magnus descripsit, constitutiones epidemicae, apoplexiae cum certis aliis morbis fauentes, et vnde locus est conjecturae, aliquam inter morbos ejusdem temporis atque regionis affinitatem, quoad modum affectionis corporum fuisse, omnino videntur confirmare, vitiosas ad praecordia colluuies et laesas viscerum hypochondriacorum functiones multum culpae iis in morbis habuisse. Sic de mense Majo 1738, alios inter morbos non dissimili conditione praeditos, retulit; *quosdam apoplexia, quosdam paralysis corripuit*, addiditque: *febres intermittentes passim r)*. In mense Julio ejusdem anni, *graues capitis morbos adhuc passim, simulque colicam biliosam frequentem, et largissima mulierum menstrua*, obseruauit *s*). Porro Mense Majo 1743. *plurimi apoplexia correpti sunt, et plures erepti, simulque et febres quotidianae et tertianae creberrimae longe lateque fuerunt, etiam dysenteriae et febres catarrhales grassatae sunt t*). Neque multum ab his discrepant alia Baglivi, Lancisii, Lommii, Foresti, pluriumque obseruata. Denique vel paucissimis modo hic etiam indicasse suffecerit, ceterum omnino satis notum tritumque, quam plurimis nempe et fere quotidianis obseruationibus certo constare de frequentiori origine vix non omnium sensorii communis et neruosi systematis affectionum ex aliquo, suis etiam e signis persaepe

r) *Oper. omn.* T. I. p. 202.
s) *Ibid.* p. 203.
t) *Ibid.* p. 289 - 293.

perſaepe detegendo, praecordiorum vitio; ſiue obrutae nimia ingeſtorum copia, ſiue aliena eorum et acriori indole laceſſitae fuerint primae viae, ſiue interna ex cauſſa colluuies bilioſa aut acrior alia ad praecordia delata ſit, ſiue quacunque alia ratione nerui per hypochondria diſpertiti grauius irritati fuerint. Eo igitur minus dubitandum, quin poteſtas ventriculi atque generatim chyli officinae perturbatae et inquinatae ad excitandum quoque aut faciliorem reddendum attonitum morbum plurimum valeat, quo certius et euidentius exploratum habetur, cognatis in morbis inſignem haud raro ejusdem cauſſae vim eſſe. Quibuscum optime quoque conſentiunt, quae Vratislau. medici tradiderunt: *cujuscunque fuerint temperamenti, qui vel hoc anno* (1702), *vel etiam ſecutis temporibus apoplexiam incurrerunt, in eo fere omnes conuenerunt, quod vel in potu, vel in cibo, vel in vtroque exceſſerint*, id quod etiam alii ſcriptores de ſuis apoplecticis diligenter obſeruarunt *u*). Memorabilis quoque LANCISII obſeruatio, qui neminem fere aſſerit, ſobriae vitae addictum, apoplexia corripi ſolere.

§. XI.

Ex praeſtantioribus argumentis, vnde morborum difficiliorum origines probabilius colligimus,

 cada-

u) *Hiſt. morb.* Vratisl. p. 282. Conf. quoque F. HOFFM. *Med. R.* S. T. IV. P. II. S. I. C. VII. *Th. path.* §. XV. et MORGAGNI *de cauſ. et ſed. morb. ep. III.* n. 26. 28.

cadauerum quoque fectiones habentur. Iam fupra vero nonnullis auctorum fumma fide digniffimorum teftimoniis confirmare ftudui; non ita perpetuo in apoplecticorum cadaueribus aliquam fub cranio labem repertam effe, vt modum impeditae functionis neruorum, fenfui motuique voluntario inferuientium, vbique inde fatis tuto deriuare liceat. Qui allata et aliorum plura penfitauerit obferuata, affenfum non facile denegabit ingeniofiffimo medicinae experimentalis Auctori cel. Thiery jam fuperius laudato, ita inquienti; *J'ai lû a peu pres ce, qui a été ecrit fur cette matiere, je n'ignore pas les fignes etablies pour caracterifer les differentes fortes d'apoplexies, non plus que les methodes relatives qu'on leurs a oppofées; j'ai fuivi plus de foixante apoplectiques, je ferois en état de rendre compte. Je n'ai point d'opinion à foutenir, ni à combattre par préference; je n'ai appris à refpecter que la verité, et je la cherche. J'ai vû, j'ai obfervé, et je demande, qu'eftceque l'apoplexie* v). Fere fimili plane modo jam de occulta et fub cranio faepe nequaquam reperiunda, et aliorum cerebri morborum et apoplexiae origine valde et prolixe conqueftus fuerat Gvil. Ballonivs; w) vt adeo quis facile crederet, a binis hifce feculis longe minus obferuando fecandoque medentes in accuratiori hujus morbi notitia profeciffe, quam fperare omnino licuiffet. Verum etfi negari nequeat, talem fubinde

caussam

v) *Libr. cit.* p. 144-146.
w) *Conf. medic. L. II. hift. I. comment. edit. Tronchini.* T. III. p. 46.

cauſſam ſub cranio vere repertam eſſe, quae premendo nobiliorem aliquam encephali partem apoplexiam omnino efficere potuerit, hujusmodi tamen obſeruatis eam haud refelli exiſtimo ſententiam, quae multam hypochondriis vitiatis poteſtatem ad producendam apoplexiam tribuit. Neminem enim artis noſtrae vel mediocriter peritum latet, quam ſaepe ex impeditiori humorum per hypochondriaca viſcera progreſſu, ex perturbatis, quae chylopoieſis poſtulat, ſecretionibus, et ex collectis crudis et acribus ad praecordia humoribus, bilioſaque praeſertim colluuie, congeſtio ſanguinis atque ſeri ad caput excitari ſoleat. Ideoque nec improbabile videtur, originem grauiorum, quae in capitibus apoplecticorum reperta ſunt, vitiorum ex diutius perſeuerante viſcerum hypochondriacorum alienata conditione ſaepe repetendam eſſe. Eo vero minus hac de re quis dubitare poterit, qui et animum ad varia memorabiliora vitia, in hypochondriis apoplecticorum, per ſectiones cadauerum haud infrequenter detecta, probe aduerterit. Cujus adſerti veritatem vel ſola illa obſeruata quae accuratiſſimus MORGAGNVS de compluribus hoc morbo defunctis tradidit, ſatis manifeſte confirmant. Enarremus exempli loco, quae in prima ejus obſeruatione, *x*) qua mulieris

 annos

x) *Epiſt. III. n. 2. p. 16. plura vide in eadem epiſt. n. 4. p. 18. ep. IV n. 13. 14. 15. p. 28. n. 19. p. 30. n. 24. p. 32. n. 26. p. 33. n. 30. p. 34. n. 35. p. 36. ep. V. n. 19. p. 42.* Refert etiam cel.

annos LV. natae, et ex breui insultu apoplectico mortuae, sectionem exposuit, praecipue nobis notabilia occurrerunt. Intestinum Colon ad magnos tractus justo angustius, foetor vt in gangraenis intestinorum incipientibus, intestina tenuia hic illic colore sanguineo saturatiori, calor in ventre, etsi frigida tempestas erat, et trigesima post mortem hora sectio instituebatur, etiam tum aliquis superstes, lien veluti guttulis sanguineis superficietenus distinctus, in hepatis vesicula, contractiore quam par erat, bilis quasi cruenta; hepar, non secus ac si olim inflammatione laborasset, pluribus quam consueuit nexibus septo transuerso adhaerebat, liuidum hic illic ea in facie, in altera fere vbique, splenica arteria ad latus habebat quasi diuerticulum hemisphaericum, idque osseum, et concreto vt videbatur sanguine plenum; etc. Haec omnia praeter naturam in infimo ventre comparata sine dubio magna ex parte jam antea adfuerunt, ejusque sunt indolis, quae magis magisque, prout etiam aliis in multis morbis liquet, vitia humoribus inducere, atque congestiones illorum vel ad alia viscera, vel ad encephalum, etiam cum varia fabricae illorum corrupte-

cel. F. CAS. MEDICVS (*Gesch. period. Krankh.* 2^r *B. p.* 299) *ex propria sua obseruatione, de binis cadaueribus apoplexia periodica defunctis, quod illorum dissectione accuratissime instituta, encephala integerrima, vt nec in sanissimis meliora dari possint, reperta fuerint, contra vero praeter modum bilis in primis viis abundauerit, propinquaque viscera hoc humore inducta, et membranae illo penetratae, apparuerint.*

ruptela, excitare potuerunt. Quemadmodum enim Hippocratem ſecundum experientiam adſeruiſſe omnes confitentur: *non derepente morbi hominibus accidunt, ſed paulatim collecti aceruatim apparent*, quam veriſimillime alienata prius illa viſcera cenſentur, vnde humorum craſis maxime pendet, quorumque perturbata functio inprimis cerebro frequenter nocet, quam grauior et lethalis laeſio ipſo in cerebro generetur. Quibuscum et exacte conuenit adſertio Lancisii, de cauſſis repentinae mortis, in quas ipſe ſingulari ſtudio inquiſiuerat, referentis: *hoc vero perpetuo eſt obſeruatum, vltimum diem repente a nemine, quod ſciam, viſum fuiſſe, qui labe aliqua fluidorum, viſcerum aut ſaltem canalium a multo tempore non laborauerit, quique ſimul non fuerit ſtationarius miles in caſtris Bacchi aut Veneris* y). Plures etiam obſeruationes, de grauibus vitiis in hypochondriis apoplecticorum repertis, modo memoratae ſimiles recenſet laudatiſſimus Morgagnvs, quas breuitatis cauſſa nunc omittimus. Sed notandum praeterea ejusmodi alienatam dari poſſe in viſceribus hypochondriacis conditionem, quae quidem vix vel parum mutatum ſiſtat externum viſcerum habitum, colorem, fabricam, vt quoque facile praeterfugiat ſenſum inueſtigantis anatomici, quae tamen ſatis valida polleat efficacia ad perturbanda ſyſtematis neruoſi munia et impediendam ſenſorii communis functionem. Quis enim intermittentibus in febribus,

 etiam

y) *Oper.* C. I. §. V. p. 32.

etiam ſoporoſis et apoplecticis, in quibus ſanandis, quam neceſſaria praemiſſa fuerint, Peruuianus inprimis cortex inſignem promeruit laudem, etſi tunc praecordia vitioſis humoribus inquinata, aut perturbatam ſuccorum, quibus chylopoieſis perfici debet, ſecretionem fuiſſe talemque facile continuare poſſe conſtet, memorabilem habitus, coloris et conformationis alterationem ſuſpicaretur? Et omnino ſecretio bilis praeter naturam comparata eſſe poteſt, vt craſis aliena ſit, et copia abundet, quamuis hepar ſaniſſimum appareat *z*). WILLISIVS in ea, quam ſupra jam adduximus obſeruatione inciſi cadaueris apoplectici, nec in hypochondriis aliquam labem deprehendit, pariter ac vitioſi nihil in encephalo animaduertit; quod eo magis mirum, quum aeger diu inualetudinarius, referente WILLISIO, et capitis grauitate cum torpore inſolito affectus fuerit *a*). Et vbi ex ingluuie aut ex nimiis ingeſtis ſpirituoſis vel aliis acribus, vel etiam venenatis rebus apoplexia ſuſcitatur, forſan fieri quoque facile poterit, vt ejusmodi cauſſae nota ſenſuum ope nulla in cadauere obſeruari queat.

§. XII.

Argumentum etiam praecipuum, quo doctrina noſtra de conſenſuali praecordiorum in apoplexia exci-

z) FR. CAS. MEDICVS *Geſch. period. Krankheit.* 2. *B.* p. 290. *und Samml. med Beobachtungen.* 1. *B.* p. 51. 67. 139.

a) *De anim. brut. part. path.* C. VIII. p. m. 143.

excitanda poteſtate, maxime ſtabiliri videtur, ipſi praebent ſalutares perſaepe obſeruati ſucceſſus et naturae moliminum et artis auxiliorum, quibus expurgatae primae viae, quibusque a ſtagnationibus humorum liberata fuerunt hypochondriorum viſcera. Ita enim perill. VAN SWIETEN apoplexiae cauſſam in ventriculo talem haerere poſſe docuit, quae per vomitum aeque ac per aluum expelli poſſit *b*). Suam adſertionem exemplo viri celeberrimi illuſtrat, qui ſubito in amicorum conſortio incepit oculos hinc inde conuertere, mox obmutuit, et apoplecticus cecidit. Dum conclamatum crediderant ſummi in arte viri, poſt quadrantem horae nullo tentato remedio praeter ſanguinis miſſionem, vomuit, praeter contentos in ventriculo cibos, ingentem copiam pituitae et quidem tantam, quantam humanum ventriculum capere poſſe vix credi poterat, ſtatim redierunt ſenſus et motus, et blando ſomno refectus, ſequente die omnino ſanus fuit. Huic ſimilis eſt obſeruatio, quam tradit WEPFERVS, *c*) facillimeque plures adferri poſſent. Et hoc non mirabitur, quem inſignis ventriculi cum ſenſibus internis conſenſus in morbis etiam apoplexiae affinibus manifeſtus non latuerit, aut euidentem plurium medicorum experientiam de ipſius apoplexiae frequentiori origine bene attenderit HENR. AB HEERS populares ſuos ingluuie commeſſationibusque apoplexiam incurrere ſolere,

b) *Comment. Tom. III.* §. 1017. p. 286.
c) *Lib. cit.* p. 510.

ſolere, et phlebotomia vix vnquam curari retulit *d*). Spontaneo alui fluxu aliquando ſolui apoplexias, quod ſane notiſſimum eſt *e*), hiſce cum obſeruatis manifeſte quoque conſentit. Ideoque et permultos praeſtantiſſimos in medendo artifices, ipſum naturae tramitem legiſſe non dubitamus, quum certiora ſecundum indicantia, juſtaque ſub cautione, etiam praemiſſis, vbi opus, phlebotomiis, enematibus, ſcarificationibus, internisque digeſtiuis, emetica et cathar&ctica in apoplexiae curatione vſurparunt, ſiquidem et inſignem ſaepe vtilitatem inde obſeruauerint. Ita Hipp. medendi rationem ad veram apoplecticam affectionem tradens, inter alia quoque commendat *vſum enematis, quod bilem vehementer ducat, et quum ſenſum aeger receperit, thapſiae ſucci in multa calida aqua dati, quo quam citiſſime euomat. f*) Et vbi idem accuratae attoniti morbi deſcriptioni alio in loco *g*) curationem ſubjunxit, infernam quoque aluum purgare conſuluit. Non dubitauit, gloriae Hippocraticae inprimis aemulus, diuus Sydenhamvs, in concinnis ſuis proceſſibus integris, poſt adhibitam ſatis largam ſanguinis miſſionem, efficacioris, alia inter auxilia, vomitorii, atque dein etiam purgantis vſum commendare *h*). Idem quoque fuit

Thom.

d) *Obſeru. med.* p. 173. *Obſ. XVIII.* Conf. locus ex JOS. REGA jam ſupra cit. C. VII. p. 92 93.

e) v SWIETEN T. III. p. 285.

f) *De morb.* L. III. C. VII.

g) *De morb.* L. III. C. III.

h) *Oper. edit.* Lugd. 1754. p. 597.

THOM. WILLISII consilium *i*). Recentem apoplexiam multoties procurato vomitu se superasse, refert HELMONTIVS *k*). In euacuatione turgentis materiae aptis pharmacis, praemissis quae conditio aegri postulauerit, excitata multum spei ponit FORESTVS *l*). *Post enematum vsum*, inquiunt Vratislauienses Medici *m*) *vel ad venae sectionem vel ad vomitorium progrediendum esse censemus*, et subjungunt conditiones quibus illud, vel hoc remedium magis aptum esse existiment. Eadem autem ratione hoc in morbo, ac pluribus in febrium generibus rem se habere, nobis haud improbabile, quum aliquando phlebotomia, et reliqua medendi methodus antiphlogistica, nonnunquam vero euacuantia, primas curationis partes teneant, saepissime vtriusque generis auxilia eodem in aegro requirantur. Ideoque forsitan haud inepte HENR. JOS. REGA serosae aut pituitosae apoplexiae nomine eas hujus morbi species comprehendi voluit, in quibus V. S. minus conueniat, contra vero emetica, cathartica, et enemata acriora totam impleant paginam *n*). Ea vero praesertim sub conditione, quod serosa aut pituitosa sit apoplexia, catharticis et emeticis plures medicorum lubentius locum concedere videntur, quam in illis ejusdem specie-

i) *De anim. brut. part. path.* C. VIII. p. m. 141.

k) *In cap. confirmatur morb. sedes in anima sensitiua. Op. omn.* p. m. 533. Conf. quoque p. 321. §. 40. p. 587.

l) *Obs. L. XXV. L. X.*

m) *Hist. morb. Vrat.* p. 297.

n) *De sympt.* C. VII. p. 93.

ſpeciebus, quae nomine ſanguinearum comprehendi ſolent. Sic BAGLIVVS, apoplexias, ait, pituitoſas, vbi pallor faciei, et pulſus exilis, vomitoriis et purgantibus optime cedere, a ſanguinis miſſione ingraueſcere; contra ſanguineas, vbi rubore ſuffunditur facies, vaſa capitis maxime turgent, nec pulſus exiles ſunt, a ſecta vena in melius abeunt, et a vomitoriis exacerbari ſolent *o*). Similisque fere eſt ſententia BOERHAAVII *p*). Attamen, quum frequentiſſima medentium attentorum obſeruatione liquido conſtet, bilioſa in praecordiis ſtagnante colluuie, acribusque factis ciborum male digeſtorum et abundantius aſſumtorum recrementis, etiam turgentem reddi ſanguinem, capitisque calorem et faciei ruborem facile excitari, eademque ipſa vitia nonnunquam apoplexiae originem praebere; neque cautus etiam vomitoriorum vſus ad apoplexiam manifeſte pituitoſam vnice videtur eſſe reſtringendus. Memoratu digna eſt hiſtoria, quam HENR. ALB. NICOLAI, vt, quas tragoedias luderet bilis, animi paſſionibus efferata, adjecto exemplo confirmaret, propria ex obſeruatione retulit *q*). Sexagenario major ſenex temperamenti alias vegeti, et ad cholericum accedentis, in publicis conſtitutus negotiis, plenaria

o) *Oper. omn.* p. 111. et 217.

p) *Aph. de cogn. et cur. morb.* §. 1023. 1026.

q) *Diſſert. de direct. vaſor.* §. XXIV. IN HALLERI *coll. diſſert. anat.* T. II. p. 549. Conf. FORESTVS L. X. *obſ.* 70. LATNERVS *prax.* L. III. VERGELLONI *in epiſt. de bile aucta et imminuta in cripta* BIANCHO.

ria corripiebatur ſideratione. Miſſo primum ſanguine, data fuit largior tartari emetici doſis, vnde inſignem pituitae craſſae, et porraceae bilis euomuit quantitatem, atque hinc ſenſim ſenſimque ſui compos factus, poſt vnum vel alterum diem priorem ſuam recuperauit ſanitatem. Redeuntibusque poſt aliquot menſes ſimilis mali prodromis, vna cum exundantis iterum primarum viarum ſaburrae indiciis, praeter alia auxilia inprimis emetico plane reſtitutus eſt. In colica biliosa deſideratiſſimus noſter WERLHOFIVS alia inter ſymptomata neruoſa, frequentiſſime quoque carum et ipſam apoplexiam a ſe obſeruatam eſſe retulit *r*). Minime vero probabile videtur, vbi ex turgente in praecordiis bile inſultus apoplecticus ortum habuerit, vulgaria pituitoſi morbi indicia in aegris reperiri; ideoque cum catharticis et emeticis illis in bilioſis apoplexiis ex omnium fere conſenſu locus ſit, pariter ac in illis, quibus ingluuies anſam praebuit, neutiquam ſolis manifeſte pituitoſis auxilia illa euacuatoria deſtinata eſſe exiſtimamus. Notatu dignum, quod aſſertiones noſtras apte confirmat, exemplum affectionis parapoplecticae ſimulque ſpasmodicae, tempore fluxus menſtrui in virgine per iram excitatae, et copioſa materia bilioſa per aluum repetitis clyſteribus educta optime ſanatae, praeſtantiſſimus ZIMMERMANNVS retulit *s*). Forſitan

r) *Obſ. de febr.* p. 28. *not.* *l*) Conf. loc. cit. e BAGLIVI *oper. omn.* p. 217.

s) *Von der Erfahrung* 2. *B.* 441. *Sect.*

sitan nec b. ELLERO licuisset suae methodo ita praeclaram laudem tribuere, *quod fere omnes ex multis illis, qui apoplectici per seculi circiter dimidium opem suam efflagitarint, consiliisque suis morem gesserint, ex voto restituti* fuerint *t*), nisi satis valida auxilia, et expurgandis primis viis, et liberandis hypochondriorum visceribus aptissima, reliquis haud neglectis, absque vlla temporis jactura adhibere solitus fuisset *u*). Mihi vero nunc supersedendum existimo exponendis cautionibus, in catharticorum et emeticorum commendatione obseruandis; siquidem meum ad argumentum sufficiat frequenter obseruata illorum vtilitate culpam confirmari, quam hypochondriorum vitia conferant ad excitandam apoplexiam.

IX.

Dissertatio de arthritide vaga. Publice proposita Goettingae, 1768. Resp. BALTH. DVGEND, *Oldenburgico*.

PROOEMIVM.

Quanti sit in facienda medicina momenti exquisita accuratiorque notitia de vera indole et varietatibus arthritidum ac morborum illis affinitate juncto-

t) *Obseru. de cogn. et cur. morb. praesert. acutis.* p. 289

u) *Ibid.* p. 293. seqq.

junctorum: quamque inſignis pretii ſit aeſtimanda methodus certior medendi hisce affectibus: ita certe peruulgatum eſt, vt multis haecce verbis exponere haud opus eſſe videatur. Neminem enim facile fore exiſtimo, qui contrarium ſuſtinere audeat, ſi modo animo ſecum reputare velit: diros hosce morbos non modo atrocibus dolorum tormentis, haud valde raro plures per hebdomades homines affligere, imbecilliorem ſaepiſſime, et ſimilis ad mali reditus, leuiore data occaſione, procliuem, relinquere valetudinem, vel etiam modo miteſcentem aliquo ſaltim gradu perſeueranter, aut parua per interualla perfrequenter dein homines vexare; miſerabili porro atque dolendo valde modo, quamdiu adſunt articulares illi morbi, membrorum, ad plurimas functiones, vitae commoditati et ſuſtentationi atque tot erga alios officiis dicatas, neceſſariam flexilitatem, mentisque arbitrio ſubjectam mobilitatem, per varium temporis et nonnunquam valde diuturnum ſpatium, nec tam raro ad ipſum vitae vsque terminum, tolli, vel multum ſaltim minui atque infringi; ſed tam atrocem quoque huic morbo eſſe naturam, vt interdum per varias decurſus ſui anomalias et metaſchematiſmos vitae quoque diſcrimen facile adducat. Quamuis enim non deſint exempla, nonnullis ſalutares poſtea euaſiſſe membrorum morbos praecipueque articulares; attamen, nec huic morborum generi vitae periculum plane deeſſe, adeoque ad ipſam mortem, nonnun-

quam lento progreſſu, aliquando autem cito et inopinato etiam, hoſce affectus tranſiiſſe, infelicesque aegros trucidaſſe, plurimis profecto et proh dolor! nimis certis obſeruatis edocti, ſcimus. Quare cum ab adſpirante ad ſummos in apollinea arte honores priuilegiaque cum iis conjuncta, ſpecimen inaugurale expoſcat legum academicarum ratio, vix metuendum habeo, ne materia indigna cenſeatur, in qua enucleanda laborare poſſim, ſi hac in diſſertatione arthritidis illius, quae vaga multis dicitur, naturam et medendi methodum pro viribus exponere ſuſcipiam. In qua vero, ſi lectores forſan reperiant, quae taxanda minusque recte dicta videri poſſint, vel ſi qua alia adhuc addenda omiſſa neglectaque prorſus ſint, veniam me vel ideo non difficulter impetraturum ſpero, quod de materia graui dicam, neque a tirone opus abſolutum exſpectare fas ſit.

§. I.

Arthritidis nomen apud veteres medicos latiore ſenſu quam in hodiernorum auctorum libris occurrere reperimus. Praeter eum ſcilicet morbum, quem hodie quidem plerique arctiori ſenſu arthritidem ſalutant, alias quoque affectiones, in quibus artus externi corporis dolent, ſub arthritidis voce comprehendere conſueuerunt optimi illi Medicinae antiſtites, id quod Hippocratis, Aretaei, Galeni aliorumque ex antiquis medicorum, et hisce

multo

multo quoque recentiorum, libros euoluentibus facile patere arbitror. In dubium enim vocari vix poterit, minori cum accuratione veteres vt aliis quoque exemplis haud paucis constat, morborum species, atque quodammodo affines, vere tamen inter se discrepantes, affectiones denominatione accommodata distinxisse, etiamsi res ipsas probe cognitas compertasque habuerint. Atque sic etiam, ni fallor, quoad arthritidis species variosque illis morbis affines rheumatismos, fere sese res habuit. Aretaevs quidem *a*) arthritidem explicat per *communem omnium articulorum dolorem*, additque, *pedum dolorem podagram vocari, coxendicum ischiada, manuum vero chiragram;* docet tamen *morbi quoque transitum in dorsi thoracisque musculos fieri, et incredibile esse, quam malum serpat, —* etiam *tendines et musculos cum distentione dolorem pati, nec non maxillarum et temporum musculos; item communicari renibus et vesicæ, post omnia nares et aures et labia affici — vniuersam ossium compagem morbum populari, haud secus atque pedis aut manus articulum. Etsi morbus differentiam ex calore et frigore præ se ferre videatur, sibi tamen placere, vnicam esse morbi causam.* Explicare dein quoque conatur, quando frigidus et quando calidus affectus fiat. Sed omnibus hisce, et reliquis ab eodem Auctore subiunctis, non satis declarari specierum arthritidis differentias, cuiuis vel in pathologiæ recentiorum elementis mediocriter versato facile li-

 quere

a) *De caus. et sign. morb. diut. Cap. XII.*

quere exiſtimo. Praeterea quisquis etiam fuerit Auctor libri inter HIPPOCRATICOS reperiundi, ſi non ipſe HIPPOCRATES, ejus tamen diſciplina probe imbutus, arthritidem deſcribit *b*) inſtar morbi breuis, quem et acutum vocat, quamuis non lethalem habeat, quem quoque junioribus magis quam ſenioribus contingere dicit. Breuiter ſic deſcribit: *Articularis morbus* (*ἀρθρῖτις νῦσος*) *cum corripuerit, calor et dolor corporis articulos inuadit, corripit autem etiam acutus, et in alium atque alium articulum tum remiſſiores tum etiam intenſiores dolores incumbunt*, ſubjungit ſtatim *c*) *podagram violentiorem eſſe omnibus ejusmodi circa articulos morbis, diuturniſſimum quoque et aegre cedentem morbum. Conducere* autem ait et *huic eadem quae morbo articulari.* Mentionem ſimul facit doloris in digitis relicti. Vtut vero haec aliaque ab Hippocrate de arthritide memorata ſane vtiliſſima ſint et experientia maxime confirmentur, minime tamen ſatis apte diſtinguendis iſtis affectionibus ſufficere poterunt. Sed nec praetereundum, in *definitionum medicarum libro inter Galenicos reperiundo*, arthritidem aperte inflammationem dici, quae articulis accidit, neruisque magnum adfert dolorem. Vt hanc ſententiam vſu receptam veteribus fuiſſe ipſa nominis ratio, exemplo pleuritidis, nephritidis, ceter. declarare videtur, ita et eandem curatio antiphlogiſtica, ab HIPPOCRATE, GALENO, poſterioribus

b) *Sect. XXXI. Lind. T. II. p.* 180.
c) *Sect. XXXII.*

bus Graecis et Arabibus aduerſus arthritidem maxime commendata, omnino confirmat. Videtur ergo, ſi qua conſtituenda ſit ad mentem veterum arthritidis definitio, notanda eſſe differentia inter generaliorem et ſpecialiorem hujus vocis ſignificationem, quarum illa dolorem in articulis, ſiue membranaceis proxime ad juncturas infra cutem ejusque celluloſam partibus, inflammatorium et cum aliqua febre conjunctum, non valde breuem ac transitorium, ſed perſeuerantem, etiam idiopathicum, ex interna tamen cauſſa ſponte natum, deſignat. Specialior vero iſtum denotat, qui non fixam aliquam ſedem habet, articulos quidem ipſos, plures vel pauciores, vere corripit, ſed inaequali non ſolum vehementia, verum et de loco in locum migrat, partesque muſculoſas etiam ſubinde et membranaceas varias, mouendis articulis non ſeruientes, pariter afficit. At vero notatu quoque dignum, veteres etiam Graecos affectuum illorum articularium originem nonnunquam a peculiari rheumate deriuare, vt videri poteſt apud Hippocratem: *d*) *Si modica fluxio fuerit, coxendicem et articulorum diuturnam affectionem* (κεδματα) *facit;* eamque originem pluribus dein verbis vlterius exponit. Similisque plane eſt Galeni ſententia, quam aeque aperte propoſuit *e*). Sic etiam Gorraevs vbi arthritidem definit, tumorem articuli dicit dolorificum, quem fluxio

d) *De loc. aff. Cap. XIX. Lind. Tom. I. p.* 374.
e) *De ſang. miſſ. C. VIII.*

xio in eum decumbens excitauit. *f*). De hoc etiam auctore praeterea notamus, ipsum iis non adsentire, qui inflammationem in arthritide omni requirunt, etsi largiatur, in aliqua tumorem phlegmonodem censendum esse. Ceterum et ipse ex arthritide in longius ab articulis dissitas partes, vt musculos cutemque, affectionis labem peruenire, idque magnitudine fluxionis contingere, docuit; et explicatis morbi speciebus, quae ab affecta parte nomen acceperunt, subjungit: *si vero in multos simul articulos iste humor incidat, tunc vere et proprie arthritis nuncupatur.*

§. II.

Jam vero consuetudo recentioribus temporibus inualuit, peculiari nomine rheumatismi quendam morbum, quo articuli multo dolore infestantur, appellare, idque praesertim fieri coepit, ex quo Gvil. Ballonivs de hoc affectu, quem apud antiquos pene ἀνόνυμον dixit, cuique inter primos ipse rheumatismi nomen dedit, propria sua secundum obseruata tractationem euulgauit g.) Vbi autem ille hujus affectus descriptionem tradit, refert, partim corpora sana, et plethorica quidem, juuenilia, valida atque sanguinea, partim quae morbo longo, falsa et praecipite crisi solui viso, laborarunt, eidem obnoxia esse. In hoc morbo manifestam febrem haud esse, tradit, sed conclusam quodammodo,

f) *Definit. med.*
g) *Opp. omn. edit. Tronchini Tom. IV. p.* 313.

dammodo, vt vere ſine febre ſuccedat. Dum affectio haecce, ipſo narrante, quem adoritur, totum corpus dolet, facies nonnullis rubet, circum articulos maxime ſaeuit dolor, vt ne minimum quidem vel pes, vel manus, vel digitus ſine dolore et clamore, moueri poſſit. Cum partibus apprimitur manus, ſenſus eſt et perceptio, licet etiam blande attrectaueris, cujusdam caloris acris. Si pulſum conſulis, febris aut nulla aut exigua eſſe videtur, et tamen febris eſt reuera, ſed non valde magna. Dolores quidem noctu exacerbantur, ſed febris exacerbationes non habet manifeſtas. *Omne muſculoſum quoque et neruoſum genus ſero ac ſanguine putri proluitur, qui in partibus iſtis* ἐπιφλόγισμα, aut φλεγμονῶδές τι *parit.* Poſtea ſubjicit: *quod arthritis eſt in parte aliqua, id ipſum eſt iſte rheumatismus in toto corpore, at arthriticus dolor certis periodis repetit, certisque temporibus, iſte* ῥευματισμός *non item, niſi quod in iis qui in vitae genere peccarunt, tandem habitum aut diatheſin arthriticam afferre poſſit. — Nec melius explicari deſcribique poteſt hic affectus, quam propoſita analogia et affinitate, quae eſt inter hunc et arthritidem, et hercle plerique, immo Medici, qui nondum hunc affectum cognitum habent, arthritidis vniuerſalis nomine iſtum donauerunt. At curatio, a quo humore principium ducat, edocebit.* Ea vero, quam tradit curatio, maxime antiphlogiſtica eſt, ſanguinis nempe largiorem et ſaepe repetitam miſſionem, a qua medicorum vulgus abſtineret, commendat, non tamen diffite-

tur, in paroxysmo etiam arthritico vtiliter secari venam posse; dein clysterum vsum frequentem, etiam cassiam et lenientia laudat, praeterea quoque haemorrhagiam, et sub finem sudores et vrinam crassam multum conferre, quae vero inflammationes augere solent, omnia nocere, docet.

§. III.

Ast, profecto, quantumuis magna sit merito Ballonii nominis existimatio, non tanti tamen momenti rationes illae, quas allegauit, habendae videntur, vt dimittendae vsitatae atque inueniendae nouae morbi istius denominationi vere sufficerent; praesertim cum hic ipse affectus haud obscure in libro περὶ παθῶν Hippocratico, passimque a veteribus, ἀρθρῖτις appelletur, aliique recentiorum ante Ballonium et ipsa ejus aetate, Leonh. praecipue Botallvs et Car. Piso, nomine arthritidis pro eodem affectu, cui et simili modo mederi docuerunt, contenti fuerint, contra vero rheumatis et rheumatismi nominis longe minus constans, sed maxime vaga, ipso concedente Ballonio, eo tempore fuerit significatio. Et quamuis curationem aliam poscat Ballonii rheumatismus, quam arthritides frigidae et periodicae, non inde tamen desumenda fuisset nouae denominationis ratio, verum aptius, nomine generico arthritidis seruato, differentia speciei hujus ab aliis declarari potuisset cognomine vniuersalis et continuae inflammatoriae. Sed multos tamen

men magnos habuit BALLONIVS ſectatores, qui vel ſimili plane, vel non nihil mutata ratione vocem rheumatismi vſurparunt. RIVERIVS jam quoad partes dolentes diſcrimen conſtituit, et cum in ſolis articulis dolor ſit, arthritidem, cum vero non ſoli articuli, ſed et media inter articulos ſpatia, muſculi, membranae, perioſteum dolerent, rheumatismum vocat *h*.) SYDENHAMVS, BOERHAAVIVS, PRINGLIVS, TISSOTVS, aliique ſimili fere modo in rheumatismi deſcriptione ac BALLONIVS, dolorem ipſas juncturas artuum obſidentem memorarunt; attamen et particularem quorundam ſaltem articulorum, et ab vna parte ad alteram quoque migrantem, eo nomine comprehenderunt, nec omnes illi febris et inflammationis in quouis rheumatismo praeſentiam poſtularunt, ſed eundem quoque frigidum et chronicum admiſerunt. Alii autem ſeruato veriore et antiqua vocis arthritis ſignificatione, morbum ea denotarunt, quo ipſae prope juncturas partes, et, vt verbis vtamur F. HOFFMANNI *i*,) *ligamenta tendinoſo neruea, quibus inuicem oſſa coniunguntur, quatenus illa perioſteo cohaerent, vehementius affligantur;* rheumatiſmum vero dicunt, cum dolor muſculos, eorumque membranas et tendines, aliasque partes praeter articulos, occupat. Atque hac ratione nomina haecce, praeter F. HOFFMANNVM, alii quoque, vt BERGERVS, SCHVLZIVS, STAHLIVS,

 JVNCKE-

h) *Opp. in fol. p.* 419.

i) *Med. Syſt. Tom IV. P. II. p.* 427.

Ivnckervs, Savvages diſtinxerunt; iisque facile adſenſerit quisque, ad ea praeſertim attentus, quod vterque iſtorum morborum ſine altero vere occurrat, etſi propinqua inter ſe affinitate conjuncti ſint, alterque alterum ſibi ſaepius in ſocietatem trahat, quodque difficilior plerumque ſanatio eſſe ſoleat, quum ad juncturas articulorum dolor fuerit, quam vbi ſolas partes muſculoſas obſederit; ſiquidem frequentius cum articulorum dolore magis alienata humorum craſis profundiusque radicata illorum vitia quam in dolore muſculorum, paribus quoad reliqua conditionibus, deprehenduntur. Quodſi vero conjuncti incedant iſti affectus, quod omnino ſaepe fieri lubentiſſime largior, nil impedit, quo minus illos compoſito nomine, *arthritico rheumaticorum*, F. Hoffmannvm, Trallesivm, aliosque ſecuti, appellemus.

§. IV.

Hiſce nunc praemiſſis, primum notamus, diuerſae omnino indolis arthritidem quoad febrem eſſe, cum alia ideo febrilis dici poſſit, alia febrem comitem non habeat; ex quibus prior ſaepe magis minusue ſimul inflammatoriae indolis eſſe reperitur, cum poſterior vel plane nihil, vel vix tantiſper inflammmatorii oſtendat. Ea vero praeſertim febrilis atque inflammatoria eſt arthritis, in qua dolores in articulis reſidentes ita reſpondent conjunctae febri, vt iſtorum vehementia perpetuo pari paſſu

ince-

incedat cum hujus exacerbationibus. Quemadmodum quoque eodem fere tempore incipiunt et arthritis, et febris qua ista ſtipatur, ſic et vtrique morbo idem fere finis eſt, cum vel febrilis coctio et criticae permutationes a febre pendentes rite ſuccedant, morbumque integrum auferant euacuationes criticae, vel hisce minus perfecte contingentibus aut ſuccedente metaſtaſi, arthritidem aeque ac febrim ſimul modo leuent. Jungitur videlicet arthritidi febris continua remittens, quam haud raro ad bilioſarum naturam accedere deprehendimus, qua autem plerumque corporis internae functiones animique vires minus afficiuntur, ac aliis febribus continuis. Raro ſuperatur morbus paucis diebus, plerumque vero per aliquot hebdomades corpus afficit, terminaturque vel ſudoribus criticis, vel ſedimentis craſſioribus ex vrina ſecedentibus, nonnunquam et ſuppuratione, in qua pus vel ex abſceſſu externe prorumpit, vel per vrinam eliminatur. Quodſi vero contingat, alia peculiari ex cauſſa arthritidi febrim ſuperuenire, aut lentam quoque, cujus origini arthritis ipſa anſam dederit, cum illa conjungi, tunc minus apte morbus hicce complicatus illo arthritidis febrilis nomine appellaretur.

§. V.

Arthritis vero non febrilis, praeterea quod aegri ea correpti, nulla cum febre conjuncta arthritide laborent, in eo quoque a praecedente febrili differt,

differt, quod doloribus non plane tam atrocibus afficiantur miferi aegrotantes, ac in ifta. Quamuis vero hac in re mitior quodammodo videri poffit morbus, in eo tamen omnino conuenit cum febrili, quod voluntati pariter haud obfequiofi artus fint, et, cum etiam aliquem motum affecta membra admittant, eo tamen inftituto vel dolor quafi quiefcens denuo excitetur, vel cum alias tolerabilior fuerit, nunc moleftior fiat et augeatur. Addimus arthritidem non febrilem tantum non femper diuturnius occupare articulos, ideoque inter chronicos pertinere morbos, etiam illam plerumque in curatione febrili pertinaciorem fe praebere. Arthritidi febrili homines robuftiores praecipue obnoxii funt, cum chronica ii prae ceteris laborare foleant, in quibus magis languet vis vitae, propter fenium, vel aliis ex cauffis.

§. VI.

Ad aliam, quae inter arthritidem obuia eft, diuerfitatem progredimur, quae nempe fixam et vagam intercedit. Fixam arthritidem dicimus, in qua dolor perpetuo in iisdem offium articulis refidet, quos prima vice occupauit; vagam vero, fi dolor nunc in hac, nunc in ifta obferuatur parte, fic vt nulla dolorum certa perpetuaque fedes dici queat. In vtroque autem genere morbus vel febri conjunctus occurrit, vel absque febre incedit. Inde quatuor jam exfurgunt arthritidis genera; arthritis febrilis

febrilis fixa, arthritis febrilis vaga, arthritis chronica fixa et arthritis chronica vaga. Eademque discrimina in rheumatismis quoque locum habent, vtpote qui pariter fixi et vagi eſſe poſſunt, et cum febre nonnunquam conjuncta incedunt, aliquando vero et eadem vacant.

§. VII.

Miſſa autem in praeſenti jam faciamus arthritidis fixae genera, quum de vaga praecipue diſputare animus ſit. Exponendum autem nunc eſt, quinam ſit decurſus arthritidis vagae primoque loco febrilis et inflammatoriae. Morbus eſt, qui vere et autumno praecipue homines corripit, eo videlicet tempore, in quo ſaepius majorique gradu tempeſtatum contingunt viciſſitudines. Antequam ipſe morbus manifeſtius ſe prodat, per aliquot dies jam adſunt valetudinis in deteriorem ſtatum mutatae ſigna. Frigus ſentitur in corpore, et horripilationes cum laſſitudine in artubus percipiuntur, capitisque grauitas ac dolor. Accedit nonnunquam ciborum imminuta appetentia, immo et nauſea cum ſiti; animo deeſt ſueta hilaritas, qui potius triſtis eſt atque inquietus. Quo debilius autem ſit hominis corpus, eo diutius durare hic ſtatus poterit, quippe, qui robuſtioribus in corporibus citius in ipſum morbum tranſit. Febris nunc incipit variae violentiae ſolitis cum ſuis ſymptomatibus, horrore nempe aut rigore, quem calor auctus ſubſequitur cum pulſu

duro,

duro, simulque sitis, capitis grauitas, ejusque nonnunquam dolor, vigilia, respiratio quodammodo difficilior. Appetitus majori quam antea gradu imminutio, aluusque adstrictior, cum vrina varie cruda, accedere solent. Eodem fere tempore, etsi non praecise ad horam vel diem, quo febris incipit, dolor accedit sensim increscens, et breui plerumque magnam ad violentiam perueniens in vno alteroue corporis articulo, ita vt motus artuum affectorum magis magisque intercipiatur. Non desunt exempla, altero tertioue die, postquam febris inceperat, dolorem istum superuenisse, sed et nonnunquam vno alteroue ante febris initium, tali dolore oborto morbum jam declarasse ingenium suum. Tunc quoque caloris augmentum in parte affecta plerumque simul ab aegro, aliisque, imposita manu, percipitur sat magnum saepe, rubore quidem non semper, at aliquando tamen manifesto eadem perfundi solet, simulque sensim plus minusue tumere. Frequentius contingere videtur, vt dolor primum in genu vno tantum vel etiam vtroque percipiatur, verum vbicunque primam sedem habuerit, post vnum alterumue diem, nostro in morbo, saepius ibi sensim remittit, immo etiam desinit, vt aliquantum temporis de nullo dolore conquerantur aegri, mox tamen inopinato in alio articulo vel etiam in pluribus, similis aut grauior quoque dolor, paribus fere cum symptomatibus, et pari modo sensim cessaturus exoritur, occupatque pedum inferiores partes

tes

tes vel coxendicem, vel lumborum regionem, vel humerorum articulos, vel cubiti flexuras, vel manus, vel nucham, vel maxillarum juncturas. Id vero huic morbo non perpetuum est, quod prior pars a dolore liberetur, cum alia vexatur, siquidem et nonnunquam, increscente morbo plures quoque afficiantur, dolore in prius affectis partibus non cessante. Immo ad eam interdum vehementiam increscit morbus, vt aliquamdiu omnes corporis articulos simul occupet aequalis fere vbique dolor, isque valde atrox, qui nullum plane vllius membri motum admittat. Sed ea plerumque esse solet doloris in hoc morbo vehementia, vt aegrotans articulos laborantes mouere, si aliqua ipsi adhuc fuerit mouendi potestas, nullo modo audeat, vtque laedatur etiam attactu partium morbo laborantium. Quid? quod etiam aliquando leuissima aliorum per cameram suscepta obambulatio tam grauiter afficiat miserum, vt alias vix percipienda ejus corporis commotiuncula in dolorem nunc degeneret. Quare non mirum, multos etiam aegros moleste ferre stragularum lectuli sui pondus, quamuis leuissimum sit, ipsis in partibus dolentibus, et patientissimos etiam antea homines nunc animi corporisque valde irritabilis fieri, dum hoc morbo corripiuntur. Inprimis autem vehemens magisque molesta obseruatur arthritis haec, quando coxam, aut lumbos, aut nucham occupat. Nonnunquam et migrant vel extenduntur hoc in morbo dolores ad alias quoque praeter

arti-

articulos partes, musculos nempe artuum, et simul genas, nares, aures etc. subinde occupant, vbi major affectionis vehementia fuerit, atque tunc arthritico rheumaticae nomen meretur. Neque alias semper in mobilibus subsistit articulationibus, sed etiam aliquando ad suturas, harmonias, gomphoses, synchondroses, progreditur dolor, dein iterum his relictis aliorsum migraturus. Versus noctem saepius nouae illae dolorum translationes animaduertuntur, eoque tempore et per magnam noctis partem, si non per illam integram fere semper acerbiores esse solent, vt somnum vix breuem et interruptum admittant; ex quo autem aegri expergefacti, tantum abest, vt leuamen percipiant, vt potius nouam doloribus violentiam inde accessisse persaepe et plerumque conquerantur, donec morbus manifestam in declinationem transierit. Non tamen ita semper vehemens morbi decursus reperitur, quippe qui et diuersi generis varietatibus, ratione febris, et dolorum atque sedis horum permutationis frequentioris obnoxius est. Sunt, quibus minor febris ratione dolorum apparet, et vicissim sunt quoque, quibus pertinacius ac diutius ad aliquam partem se dolores figunt.

§. VIII.

Quum ad suum morbus vigorem adscendit, quem conturbata vrina et ejusdem insecuta hypostasis indicare solet, quique saepius ad primae, non-

nunquam

nunquam vero ad ſecundae vel tertiae hebdomadis finem incidit, ſudores inprimis partium dolentium ac tumidarum leuamini eſſe ſolent, qui tunc dolorum exacerbationes fere plerumque ſubſequuntur. Tenacior aliquando materies in affectis partibus per cutis poros exprimitur, cui peculiaris ſubacidus et penetrantior eſſe foetor ſolet. Qui autem ſub initio et incremento morbi vel ſponte incidunt, quod non raro fit, vel arte mouentur, ſudores, non facile quid conferunt, vt morbus reddatur tolerabilior, ſaepius vero efficiunt, vt pertinacior longiorque fiat. Aliter ſe res habet cum ſanguinis profluuiis, praeſertim ex naribus, et cum vomitionibus colluuiei mobilis corruptae, quibus vtrisque vis morbi, antequam ad vigorem peruenerit, ſubinde infringitur. Porro autem declinante morbo, quem mitior dolorum gradus, breuiorque duratio, rediens melior appetitus, minorque a ſomno moleſtia facile deſignant, alia quoque incidunt, quae ad aegri ſalutem conducunt. Interdum ſcilicet aluus, quae per morbi initium et incrementum ſtrictior fuit, nunc ſolutior fit, verique ſimiliter tunc ad morboſam materiem e corpore eliminandam quoque iuuat. In aliis vero vrina manifeſtius morbum ſoluit, cum illa ſedimentum plures per dies demiſerit copioſum, quod flaueſcentis tunc plerumque coloris deprehenditur. Sanguinis quoque ex haemorrhoidalibus vaſis, et ex vtero in feminis profluuia, ſanando morbo conferunt; tantum vero non ſemper largiores

sudores sub morbi finem accedunt, iisque inprimis tunc sensim febris omnis dispellitur, omnique dolore articuli liberantur. Dubii leuaminis sunt exanthemata purpurea, quae interdum ante morbi vigorem in cute efflorescunt, vbi major in sudores symptomaticos propensio est, neque criticis morbi perturbationibus semper respondent, siquidem nonnunquam morbo fere sanato et cum febris cessarit, adhuc superesse obseruantur. Vbi vehementior morbus fuit, et aliqui prae aliis articuli grauius, aut frequentius, aut diutius doloribus atque tumoribus affecti fuerunt, praesertim vbi crisis non perfecte absoluta est, manet facile aliquamdiu, postquam febris et atrocia dolorum cessarit, iis in articulis torpor, motusque difficilior, nonnunquam tumor, aliquando et dolorem creat flexio vel extensio membri istum ad articulum. Talesque reliquiae nonnunquam per aliquot hebdomades, immo et per menses et annos perseuerant, pro varia indole sua, vel sponte et insensibiliter, vel per criticas peculiares excretiones aut metastases, vel per artis quoque adhibita auxilia, quae naturae subueniunt, demum auferenda; aliquando autem illae, si negligantur, vel peruerse tractentur, per integram vitam perdurant. Refractaria autem diuturnae hujusmodi affectionis indoles praecipue quoque declaratur nodis durioribus, ad articulos passim exortis, qui, cum crises non ex voto successerint, aliquando subsequuntur; atque tunc affectio haec eo fit pertinacior,

cior, firmioresque radices agit, quo diutius ſibi relinquatur. Sed hinc etiam elucet, qua ratione fieri poſſit, vt arthritis fixa non febrilis, eam, quam deſcripſimns, febrilem, tanquam effectus, inſequi poſſit. Ceterum quoque ex impedita ordinaria, quam antea indicauimus, criſi, ad partes internas, non ſine inſigni periculo, morbi vis nonnunquam vergit, atque inde capitis, pectoris, aut abdominis, inflammatoriae ſpaſticaeque affectiones facile oriuntur. Ad ſuppurationem rarius affectio iſta, etſi indolis ſit inflammatoriae, deuenit; ſuccedere tamen et haec ipſa poteſt prope articulos grauius affectos, experientia teſte, praeſertim laborantibus ſimul propinquis partibus muſculoſis.

§. IX.

Arthritis vaga non febrilis autem ad morbos chronicos omnino referenda eſt. Vbi febris aliqua cum hoc morbo complicetur, vel etiam lenta quaedam febricula illi accedat, magis dubie tamen morbo arthritico ita reſpondent, vt alicujus momenti auxilium ad ipſam ſoluendam arthritidem inde exſpectare liceat. Nonnunquam, vt modo dictum, febrilem arthritidem vagam ob minus perfectam ejus criſin inſequitur; verum tamen et aliquando ſponte ſenſim naſcitur. Atque hujus generis vagae arthritidi praecipue obnoxii ſunt homines debilioris conſtitutionis corporis, in quibus nempe languet vis vitalis, quibus ſerum aut pituita abundat, neruoſi-

que ſyſtematis vigor vndecunque imbecillior fuerit, et quorum corpora ad febres minus eſſe procliuia conſtiterit. Vbi ab origine vel nulla, vel perexigua et incerta febris in hujusmodi corporibus fuerit, dolor mitius vexare ſolet corporis articulos ac in priori ſpecie; neque in his facile aliquis tumor, rubor vel calor praeter naturam deprehenduntur. Subinde arctis limitibus circumſcriptus eſt locus dolens, reſidetque plures per hebdomades morbus v. g. in vno quodam digito, vel in coſtarum aliqua, vel in parte nuchae etc. alioque tempore aliam iterum afficit partem. Ad internas partes abire quoque poteſt, ibique varia mala creare; in pulmonibus tuſſim vel aſthma prouocans, eademque ſaepiſſime pertinaciora, in ventriculo cardialgiam, in inteſtinis dolores colicos ac diarrhoeas grauiores, quae omnes periculo haud vacant, in veſica etiam, partibusque vicinis ſimiles illis doloribus, qui ex calculo in veſica habitante prouenire conſuerunt, vt et morbus pro calculo veſicae haberi queat. Quamuis autem ad haecce viſcera delata morbi materies periculum ſubinde minetur, minus tamen ab his translationibus ex chronica hac et ſine febre incedente vaga arthritide, quam ex altera, quum in illa ejusmodi decubitus anomali ad internas fiant partes, plerumque metuendum habemus. Sed probe diſtinguenda eſt arthritis haecce non febrilis, quae lente, nec memorabili cum circulationis auctae impetu in debilioribus exoritur, ab illa, quam relin-

quit

quit nimis cito desinens arthritis febrilis manifestiusque inflammatoria, quum posterior minus indolem vagae affectionis seruare, pluriumque saepe articulorum pertinaciorem immobilitatem sistere, atque nodosas frequentius in articulis protuberantias conjunctas habere soleat. Praeterea et mitior illa lentior veriusque vaga sine febre incedens arthritis, rheumaticis similibus affectionibus magis affinis, deprehenditur, cum hisce nonnunquam conjungitur, vicemque permutat, quae certe longe minus in illa locum habent, quam vehementior febrilis critice non soluta relinquit.

§. X.

In caussas nunc etiam praecipuas antecedentes inquirendum esse existimo, quae hominum corpora ad arthritides vagas, occasione data suscipiendas, aptiora reddere et praeparare quasi antea possunt. Et ideo quidem primo loco insigne discrimen maxime notandum videtur, quod aetates atque sexus quoad dispositionem ad arthritidem intercedit. Minus feminae arthritidi febrili et vehementius inflammatoriae, quam mares obnoxiae reperiuntur, etsi nequaquam plane ab illa tutae sint. Eae autem facilius reliquis hoc morbo corripiuntur, quae robustiora et plethorica habent corpora, et consuetum lunae tributum parcius soluunt. Non raro autem chronica tali affectione vexantur, atque febrilis arthritis apud illas difficilius perfecte et breui solui

solet, quam in virili sexu; eademque haec in feminis frequentius arthriticas affectiones chronicas relinquit. Neque facile arthriticis doloribus laborant pueri et adolescentuli; praecipue vero iis vexantur, qui in adulta et confirmata aetate jam sunt constituti. Rarius quoque in profectiori senectute corpus adoritur arthritis, nisi jam antea ea correptum fuerit. Illi autem prae ceteris facilius cum febre arthritici fiunt, qui magis irritabile habent systema neruosum, ingenio praediti sunt viuidiori, sanguinemque non valde tenuem in corpore gerunt non nimis laxo. Praeparat corpus talem ad arthritidem victus lautior, vel qui saltim commode digeritur, et majorem sensim nutrimenti copiam in corpus infert, quam ad id sustentandum alendumque requiritur. Ii vero facilius etiam arthritici euadere, pertinaciusque tunc affici, et chronica quoque ista labe corripi solent, qui frequentiore comissatione, aliasque potu vinoso et spirituoso nimis delectantur, vinisque praesertim subacidis, vt Rhenanis, Mosellanis, Franconicis abuti consueuerunt. Non enim solum vini acidum plus terrearum partium ex alimentis in sanguinem ducere verosimile est, quae postea in articulos deponi possint, sed et ipsa tartari, quae hisce vinis inest major copia, materiam quoque arthriticam forte suggerit. Quare ea quoque vina, quae in arenosis terris crescunt et minorem tartari copiam continent, non tam facile arthritidem creare obseruatum legitur, quam quae in terra

argil-

argilloſa et pingui proueniunt, quibus major tartari quantitas ineſt. Eos etiam, qui a liquorum deſtillatorum vſu nimis cito ad tenuiores tranſeunt, magis arthritidi obnoxios eſſe, obſeruationum fide conſtitit. Non mirum igitur eſt, inter opulentiores magis frequentem eſſe arthritidem, quam inter pauperes, vtpote qui non tam facile per luxuriam corpus ſuum laedunt atque ad hunc morbum diſponunt, quam iſti. Neque minus immoderatus Veneris vſus, aliaque, vnde pertinacior in ſyſtemate neruoſo imbecillitas oritur, vt curae et ſollicitudines, vigiliae, protractae nimis meditationes, et cet. inter cauſſas, quae ad arthritidem, praeſertim chronicam, diſponunt, referri merentur, ſiquidem inde excrementitiae partes in humorum maſſa magis accumulantur, et pituitae inprimis et acori generandis colligendisque facile anſa praebetur. Simili ex ratione otio ac ceſſatione torpeſcentes in morbum noſtrum frequentius delabuntur, in his enim non ſolum chylificatio, ſed etiam ſecretiones atque excretiones difficilius ſuccedunt, vnde major copia materiae, quae ad articulos depelli poſſit, facile colligitur.

§. XI.

Diſpoſitio haereditaria quoque ad chronicas arthritides vagas concipiendas plurimum conferre videtur. Parentes arthritidi fixae obnoxii, vbi ante generationem periodico tali malo jam labo-

rauerint, tantum non ſemper progeniem ſiſtunt, ad hunc morbum magis diſpoſitam, ita etiam, vt ſi vix vllas ex recenſitis cauſſas praegreſſas in ſobole animaduertas, tamen opinione citius atque pertinacius haec iſto morbo corripi ſoleat, quod innumeris quidem veterum ac recentiorum teſtimoniis maxime confirmatum deprehendimus. Ob ſingularem autem affinitatem, quae vtrasque inter arthritidis vagae ſpecies cum arthritide fixa obſeruatur, metuendum quoque ſemper exiſtimamus, ne grauior et manifeſtior parentum ad vagas arthritides diatheſis cum ſobole communicetur, ſuo aliquando tempore in hac ipſos ad morbos hoſce anſam datura. Praeterea, cum praecipua quaedam viſceribus hypochondriacis inſit poteſtas, tum ad integritatem humorum conſeruandam, tum ad variam iis adducendam labem; atque non ſolum complures ex memoratis antea cauſſis primariam fere efficaciam in haec viſcera exſerere ſoleant, ſed in ipſis etiam arthriticis affectionibus tam ſaepe alienata humorum in primis viis indoles reperiatur, hisque eductis hi morbi multum leuentur; non dubitamus, deprauatam, quae his in viſceribus fit, ſecretionem, ita forſitan vt peculiarem ad acorem extricandum et colligendum juuet, cauſſis horum quoque morborum accenſere. Etiam phthiſicae diatheſi, vbi debilitas pulmonum, et in catarrhos leuioresque haemoptyſes et ſputa frequentia pronitas eſt, cum graciliori corpore, perſaepe arthriticae affectiones,

prae-

praeſertim febriles, et in articulorum nodos tranſi-turae, leuamini ſunt, atque, cum nec difficulter male tractatae arthritides aut harum, ex naturae imbecillitate aliisue cauſſis exortae, anomaliae phthiſi anſam praebeant, veram omnino deprehendimus hos inter morbos cognationem. Minus recte ſuccedentes febrium tum continuarum tum intermittentium criſes, eaedemue mala medicatione impeditae, atque dyſenteriae et bilioſae diarrhoeae, absque juſta cautione cohibitae, et generatim bilioſae indolis morbi, quum vitioſa, quae primas vias occupauerat, colluuies educta haud fuit, non raro in varii generis vagas arthritides degenerare ſolent. Scorbuticam denique diſpoſitionem, ſiue grauiorem, vt in epidemico veroque ſcorbuto, ſiue mitiorem, quae paſſim ſporadice deprehenditur, rheumaticis etiam et arthriticis affectionibus, cum vel ſine febre oriundis, multum fauere, experientia omnino ſatis conſtat, etſi quoque ſaepius ſine re culpa in illam poſita eſſe videatur.

§. XII.

In corpore autem, memoratis ex cauſſis ad arthritidem diſpoſito, facilius ſaepe ſuſcitatur ipſe morbus, acceſſu variarum cauſſarum euidentiorum occaſionalium; etſi etiam illae, quas expoſuimus, in multis ad morbum euoluendum ſufficere queant. Ita nonnunquam culpa manifeſtior tribuenda eſt peculiari tempeſtatum viciſſitudini, qua frigidior cum

 acriori,

acriori, praesertim boreali, vento, praegressam calidiorem insequitur. Nonnunquam mediocre sufficit refrigerium, vbi corpus impurum et ad morbum valde dispositum fuerit, ad arcessendam arthritidem. Manifestius enim impedita perspiratio insensibilis, aut sudor cohibitus per ejusmodi aeris vitium, morbum hunc eo facilius producit, quo magis illa excretio impuriori corpori necessaria fuerit. Ceterum aer quoque humidus hic accusandus est, qui perpetuo quasi balneo irrorat fibras, easque laxiores simulque magis irritabiles reddit, vt majorem mutationem in iis producere valeat, alias minus sensibilis aeris, quoad calorem et frigus, vicissitudo. Atque in talibus tempestatum conditionibus caussa nonnunquam euidentior haeret, quare et plures cujusdam regionis vrbisue incolas subinde epidemice hic morbus corripiat, quamuis et lubenter largiar, occultiores aliquando, vt aliorum morborum epidemicorum, ita quoque arthritidum atque rheumatismorum aliquo tempore in populo vagantium, origines esse, quam vt ex his aliisue caussis breui praegressis deriuari queant. Sed et post comissationem mox apparere possunt mali initia, morbo ipso subsequente, inprimis si alimenta magis nutrientia et aromatibus permista, copiosius ingesta fuerint, corpore ad morbum satis disposito. Dein et praecipue huc pertinet vehementior animi, quae in ira fit, perturbatio, inprimis cum studiose supprimatur vel celetur; et similiter ex perpessa injuria grauis atque su-

ſubita ſollicitudo, quibus nempe celeriori hujus morbi generationi ſaepius anſa praebetur. Neque iam tunc maxime bilis varie corruptae ad praecordia major accumulatio deprehenditur. Quando quoque excretiones quaedam conſuetae majoris momenti, pedum v. c. ſudores, aut haemorrhoidales varii fluxus, mulierumue catamenia, aut puerperarum lochia, aut albus quarundam ex genitalibus fluor, aut ſolitae in nonnullis ſputi ex pectore rejectiones, aliaue talia intercipiuntur, vel exanthemata chronica intra corpus retropelluntur, vel vlcera corporis antiqua juſto citius perſanantur, arthritis breuiori tempore inde naſci poterit. Pariter facile hic morbus breui excitatur, cum ſub finem bilioſarum quarumcunque febrium, antequam appetitus ex voto redierit, atque ſigna ſtagnantis ad praecordia bilioſae alienae materiae plane ceſſauerint, animalis victus et alia, quae roborandis aegri viribus efficacius inſeruire queant, aegro conceduntur aut commendantur. Denique et alia plura ex recenſitis jam cauſſis citiorem promouere morbi hujus eruptionem poterunt, vbi ad hanc valde apta jam fuerit corporis diatheſis, vt leuis aliquando cauſſa morbum effeciſſe videatur, quae tamen exiguum modo momentum aliarum praecedentium noxis attulit.

§. XIII.

Ad difficiliora progredior, de cauſſa nempe acturus proxima, ipſiusque modo ac ſede. Humorum

rum conditio in febrili arthritide vaga eo magis ad eam ipsam accedere solet, quae et in grauioribus aliis inflammatoriis febribus deprehenditur, indeque phlogistica nuncupatur, quo manifestior continua febris, quo corpus robustius, quo durior pulsus, quo praeterea dolor et rubor et tumor et calor in articulis vehementiores fuerint. Atque hoc ipsum quidem, tum caussarum praecedentium indoles, tum conjuncta morbo phaenomena, tum quoque curationis, quem hic affectus cum illis febribus persaepe communem postulat, aequalis ac in hisce successus, omnino satis euidenter declarant. Non facile quis aliter HIPPOCRATEM intellexerit, vbi is arthritidis voce specialiter, vt supra indicauimus, pro arthritide nostra vaga febrili vtitur *k*) Neque hanc ejus sententiam ab illa seriorum ex veteribus scriptorum, qui hos consuluerit, plane recedere animaduertet, quamuis hi ipsi omnino clarius frigidi quoque nec febre simul comitati hujus affectus mentionem fecerint *l*) Et obseruatione recentiorum, tum quibus placuit, rheumatismi nomen huic ipsi morbo tribuere, tum et qui arthritidis nomen seruarunt, illud ipsum manifeste satis confirmatur. Similis est corporum, secundum hos fere omnes auctores, quae pleuritidi et huic arthritidi vagae febrili

k) *Loco supra allegato, nempe Libro de affection. Lind. T. II. p.* 180. *Sect. XXXI. conf.* PROSP. MARTIANI *Comment. in* HIPP. *p.* 149.

l) *v.* ARETAEVS *de caussis et sign. morb. diut. C. XII.* CAEL. AVREL. *Morb. chron. L. V. C. II.*

brili inflammatoriae facilius obnoxia ſunt, conſtitutio; vtrobique aequa fere venaeſectionis repetitae et antiphlogiſticae curationis reliquae neceſſitas et ſalutaris efficacia, nec diſpar ſanguinis e vena miſſi conditio, neque naturae diſcrepans ἐνεργεία in criticis per vrinam craſſam atque ſudores excretionibus. Sollicite praeterea notandum cenſemus, implicatam haud raro, ſi non ſemper, phlogiſticae ſanguinis in hacce arthritide diatheſi, et magis quidem atque frequentius quam calido in ſimplici rheumatismo, colluuiei biblioſae noxam deprehendi, quod omnino quouis in aegro, vt feliciori potiamur curationis ſucceſſu, probe inquiſiuiſſe operae pretium erit. Praeeuntem hac etiam in doctrina ipſum HIPPOCRATEM habere licet, qui *a bile et pituita, quum commotae in articulos incubuerint*, eandem arthritidem deriuat; typhique ſpeciem alibi, *m*) huic ipſi morbo non diſſimilem, deſcribit, in quo *bilem corruptam ſanguini admixtam articulos maxime, licet etiam quandoque totum corpus reliquum, afficere, doloresque acutos exhibere*, docet. Addit, vnde quidem arthritici morbi character magis declaratur, *multos ex hujusmodi morbo claudos fieri, cum bilis in articulis concluſa, in tofum calleſcit.* Ceterum et hoc vlterius confirmare videtur ipſa ejus doctrina, de variis alienatae viſcerum, quae in praecordiis ſunt, functionis indiciis, in humerorum doloribus, in

iſchi-

m) *de intern. affect. C.* XLIV. *Lind. T.* II. *p.* 249. *Foeſ. edit. Genev.* 1657. *p.* 554.

iſchiade, et in doloribus articulorum non podagrico modo ſe habentibus. *n*) Ex quibus vel id adſertum notaſſe haud parum juuat, *hunc morbum his fieri, quibus in pueritia et juuentute ſanguis ex naribus fluere ſolitus, deſiit.* Cujus fluxus ſpontanei primariam et frequentiſſimam in praecordiorum vitio cauſſam eſſe plurima et euidentiſſima veterum dicta, et quotidiana cujusque attentioris obſeruata maxime omnino confirmant. *o*) Valde quoque hoc reſpectu memorabile eſt, quod eodem loco addit HIPPOCRATES: *quodſi foedus color in his hominibus appareat, interrogandi ſunt, num capitis etiam dolor adſit, hoc enim fatebuntur. p*) Etiam BALLONIVS, cum docuerat, *rheumatiſmum et arthritidem ut affines ſint cauſſa, orgaſmo, et ſymptomatis, ita paris etiam curationis eſſe participes*, hujus vltimae ſimilitudinis primarias partes dum recenſet, alia inter et haec habet: *caput falſo in omni arthritide accuſatur — hepati, lieni potius eſt conſulendum quam capiti. Et hic ſollertia Medici requiritur. Color faciei ſaepe eſt index et judex pro origine mali. q*) Vtque per πάλινδρομὴν ad interiora plures enaſcuntur, vario gradu bilioſi morbi, eosque inter et dyſenteria, quae forte plerumque aliquo modo bi-

n) *Prorrhet.* II. *Sect. XLIV-XLVIII.* Lind. *T.* I. *p.* 519-521.

o) *Conf.* LOMMII *obſeru. medic. Amſt.* 1761. *p.* 36 *et* 96. *et Perill.* v. SWIETEN *Comment in aph. Boerh. edit. Amſt. T.* II. *p.* 461. 462

p) *Prorrhet.* II. *Sect. XLVII. ad finem.*

q) *Quaeſt. med. an arthrit. et rheumat. congeneres. Oper. edit.* TRONCHINI *T.* IV. *p.* 333. 334.

biliosa, quam et arthritidi fixae HIPPOCRATES, *r*) et MVSGRAVE, *s*) ad aegri salutem et leuamen, instar ferocis autem et maligni affectus rheumatismo, quem a feruido hepate gigni putat, accedere FRANC. MANDAT *t*), adseruerunt; ita quoque similibus morbis praegressis, quasi per μετάπτωσιν, ejusmodi arthritidem oriri posse, complurium obseruationum fide satis constat. Ita enim HIPPOCRATES: *intempestiue suppressa dysenteria abscessum* (απόςασιν) *in costis aut visceribus aut articulis inducit; ac forte biliosa in articulis, sanguinea vero in lateribus aut visceribus. u*) Alibique, *v*) varia inter mala, quae dysenteriam sedatam insequi soleant, etiam *dolores ad crura et ad coxam* refert. Exempla quae horum veritatem euidenter confirmant, reperiuntur in accuratissima de dysenteria tractatione ill. ZIMMERMANNI. *w*) Neque vero quoad alios morbos, quos bilioso etiam humore acriori calido et abundante excitari constat, similes deficiunt obseruationes, quae illos minus perfecte solutos, critico quasi molimine, in arthritides hasce febriles et similes rheumatismos transiisse declarent. Ita enim et erysipelati, et intermittentibus tertianis et quotidianis febribus, variisque con-

r) *Prorrhet.* II. *Sect. XV.*

s) *De arthrit. anom. C. V.*

t) *Quaest. Med. an a rheumatismo dysenteria κακοηθής.* BALLONII *oper T.* IV. *p.* 335.

u) *Coac.* 462.

v) *De victu acut. C. LIV. Lind. T.* II. *p.* 312.

w) *Von der Ruhr unter dem Volke*, VII. *Cap.*

continuis biliosis, hujusmodi aliquando arthritides et rheumatismi, vbi illi morbi ad perfectam crisin non peruenerunt, et praesertim cum haec ipsa nimis nutriente diaeta, corticeue Peruuiano mature nimis exhibito, praepedita fuerit, haud valde raro succedere obseruantur. Ceterum et, vbi tales, quae biliosi morbi indolem declarent, origines plane lateant, in febrili tamen arthritide etiam primaria, ipso rerum vsu comprobante, vera saepius deprehenduntur delatae ad primas vias biliosae colluuiei indicia, quorum qui cautam prouidamque in medendo rationem habuerint, de integriori sanatione procurata iis facilius gaudere licebit.

§. XIV.

Jam vero et ejusmodi aliquando, nec raro quidem, humorum tum ad primas vias confluentium, tum per vasa corporis distributorum conditio in vaga arthritide offenditur, quae manifeste distet a calidiori illa phlogistica et biliosa diathesi. Ita enim haud comparata esse solet humorum indoles, vbi tali arthritide corripiuntur laxiora debilioraque corpora hominum, vitae sedentariae addictorum, neruorumque hypochondriacis hystericisue affectionibus obnoxiorum, quibus etiam chylopoiesis difficilius succedit, acidumque saepius in primis viis nasci solet, et eorum praesertim, qui vini subacidi, et spirituum ardentium potatione sibi nimis indulserunt. His deficit saepius naturalis densitas sanguinis,

his

his inertior bilis, his intricatior plerumque, quam tamen generaliter vix vnquam, nec in ſpeciali caſu ſatis plene, quis definiuerit, craſeos ſanguinis et ſeri humorumque ſecretorum alienatio. Facile et frequenter in horum arthritide aliquis acor, primas vias occupans, ſuis e ſignis innoteſcit, cujus etiam dein circulantes in vaſis humores vario gradu participes fieri poterunt; facile quoque praecipitatae quaſi ex mixtione humorum pituitae ſigna in corpore apparent; facile praeterea viſcerum in primis hypochondriacorum quidam in functionibus languor animaduertitur. Ejusmodi autem corpora vbi arthritide vaga cum febre corripiantur, eademque non nimis exigua, atque vbi atrociores dolores fuerint, difficilius ex integro ſoluitur morbus, frequentiusque nodi remanent in quibusdam articulis, quos dolor vehementior occupauerat, vnde rigidi fieri ſaepeque diſtorqueri ſolent, nonnunquam tamen, etſi perraro, aliqua in parte ſubſequi ſuppuratio poterit, *x*) aut alio modo modo quoque, ſed poſt longius temporis ſpatium, natura, praeſertim artis auxilio exactius leuata, per vrinam albam craſſam, ſudores, narium haemorrhagiam et haemorrhoides, vel per metaſtaſes criticas, vlcera prae-

ſertim

x) Hujus obſeruationes inter alios habent: CAR. PISO *Select. obſ. et conſil. de praeternat. hact. morb. a ſeroſa collu. ort. edit.* BOERH. p. 389. BONETI *Sepulchr. L. IV. Sect.* VIII. *obſ.* VIII. IX. *Conf.* et BALLON. *oper. T. IV. p.* 336.

sertim chronica et aliquam scabiei speciem y) ex incerto hoc atque difficili negotio in meliorem aegri salutem se extricat; aliquando vero rebus minus cedentibus, deficiente praesertim naturae vigore, et grauior facile alius insequitur morbus. z) Plurimae vero sunt hujus diatheseos cacochymicae in arthriticis varietates, vt nunc magis minusue simul ad phlogisticam inclinet, nunc magis minusue integriora simul viscera, robustioresque vel debiliores neruosi systematis vires conjunctae reperiantur, nunc major minorue ad pituitae, ad articulos depositae, tophacea concrementa pronitas adsit. Videtur tamen cum arthritide vaga, etiam manifeste et valde febrili, et quam inflammatoriam nominare nemo facile dubitauerit, saepius, et frequentius quidem quam cum simplici rheumatismo calido, siue vago sive fixo, aliqua conjuncta esse cacochymia, apparenter ad aciditatem quodammodo vergens, sero praesertim varie corrupto intertextam. Hujusque adserti argumenta complura attentior quisque passim deprehenderit, tum in minore pro caloris febrilis ratione siti, tum in copiosa magis et frequente sudoris, etiam sub temperato regimine profusione symptomatica; tum et in linguae muco subflauo, laxius adhaerente, multos per dies colorem suum

y) v. F. HOFFMANNI *Med. rat. syst.* T. IV. P. II. S. II. C. VIII. *thes. path.* §. XVIII.

z) Multa, quae huc spectant, accurate et hodiernae adhucdum experientiae conformia proposuit HIPPOCRATES *Praedict.* II. *Sect.* XLVII. FOES. p. 113.

ſuum haud mutante; tum etiam, ſi vomitus quacunque ex ratione inciderit, ex acido ejectae ſaburrae ſapore, viridique bilis colore; tum in alui tarditate, majori quam vt aliis praeter inertiam bilis praeſentibus cauſſis reſpondeat; tum et praeterea in foetore illo peculiari ſubacido penetrantiori ſudoris et ſqualoris, remittente articulorum dolore ſaepe obſeruabilis; tum denique in perfrequente pronitate febrilis etiam vehementioris vagae arthritidis, cum haec ipſa vel ſibi relinquatur, vel natura minus ex arte ſubleuetur, vel etiam per nutrientia et roborantia intempeſtiua, aliisque modis criticae excretiones impediantur, in chronicam ſenſim cum durioribus articulorum nodis affectionem tranſeundi, nephritidemque a craſſiori pituita, vel eandem ſabuloſam, in ſocietatem ſibi quoque arceſſendi. Et hancce quidem materiem, quae in concrementa duriora facile tranſire queat, nonnullis tartarea, aliis tophacea, aliis calcarea dicta, ipſius arthriticae nomine plures diſtinguunt, ideoque ſimilem alioquin arthritidi morbum, in quo materies haec defecerit, quod ipſum de rheumatismo Ballonii, Sydenhami, Boerhaavii etc. creditur, alio etiam inſigniendum eſſe nomine contendunt, *a*) Hanc ſi concederemus argumentationem, multas quoque alias utiliſſimas morborum denominationes ac partitiones abrogandas haberemus; tunc v. gr. nec pleuritis nec

 peri-

a) Conf. inprimis ill. PRINGLE *Obſerv. on the Diſeaſes of the army* P. III. *Ch.* 2. §. 7.

peripneumonia nec angina vlli dici morbi deberent, niſi quibuscum ea, quam inflammatoriam vocant, ſanguinis diatheſis conjuncta foret; immo ne quidem tunc rheumatiſmus dicendus eſſet morbus, de reliquo illi etiam vere ſic dicto, quoad partes dolentes et affectionis ex critico molimine originem, ſimillimus, qui non etiam inflammatorius foret, atque ſanguinis miſſionem poſtularet. Et quot non mutationibus obnoxia eſſent generica morborum nomina, ſi haec ad doctorum de indole cauſſarum placita, ſemper noua quibuslibet affectionibus imponere liceret. Annon vero et ipſe BALLONIVS, qui equidem et libenter pluribus in locis admittit, a ſe deſcriptum rheumatiſmum pro arthritide vniuerſali haberi, *b*) ſua, quam adducit, obſeruatione, humorum in rheumatiſmo, ſuo quodammodo ſimile vitium eſſe ac in ſtrictius a ſe dicta arthritide confirmat? dum nempe ait: *reuera qui iſtum rheumatiſmum bis aut ter ſunt experti, vix (niſi ſibi caueant conſulantue) tormentum arthriticum vitare poſſunt, vt iſte rheumatiſmus ſit velut* πρόδρομος et προπαρασκευή *ad arthritin. c*) Neque vero, experientia teſte, opus, bis terue quem iſto BALLONII rheumatiſmo affligi, vt mani-

b) *Libro de rheumatiſmo; opp. T. IV. p.* 325. vbi de rheumatiſmo vniverſali clare dicit: *aegri eo ſe modo habent toto corpore, quo arthritici in ſuo paroxyſmo in vno aut paullo pluribus partibus; videtur enim haec affectio eſſe arthritis vniuerſalis. Conf. ejusd. Quaeſt. med. an rheumatiſmus et arthritis congeneres? Opp. T. IV. praeſertim p.* 333.

c) *L. c. p.* 316.

manifeſtiori arthritide etiam nodoſa inde corripiatur, cum aliquando talis affectio, quae ſecundum illum aut SYDENHAMVM rheumatiſmus dici debet, vno morbi decurſu quatuor vel ſex hebdomadum ſpatio, qualia ill. Praeſes aliquot exempla, ſua ex obſeruatione, mihi narrauit, ſubnaſcatur. Suffecerit autem praeterea SYDENHAMVM allegaſſe *d*), et MVSGRAVIVM *e*), qui ſimilia de morbo noſtro, quem rheumatiſmum vocant, retulerunt.

Vix ergo dubitandum cenſeo, quin et morbus hicce, inflammatoria nempe vaga arthritis, de humorum illa indole ad concretiones terreas prona, vnde veriorem arthritidem dignoſcere ſolent, quodammodo ſaepius participet; quamuis lubenter largiar, in ſuſcipienda illius curatione, quamdiu praeſertim in ſtadio et inflammatorio, vix quid vel parum haud raro intereſſe, num ad latentem illam humorum indolem ſimul reſpiciamus. Vrinae quidem conditio eandem, ad concrementa tofacea idoneam, humorum indolem ſaepius et manifeſtius declarare perhibetur, vbi vel innatantia filamenta habuerit, vel ipſa etiam vrina gelatinoſa aut mucoſa fuerit, et inſtituta ejus exſiccatione pars reſidua in calcaream materiem tranſierit. *f*) Sed in ipſa quoque inflammatoria vaga arthritide, ad aliorum rheumatiſmos referenda, iſti analoga in ſero gelatinoſi-

 tas

d) *Oper. univ. ſect. VI. C. V. edit. Lugd.* 1754. *p.* 273.

e) *De arthritide ſymptomatica C. II.* §. *VI.*

f) Conf. ill. PRINGLE *l. c.* BAGLIVI *oper omn. p.* 117.

tas ſubinde reperta fuit. Refert ill. STOERCK de ſanguine hoc morbo affectorum e vena miſſo, quod ſerum poſt quatuor vel quinque horas inde ſecedens virgula eleuatum fila egerit, g) quod etiam ex apertis tumoribus, collecta in vno aliquo loco materie morboſa natis, ſerum viſcidum, quod leni calore inſpiſſari potuit, effluxerit. h). Copioſam gelatinam in veſica, emplaſtro epiſpaſtico in ſimili plane aegrotante ad ſuram ſummo cum leuamine excitata, ſe vidiſſe refert ill. ZIMMERMANN i). Quoad vrinam arthritide febrili vaga laborantium plurimae varietates occurrunt. Nonnumquam enim ad ſubſidentiam non peruenit, licet bene et ex integro ſolutus appareat morbus, nonnumquam illa ſub criſeos tempore ſedimentum demittit furfuraceum, rubelli et ſubfului, vel albi coloris; quare ergo perſaepe ex ejus conditione nihil certi de praeſente illa materie ad concretiones duriores prona, colligendum videtur.

§. XV.

A multis quoque et claris viris inter frequentiores arthritidis, et vagae praeſertim, ſine febre affligentis, cauſas diatheſin ſcorbuticam referri conſtat. Nimis procliues ad culpandam hancce morborum chronicorum originem, pariter ac ad malignita-

gnita-

g) *Annus med.* II. *de febre contin. arthrit. et rheumat. p.* 115.

h) *ibid. p.* 117.

i) *Von der Erfahrung I. Th. p.* 390.

gnitatem acutorum, complures medicos, vbi de manifestiori caussa iis non constaret, olim fuisse, nullum plane dubium est. Etsi vero nequaquam statim ex aliqua caussarum praecedentium, et symptomatum scorbuti atque cujusdam arthritidis conuenientia, neque ex medicamentis variis in vtroque morborum genere haud raro proficuis, a scorbutico humorum vitio hanc arthritidem pendere concludendum sit; quum tamen et vere scorbuticis arthritici rheumaticique artuum dolores non valde infrequentes reperiantur, atque tot taliaque signa scorbuticae affectionis, quibus arthritis sponte superuenerit, nonnumquam occurrant, vt de illa temere dubitaretur; certe non est, quod originem illam rejiciamus, aut pro ficta dubiaque declaremus. Ipsi etiam ceteroquin maxime cauti in accusanda diathesi scorbutica, Sydenhamvs et Mvsgrave ex illa tamen hos artuum morbos oriri posse propria quoque sua obseruatione confirmarunt, et ille quidem de rheumatismo, *k*) hic de arthritide aeque vaga ac fixa *l*) id clare adseruit; etsi quidem de ea Sydenhami sententia cum ill. Pringlio dubitemus, num et longus ac repetitus corticis Peruuiani vsus vere scorbutico rheumatismo producendo par sit; libentiusque summo huic Viro assentiamus, ex minus perfecta et impedita crisi febrium pertinaciorum et irregularium intermittentium dolores hosce deriuanti,

k) *Oper vniu. S. VI. C. V. p.* 277.
l) *De arthrit. symptom. p.* 32. *et* 34.

uanti, illosque pro arthritide vaga potius quam pro rheumatiſmo habenti. Mvsgravivs vero in conſtituenda ſpecie illa arthritidis, cui ſcorbuticae cognomen impoſuit, primum reſpexit ad cauſſas ſcorbuti remotiores, quae et huic arthritidi anſam praeberent, victumque inprimis memorat ſalſum et craſſum, tum etiam huic morbo cum illo communem adducit δυσπεψίαν, dein ad acre, ſaltem alienum quoddam, in ſanguine vtrobique praeſens, atque hunc valde inquinans, poſtremo ad naturae conatum graue quid eliminandi, et per glandulas quidem articulares in hac arthritide, per ſaliuarias autem et per cutem alias in ſcorbuto. Quam ipſe quidem hinc oriundam obſeruauit arthritidem, ad fixam potius, ſaepeque genuinam ad podagram, vbi aetas reſpondeat, ſenſim tendere adſerit, licet alibi quoque aliter hunc morbum ſe habere, vt vaga ſaltim affectio ſit, qua varii viciſſim artus infeſtentur, ſimul referat. Etiam ejusmodi ſcorbuticorum dolores, ex vno in alium articulum primum transmigrantes, morbo autem ad ſtatum tendente, in articulationibus inprimis genuum conſidentes, bene deſcribit cl. Rovppe. *m*) Nihil impedit, quo minus et aliquam, in locis, vbi rarior eſt ſcorbutus verus, aliis ſaltem cauſſis conjunctam, nunc grauiorem nunc vero mitiorem, diatheſin ſcorbuticam ad arthritides et rheumatiſmos praeſer-

m) *De morb. na igant.* C. II. S. II. §. *XII. n.* 5. *p. m.* 133.

praeſertim vagos excitandos multum conferre ſtatuamus; quum non cauſſae modo ſcorbuti variae, vt aer valde humidus et frigidus, corporum quies, diuturnior triſtitia, victus durior, hujusmodi artuum affectionibus anſam praebere ſoleant, ſed etiam haud raro aliqua cum chronicis hiſce moleſtiis indicia ſcorbuticae humorum indolis, ex habitu cachectico, ex laſſitudine, ex tenuitate ſanguinis, ex maculis variis et exanthematibus ſcabioſis vel etiam purpuratis etc. conjuncta reperiantur. Neque valde obſcurum haberi poterit, quomodo haec diatheſis, quae deficientem ponit humorum depurationem, eorumque ſponte hinc oriundam qualemcumque corruptionem, et ſecretionem deprauatam, oppilandis paſſim minoribus vaſculis, atque in artus deponendae, vbi naturae vigor adhuc ſuffecerit, humorum vitiatorum parti, anſam praebere queat. Notandum vero hic maxime, et ipſum a Mvsgravio laudatum aduerſus affectiones ſcorbuticas remedium, vini nempe pomacei potationem, quam apud Damnonios, ait, contra ſcorbutum mali moris, inueteratum, crudelem, magnum et difficilem, egregie valuiſſe, *n*) vbi idem nimis vſurpetur, immite et acidum vinum, vehementem illud colicam excitare ſolere, ex qua etiam, vbi confirmatur et jam inueteraſcit, celebris idem Auctor ſubpullulare arthritidem docet, *o*) cum articulorum ἐν τοῖς ἔξω-

n) *De arthrit. ſympt. C. VI. §. V. p.* 33.
o) *Ibid. C. X. §. V. p.* 65.

θεν dolore, tumore, ceteroque apparatu omni, ad purae genuinae arthritidis faciem ordinato. Graphice quoque cel. HVXHAMVS depinxit symptomaticam hancce colicae Damnoniorum, et cum illa nonnunquam alternantem affectionem, quam tamen rheumatismum vocat, etsi juncturis praecipue defixum illum esse dolorem affirmet; in eo etiam a MVSGRAVIO dissentiens, quod ruborem vel tumorem, ipsis sub acerrimis cruciatibus, rarissime vllum dicat obseruari. *p*) Hoc igitur exemplo etiam apparet, quam dubiae ac insecurae sint generales morborum, quales de rheumatismo ac arthritide multis placuerunt, ex caussis in corpore latentibus, praesertim vbi hae de quauis specie probatae haud sint, desumtae ac in medendo vsurpatae, definitiones. Hoc ipsum quoque specie illa arthritidis, tum vagae tum fixae, itidemque illis rheumatismis, quibus venerei morbi ansam praebent, etiam antisyphilitica fere sola medentur, quam maxime confirmatur. Facilem esse migrationem luis venereae in arthritidem testatur MVSGRAVIVS, qui et eo progressus est, vt arthritidis atque luis venereae miasmata, nonnullis ex rationibus, similia, et alterum alteri tamquam germanum existere crederet. *q*) Verum tanta non est argumentorum quae adducit vis, vt in hoc illi assentiri queamus, quum quae eorum praecipua sunt, vtro-

p) *De morbo colico Damnoniorum opp omn. edit.* REICHEL *T. III, p.* 58.

q) *De arthrit. symptom. C. VI.*

vtrobique nempe praefens pertinacius quid, maffam inquinans et corrumpens fanguineam, naturaeque molimen miafmata vtraque e finu fuo ad exteriora, nonnihil fimilibus cum fymptomatibus, ablegandi, pari jure quoque ad alias ab arthriticis et fyphiliticis diuerfiffimas διαθέσεις applicari poffent. Non autem a recenti lue, nec a veteri nimis jam confirmata, carie et vlceribus horrida, fed mediae potius et occultioris conditionis affectione, et vbi puris effluxum propere nimis fupprimere allaborauerint inepti ardeliones, arthritis haec, plerumque faltim initio vaga, fed poft fatis longum aliquando fpatium, fenfim fuboritur. Pro varia conftitutione aegrotantium, et conjunctas alias cauffas, magis minusue haec arthritis fimul effe febrilis poteft, vt quoque rubor, ardor ac tumor in juncturis deprehendantur; nonnunquam vero et fine febre, ac fine vllo certo inflammationis in locis dolentibus indicio, incedit. Praeter alia autem nondum deuicti miafmatis venerei figna, quae hujus arthritidis originem certius denotare queant, etiam hanc ipfam inde fufpicari licet, quum cognitis aliis arthritidum cauffis remotioribus, tempeftatibus v. gr. vel diaetae vitiis, hujus morbi viciffitudines non refpondeant, quum quoque dolores conftantius noctu affligant, et quum fingularis fuerit illorum atrocia, neque hi ipfi vel optimis ad alias cauffas directis remediis, quantum exercitatior merito exfpectauerit,

obe-

obediant. r) Alias nunc ſpecialiores arthritidis vagae, ex variis, praeter recenſita, humorum vitiis origines, a MVSGRAVIO aliisque paſſim notatas, praetermittimus, quum ad jam expoſitas, praeſertim priores, etiam reliquae, maximam ſaltim partem omnino, referendae videantur.

§. XVI.

Ex communi alias omnium et multorum adhucdum ſententia, doloris arthritici ſedes aſſumitur praecipue ipſis in membranis, quae prope juncturas reperiuntur, easdemque firmant, ligamentis nempe et capſulis articulationum, et perioſteo, praetereaque et aponeuroſibus atque tendinibus, ad oſſa vel membraneas ipſas partes defixis. Ita fere jam ARETAEVS mali hujus ſedem definiuit, dicens: *initio vero nerui, articulorum vincula, et quaecunque ex oſſibus orta ſunt et in oſſa inſeruntur, dolere incipiunt.* s) Et maxime quidem memorabilis, quam ſubjungit, obſeruatio videtur: *at iſtorum magnum eſt miraculum, non dolent quidem vel minimum, etiamſi quis ſecet aut collidat.* Vixque dubium apparere poterit ſequentia ARETAEI verba perpendenti, quibus probabilem ſibi explicationem tradit ſenſilitatis earundem partium diuerſae, pro cauſſarum, in arthritide et vulneratione, varietate, quin ipſe argumentationem ex defi-

r) Conf. MVSGRAVE *l. c.* §. VIII. ASTRVC *de morb. vener. L. IV. C. I.* §. IV. *p.* 333.

s) *De cauſſis et ſign. morb. diuturn. L.* II. *C. XII. p.* 65.

deficiente ſectionis in membranis illis dolore, ad ejus iisdem in partibus defectum, vbi humorum appulſorum vi ſollicitentur, infringere voluerit. *Principaliter* quoque CAELIVS ait AVRELIANVS: *paſſio haec in neruis conſtituitur, qui ſunt natura denſiſſimi, et inter articulorum nodos conſtituti, vel in eorum colligationibus. t*) Qui ad ſignificationem veteribus vſitatam generaliorem vocis *nerui* his in illorum dictis reſpexerit, ex adjecta hac voce colligere non poterit, eos etiam extra membranas doloris arthritici ſedem collocaſſe. Sed nec recentiſſima aetate omnes hac ab ſententia receſſerunt. Ita inter alios etiam celeb. HOME rheumatiſmi cauſſam proximam credit eſſe ſerum viſcidum acre vaſa ſeroſa et lymphatica muſculorum, ſed praecipue *membranarum* et *ligamentorum* obſtruens; *u*) idemque arthritidis ſedem ponit in minimis vaſis tendinum, ligamentorum, membranarum, perioſtei, articulorum. *v*) Hujusque de ſententiae veritate ne minimum quidem dubitaſſe videtur cel. CLIFTON WINTRINGHAM, *w*) qui vero et ſolidas omnes noſtri corporis partes, BOERHAAVIVM fere ſecutus, neruoſas habuit. *x*) Neque vero mirum, fere omnes in accuſanda hac doloris arthritici ſede tam facile conſentientes reperiri, quum cutis vna cum ſubjecta celluloſa tela, vbi nullus rubor

t) *Morb. chron. L. V. C.* II. *p.* 560.
u) *Princip. medic. Amſt.* 1766. *P.* III. *S.* III. §. 5.
v) *P. IV. S.* II. §. 7. *p.* 160.
vv) *Tract. de podagra, Lond.* 1752. *p.* 106.
x) *p.* 32.

bor ac tumor adſint, plane inſontes, alias et, hiſce ſerius et cum leuamine accedentibus, partes eaedem ſymptomatice ſaltem affectae, appareant; nec generatim praeterea cutanei et celluloſi habitus conjunctae mutationi doloris arthritici vehementia ſumma ſatis reſpondere videatur; *) et ipſius denique tofaceae materiae ſaepius reperta ſedes easdem partes, quae antea doluerint, probabiliter definiat. y) Aſt omnino tamen perill. de HALLER, quem honoris cauſſa nomino, perpetuo ſucceſſu experimentorum, omni, quam quis modo poſtulauerit, cum accuratione inſtitutorum, et quam plurimorum quidem, permotus, iis partibus ſenſum denegauit, quas alii pro ſede doloris arthritici primaria habuerant. Ideoque de hac alibi omnino quaerenda Vir ſummus ſic argumentatur: *quare videtur ex enormibus torminibus, quae ferunt podagrici aut arthritici homines, ipſa cutis aut ſubjecti cuti nerui dolori ſedem praeſtare, quem ab inſenſili capſula fruſtra exſpectes, et quem denuo hic non quaeras, vbi nerui vel nulli vel aegerrime certe demonſtrabiles reperiuntur.* z) Addit etiam alibi, a) ſe in podagricis tormentis, et cum muſculi a ſcalarum in funiculos ſubterraneos ducentium multo vſu,

aut

*) Conf. v. SWIETEN *Comment. in Boerh. aph.* §. 1259. *T.* IV. *p.* 311.

y) Conf. cel. KRAVSE *Diſſ. de ſenſil. part. corp. hum. Lipſ.* 1765.

z) *De part. C. H. ſenſib. et irritab. in Comment. Soc. R. Sc Goett. T.* II. *p.* 123. *vel Memoires ſur la nat. ſenſible et irrit. des part. du corps an. p.* 22.

a) *Elem. Phyſiol.* T. IV. *p.* 284.

aut a longo praecipitum montium deſcenſu acriter dolerent, *accurate percepiſſe, nullum omnino tendinum ſenſum eſſe.* Etſi vero plurimis quidem tum experimentis propriis, tum et aliorum ſimilia expertorum teſtimoniis haecce confirmauit, et ipſe tamen alios quoque adduxit, qui contrariam adhuc tuerentur ſententiam. Hisque poſtea etiam acceſſit vir celeb. GVALTERVS VAN DOEVEREN, qui et compluribus ſingulari ſtudio et accuratione factis circa ſentiendi facultatem periculis, tendines eorumque aponeuroſes, aliasque membranas, ſenſibilitatis manifeſtae ſigna ſibi ſaepius exhibuiſſe memorauit. *b*) Inter alia vero, quae perill. de HALLER ad contraria quorundam vel argumenta vel experimenta reſpondit, hoc loco praecipue notabilis haec ipſius adſertio videtur: *eorum experimentorum quidem aliqua, et potiſſimum morborum hiſtoriae, ſunt ejusmodi, vt in ipſis ligamentis dolorem fuiſſe nullo modo certum ſit, cum paſſim, et in genu potiſſimum plurimi nerui cutem inter et articuli velamentum migrent, qui laeſi ſenſum efficiunt. c*) Non auſim vero, hiſce de meis quid conjecturis adjicere, quippe quas non niſi immaturiſſimas tiro exhibere poſſit, propriis praeſertim experimentis circa rem, tantorum virorum ſtudiis agitatam, adhuc deſtitutus. Rariores dari occaſiones arthriticorum, quam ex aliis morbis demortuorum, cadauera ſecandi, merito et ipſe conqueſtus eſt ill. MORGAGNI

b) *Specimen obſeruat. academ. Cap. XIV. p. 108. et ſeq.*

c) *Elem. phyſiol. T. IV. p. 286.*

GAGNI *d*), quod nempe arthritis morbus diuitum sit, rarissime pauperum, horum autem non illorum corpora anatomicis tradantur, aut si quando illorum quaedam sint incidenda, viscera quidem, vix vnquam artus examini permittantur. Neque miratur Vir idem summus, cui fere nihil relatarum ac aliis sectionum incognitum fuit, nullum peculiarem in Sepulchreto mentionem rheumatismi factam esse, quod vix meminerit in aliam rheumatici dissectionem incidisse, quam in illam ex DRELINCVRTIO auditam et ab HAVERSIO memoratam, qua dissectione DRELINCVRTIVS inuenit gelatinam concretam in superficie musculorum duos aut tres ducatos densitate adæquantem. *e*) Quisque autem facile, arbitror, largietur, rarissimas praecipue esse corporum ex arthritide vaga demortuorum sectiones, quae nempe ipsius articulorum affectionis modum declararent, quum haud lethalis hicce morbus esse soleat, nisi materies ex perniciosa metastasi ad partes nobiliores internas deferatur. In hoc modo defunctis reperit ill. STOERCK copiosissimam flauam gelatinosam materiem inter membranam pulmones ambientem et inter ipsos pulmones; talemque valde copiosam intra piam matrem et cerebrum atque cerebellum, et in anterioribus cerebri ventriculis; *f*) qualem gelatinam alias etiam iisdem in visceribus, primaria inflammatione affectis, pluribus videre contigit. In vno, cui dolor

ad

d) *De caus. et sed. morb. epist. LVII. n.* 1.

e) *Ibid. n.* 16.

f) *Ann. med.* II. *p.* 119.

ad lumbos acutiſſimus ad optima quaeuis refractarius fuit, mortemque tandem intulit, vidit ill. STOERCK vltimas lumborum vertebras, ex parte, qua medullam ſpinalem ambiunt, penitus putridas et in nigrum foetidum ichorem ſolutas. *g*) Quas autem MORGAGNVS recenſet cadauerum arthritide defunctorum ſectiones, quasque adjungit vtiliſſimas epicriſes, arthritidis quidem fixae et pertinacis ac inueteratae naturam potius quam vagae et recentioris cujusque illuſtrant, notabilia tamen et hoc loco ejus obſeruata videntur, de repertis aliquando in cadaueribus arthriticorum, cartilaginum, membranarum, oſſiumque vitiis vnice intra capſulae caueam, ibidemque concreta, quae oſſa ſenſim diduxerit materia tofacea, *h*) alias et materia tartarea ad articulos digitorum, cute ſublata, illico in membrana tendines obuoluente deprehenſa. *i*) Quae ipſa cum eorum ſententia quodammodo quidem, ſed minime tamen demonſtrationis vice, conuenire videntur, qui dolorem arthriticum in membraneis articulorum vinculis praecipue reſidere exiſtimant.

§. XVII.

Jam vero minimorum vaſculorum ſiue ſanguiferorum ſiue lymphaticorum prope artuum juncturas oppilationem, humorisque alienati celluloſa in ſpati-

g) *Ibid. p.* 124.
h) *De cauſ. et ſed. morb. epiſt.* LVII. *n.* 2. 3.
i) *Ibid. epiſt.* XL. *n.* 2.

ſpatiola effuſionem, vnde nimirum dolor arthriticus, ſaepiusque illi accedentes tumor ac rubor, excitentur, cujusdam inſtar criticae metaſtaſeos ſuccedere, et molimine ſalutari naturae actuoſioris ex reliqua ſanguinis maſſa huc delatos humores ſeparari, ita exploratum habetur, vt in dubium id vocare nemo facile auſit. Atque hoc ipſum ſatis patere arbitror, tum ex moleſtiori aegrotantium, quoad reliquum corpus et munia viſcerum, conditione, antequam dolor ad juncturas artuum percipiatur, pariterque ſi hunc juſto mitiorem ſuccedere contigerit, aut ſi, quae illum creauerat materia, iterum in venas recipiatur; tum quoque ex meliori valetudine, quae dolore iſto praeſente, quoad functiones capitis, pectoris ſaepiusque et abdominis animaduerti ſolet; tum denique et ex ipſa critica eorundem dolorum indole, vbi aliis ſuccedant morbis, dyſenteriae, febribus bilioſis varii generis, aliisque pluribus jam memoratis affectionum generibus. De doloribus ex morbo illo, quem rheumatismum primus fere dixerat, ipſe ſic cenſet BALLONIVS: *tanti autem dolores fiunt ob materiae acrimoniam, et quia natura eam in cutem deponere vult nondum mitificatam, nec viis adhucdum praeparatis; k)* alibique morbum cum ἀποςάσει comparat, immo et hoc nomen illi ῥευματισμοῦ, licet dubitanter, praeferendum arbitratur, *l)* etiam varios morbos, hoc ipſo ſuperuenien-

te

k) L. c. p. 316.

l) p 322.

te finiri vel minui docet. *m*) De ſimili morbo SYDENHAMVS refert, febrim ſenſim euaneſcere manente dolore, quin et nonnunquam immanius ſaeuiente, *materia ſcilicet febrili in artus translata;* quod ſatis argueret febris ipſa ſaepius recrudeſcens, ob materiam morbificam, ab intempeſtiuo externorum vſu repercuſſam. *n*) Quum autem febris haec, docente ipſo rerum vſu, aliquot per hebdomades haud raro, ſimul cum doloribus, articulos varios laceſſentibus, pergat, *o*) tunc modo minus perfectam, et praematuram nimis, ratione ipſius febris, metaſtaſin eos dolores creare, ſed eo facilius quoque ex integro, ipſa febre opitulante, per fauſtiores criſes eandem ſuperabilem fore, colligemus. Ideoque et eo certius atque conſtantius leuamen ex chronicis aliis vel moleſtioribus vel majori cum periculo conjunctis malis exſpectandum, quo firmiorem, quam ſemel occupauit, ſedem dolor certas ad juncturas ſeruauerit. Ita b. BRENDELIVS, de ſalutaribus agens naturae moliminibus, quae ſub ſtadio phthiſeos ſpaſtico nonnunquam obſeruantur, hoc optime notauit: *ipſas*, inquiens, *arthritides, ad tofaceas et exulceratas vſque, quin et vtrisque compoſitas, his indiciis, quibus perfectius vix aliae liberant, eſſe adſcribendas, experientia haud obſcure docet. p*) MVS-

m) *p.* 314 *et* 316.

n) *Oper. vniu. Sect. VI. C. V. p. m.* 272.

o) Conf. modo *ill.* STOERCK. *ann. med* II. *p.* 112 *ſqq.*

p. *Diſſ. de tabeſcentibus ad nares ducenda fluxione.* §. 6. *p.* 15. *conf. et* § 9. *p.* 17.

GRAVIVS de pluribus morborum generibus leuamen ſimile ex arthritide accedente expoſuit, ex cujus obſeruatis, breuitatis cauſſa, exemplum ſaltim arthritidis melancholicorum, quo nomine hoc loco et complures hypochondriacos hyſtericasque comprehenſas voluit, allegaſſe ſuffecerit; de qua refert: *eſſe vero hanc arthritidem puram putam ſymptomaticam, ipſa melancholiae cauſſa continente et proxima generatam, ſatis, vt opinor, eo conſtat, quod illa quoties exoritur, et ad gradum eleuatur quantumcunque, rata haec et perpetua proportione deducitur.* q) Pauloque poſt *facillime* tradit *ſymptomaticam hujus arthritidis indolem dignoſci, ſi aeger diu melancholia, atque demum arthritide laborauerit; et hac quo magis eo remiſſius illa, maxime ſi hoc iterum ſaepius comparuerit.* r) Ea vero humoris, in arthritide vaga, de vna parte ad aliam quaſi oberrantis, ſine dubio fere indoles eſt, vt, quamuis alicubi ad unam pluresue artuum juncturas in vaſculis haerens, et ex his in celluloſa ſpatiola transſudans, ſub circulantis humoris vitalis appulſu, fibrarumque tritu, quodammodo digeratur ac diſſoluatur, ad perſpirandum tamen aptari vna vel altera hujus mali acceſſione ſatis nequeat; ſed mobilior modo factus, in venas recipi, derelictis ſenſim, quas affecerat, partibus, ad commune flumen ſanguinis reduci poſſit. Remanet ergo tunc in vaſis materies, quae ſimilem iterum in aliis articulis tragoedi-

q) *De arthrit. ſymptomatica* Cap. V. §. III. *p. m.* 23.

r) *ibid.* §. *V.* Conferri quoque meretur ROB. WHYTT *von den Nervenk ankheiten p.* 116. *ſqq.*

goediam ludere apta ſit; etiam ſubinde ſecretionum, praeſertim in hypochondriis, nec non diaetae, regiminis, medendique rationis vitiis adaugeatur, magisque alienetur, donec ſenſim, vbi tandem ex voto res cedat, perſpiratione, criticisque aliis excretionibus, ex corpore exterminetur. Quaeri vero praeterea hic vtique poſſet, qui fiat, vt quotidie plerumque in febrili arthritide vaga dolorum tormenta redire, vt alias fere ſemper, quam proxime praecedente vice, artuum juncturas occupare, vt materies juncturarum partibus ita eſſe amica ſoleat, quo minus aeque facile ac aliis in febribus per ſanguinis maſſam ad criſes vſque diſperſa maneat, aut etiam ad viſcera, glandulas, muſculos, etc. deponatur, etſi hoc nonnunquam, ſed raro tamen, fieri lubentiſſime concedamus? Verum peritioribus haecce, quae nos quidem experientia ſatis conſtare gaudemus, explicanda et clariori theoriae luce colluſtranda potius relinquimus, quam vt noſtras, minusue maturas conjecturas nunc ornare periclitemur. De vitioſa vero materia, morbo hoc ipſo jam ceſſante, in viſceribus et in humorum maſſa quid nonnunquam retineri; etiam dolorum vi cum febre poſt fauſtas criſes, ex voto finitis, nonnihil adhuc tumoris in partibus antea grauius prae ceteris ac diutius afflictis, et aliquam in ligamentis laxitatem vel debilitatem, quae primos ex quiete motus difficulter, nec ſine quodam obtuſo dolore aliquamdiu ferat, remanere; praeterea et in non-

 nullis,

nullis, vbi actuosior quidem natura metastasi ad articulos perficiendae par fuerit, minus vero ad materiam excretioni accommodandam suffecerit, nodos in articulis duriores nasci; quisque, arbitror, pathologiae elementis imbutus peruulgatis cum rationibus tam facile conciliauerit, vt eorum dilucidationem hic adjiciendam plane superfluam habiturus sit.

§. XVIII.

Non est quod in exponenda prognosi prolixi simus, quum plurima, quae huc spectant, praecedentibus doctrinis, de arthritidis vagae decursu ac differentiis ejusque caussarum potestatibus, interspersa jam exhibuerimus. Nonnullis tamen memoratu dignioribus, quae praetermitti antea debuerunt, nunc adjiciendis locum esse arbitror. Valde molestum sed raro periculosum morbum esse arthritidem vagam febrilem, etiamsi multa adsit vis phlogisticae atque biliosae diatheseos, vbi modo accurate tractetur morbus, aegerque se secundum eas leges, quas mali ejus natura postulat, exacte gerat, jam notauimus; s) sed addimus nunc; magni facile momenti ac periculosi euentus fieri posse errores, etiam minores visos, in methodo huic morbo medendi commissos; et vbi funestus forte hujus morbi exitus fuit, vel grauius eidem discrimen accessit, ab ea

s) Conf inter alios meretur FRID. HOFFMANNVS *Med. syst. ration l. 3. § p. 437.*

ea ipſa ratione haud raro, ſiue quoque inde, quod aeger aut miniſtrorum officiis fungentes, in qua re peccauerint, illud repetendum videri. Quum valde abundauerit in robuſto corpore phlogiſtica diathefis, quod in his aegrotantibus haud infrequens eſt, viſceribus nobilioribus inſigne tunc periculum impendere, non dubitandum, ſi quis opem laturus frigidi inſtar catarrhi morbum conſiderauerit, ſectionem venae metuat, ſudoresque mouere ſtudeat; qualem errorem BALLONIVS a medicorum vulgo ſui temporis committi ſolitum refert, eundemque merito quam maxime damnat. *t*) Dum augmentum febris hac ratione, et ipſius praeſertim inflammatoriae diatheſeos, admittitur, vel etiam victu et medicina calefacientibus promouetur, nunc ita opprimi natura poterit, quo minus ad artus ablegando materiem interioribus proſpiciat, nunc ita irritari, vt perturbato molimine receptam ex articulis materiem ad viſcera depellat; quod quidem vtrumque malum ſummo ſemper cum periculo conjunctum deprehenditur. Inflammatoriae vehementiores internorum affectiones inde ortum habere poſſunt, etiam colica ſimilis indolis; qualem ex propinatis ſudoriferis calefacientibus in robuſto homine, doloribus antea in brachiis et genu infeſtato, excitatam, ita quidem vt aeger poſt atrociſſima triginta ſex horarum tormina, ſuborta gangraena exſpirauerit, ill.

 TISSO-

t) *De rheumatiſmo, in Opp. T.* IV. *p.* 325.

Tissotvs *u*) obſeruauit. Summi ergo momenti eſt, humorum in his morbis indolem probe attendiſſe, ne difficiliori et perniciofae affectionis permutationi, errore qualicunque commiſſo, anſa praebeatur. Alias vero et incongrua ex medicatione vagarum iſtarum arthritidum pertinaciores perſaepe fiunt certas ad juncturas materiae vitioſae decubitus; vnde anchyloſes, claudicationes, contracturae, affectiones paralytodes, ſpontaneae luxationes, abſceſſus, tumores duri, vel oedematoſi ortum ſubinde habent. Nonnunquam tamen et valde pertinax et refractaria occurrit hujusce mali conditio, vbi febris exigua et incerta, phlogiſtica diatheſis in ſanguine vix vlla, vbi etiam is ſtatus, quem Hvxhamvs obſeruauit, adſit, vt nempe venaeſectio magis obſit quam proſit, *v*) vrinaque fere ſemper tenuis et aquoſa mittatur, doloribus licet juncturarum atrociſſimis; quo caſu difficilis plurium hebdomadum morbus aliquando, vel exactiſſime tractatus, perquam facile aliquam, ex illis aliisue chronicis, affectionem relinquit. Sed inter alia quoque inſignem praecipue cautionem poſtulant aeque diagnoſis ac huic innixa prognoſis arthritidis illius vagae, quam omnes hoc nomine inſigniendam volunt, quae nempe fixam arthritidem haud raro praecedit, nonnunquam et hujus paroxysmos ſubſequitur, etiam aliquando, praeſertim cum virium naturae vigor defecerit, diu vel

ſemper

u) *Avis au peuple* §. 164. *p.* 192.

v) *De aere et morb. epid. edit.* REICH. *opp. T. I.* p. 364.

ſemper talis manet, quae vagis incertisque articulorum aliarumque partium per interualla doloribus et ſpasmis moleſta ſit, neque tunc facile ad vehementiores paroxysmos perueniat; ne forte hancce cum altera, quam nempe et rheumatiſmum ſaepius dicunt, confundamus. Illa quidem, lithiaſi magis affinis, roborantibus ſaepius indiget, difficulter penitus in aegri ſalutem profligatur, diutiusque talis permanens in graues chronicos morbos lubentius tranſit, et aegrorum in commodum plerumque cedit ejus in fixam arthritidem regularem, ad quam ſponte ſua tendit, confirmatio; quae omnia vero in eas, quas phlogiſtica diatheſis, vel conjuncta huic bilioſa quoque excitauerint, et in chronicas ab his relictas, multo minus rariusque cadere obſeruantur.

§. XIX.

Ad medendi denique praecipuis illis arthritidis vagae ſpeciebus conſilia, quae fida obſeruatio ſatis confirmauerit, breuiter ſubjungenda, nunc transituri; de illa quidem, quae cum febre incedit, vero rheumatiſmo magis affinis, et cum hoc nonnunquam conjuncta eſt, ſanguinisque diatheſin phlogiſticam plerumque ſiſtit, ſaepiusque integram ſolutionem admittit, primo nobis loco agendum cenſemus. Quum robuſtos, plethoricos, lautius viuentes, ſaltim penuria ſanguinis haud laborantes, ſimilibus ſub conditionibus ac aliae grauiores inflammatoriae febres, frequentius inuadat, atque impetuoſior ſanguinis ipſius ad partes dolentes appulſus plerumque hoc in

morbo manifeſte animaduertatur, ſumma omnino curationis integrae antiphlogiſticae, et hujus quidem efficacioris, vtilitas merito maxime celebratur. Non aeque vero variorum, quae ad hunc medelae modum pertinent, ratio adeſſe deprehenditur, vt ergo nec vna perpetuaque ad omnes hoc morbo correptos methodus adcommodari queat. Phlebotomia praeſertim ſaepiſſime, aliquoties etiam repetita, opus eſt, et eo magis quidem, quo propius morbus ad eam, quae in rheumatiſmo vniuerſali Ballonii eſt, vehementiam acceſſerit; aut quo pertinacius dolor iisdem et pluribus, quas corripuit partibus inhaereat, paucis aut vix vllis vitioſae ad primas vias colluuiei indiciis ſimul praeſentibus; quo pulſus durior, plenior, celeriorque, quo dolor atrocior, quo magis conſpicua diatheſeos phlogiſticae continuae febri juncta ſigna. Praeſtantiſſimum eſt Alex. Tralliani conſilium, *ſi humorem*, inquientis, *qui in articulos confluxerit, ſanguinem eſſe ſuſpicemur, vbi quidem nihil prohibet, vacuationem, quae per venaeſectionem adhibetur, tentato; hac enim ratione multos noui, aut in totum morbo liberatos, aut raro fluxionibus correptos. vv)* Habet Ballonivs, qui et impendio laudauit phlebotomiam, eamque ſaluberrimum eſſe remedium teſtatur, valde memorabile exemplum Andegauenſis Comitis, qui eo affectu per ſex integras hebdomades laborauit, quique decies miſſo ſanguine a ſudorificis adhuc dete-

rius

vv) *Lib. XI.*

rius habuit; qui vero, vt olim haemorrhagiis copiosis obnoxius fuerat, sic tandem, morbo paene desperato, superueniente tam copiosa haemorrhagia, vt de funere cogitaretur, conualuit. SYDENHAMO raro vsu venit eodem in morbo, vt vltra quartam vicem venam incidi iusserit; et ill. PRINGLE, cui minor apparuit morbi hujus in aegris suis vehementia, siquidem raro tumorem notabilem et inflammationem in juncturis aegrorum deprehendit, celerem obtinuit sanationem, venaesectione non nisi bis vel ter instituta. FR. HOFFMANNVS, licet maxime hoc remedium extollat, mature tamen vsurpatum, et vrgente necessitate, circa quartum diem repetitum modo commendauit. HVXHAMVS, qui de rheumatismo et arthritide obseruatis nonnunquam conjunctim tractat, *x*) rheumatismos etiam memorat, qui leui cum febre at saeuo admodum dolore multos discruciarunt, et quos ipso modo initio, ait, largiorem postulasse venaesectionem. *y*) Non autem initio tantum alias, sed altera etiam hebdomade et serius quoque eandem saepissime adhuc summe proficuam esse, e SYDENHAMO disci potest; idemque et indicantia phlebotomiae generalia, tunc saepius obuia, rerumque vsus euidenter docent. Sed si quae deprehendantur ex linguae sapore, praecordiorum sensu, peruulgata cujusdam vel incipientis modo colluuiei biliosо pituitosae ad primas vi-

as

x) *Opp. T.* I. *p.* 55. 56.
(*y Ibid. p.* 365.

as indicia, minus properandum iterato instituenda phlebotomia censemus, quum minus tunc iuuet, minusque ad sanationem ex voto perficiendam necessaria sit. Interim et hoc casu, et alias quoque, cum repetenda vlterius venaesectio fuerit, multum commodi obtinere licet salibus mediis, vel diureticis vel catharticis, his tamen exigua modo dosi initio exhibitis, vt aluum vix tantillum, vel plane nihil quoque stimulare queant; vtpote quae hoc tempore aptius per clysteres et saepius repetitos, a Ballonio jam et Sydenhamo merito laudatos, tunc molliatur. Vbi tamen situm corporis, quem clysteris vsus postulat, dolorum ratio haud admiserit, nec tamen metuendae antiphlogistici laxantis, vt cremoris tartari, vel pulpae tamarindorum aliusue similis, minores doses, donec speratus ex hisce effectus sequatur, aliquoties per diem repetitae. Nec facile negligendus hoc tempore nitri vsus, cui summa etiam hic, pariter ac aliis in febribus inflammatoriis, tribuenda laus est, Pringlio, Monroo, Brocklesby, pluribusque optimis viris, testibus. Salibus mediis admistas ita exiguas camphorae doses laudat Pringle, vt neque calefacere nec sudorem extorquere queant; nos praecipue tunc multum commodi ex hocce remedio exspectamus, vbi secandae vlterius venae nulla fere necessitas fuerit, nec vitiosa in primis viis colluuies deprehendatur, anomalique phlogisticae materiae ad interna corporis decubitus subnasci videantur. Inter haec praestantis-

ſtantiſſimae vtilitatis eſt, largiore vti potu aquoſo, vel emulſivo vel decoctione ex ptiſanis parata, cui citri ſuccum, vel oxymel, vel et aliquando, vbi pertinacior morbi vehementia, vitrioli ſpiritum admiſceri conueniet; ſimulque ab omni alio, qui motum ſanguinis vel parum modo concitare et calorem corporis augere ſolent, plane abſtinere. Seri etiam lactis hoc in morbo, vel pro potu ordinario vſurpati, ſingularis in diluendo ac temperando praeſtantia eſt, teſtibus praeſertim Fr. Hoffmanno, Trallesio, Tissoto, eodemque potu ſolo Boerhaavivs, dum acerbiſſimis rheumaticis doloribus excruciaretur, per duodecim dies vixit. z) Magni pariter momenti conſilium eſt Sydenhami, Pringlii, Trallesii, Tissoti, pluriumque, diaeta ſemper tenui et vegetabili, carnibus praecipue quibuscunque, eorumque juſculis, ouis et aromatibus, plane euitatis, vti, quamdiu quid febris, atque diatheſeos phlogiſticae ſupereſt, vel et quamdiu morbus nondum penitus eſt ſublatus, niſi forte in longinquitatem protrahatur. Neque regimen aliud conuenit, quam temperatiſſimum, pariter ac aliis in febribus continuis et inflammatoriis, ambientis quoque aeris puritatem curae habendo, etſi omnino quoque ſubita in regimine mutatio, et quisque perflatus frigidior, noxam aegro adferre, nouosque, vel jam declinante morbo, atque atrociores dolores excitare queant. Sunt qui etiam ab initio, ſaltem

z) Van SWIETEN *Comment. in aph. Boerh. T.* I. *p.* 552. §. 336.

ſaltem quum nulla ſecandae vlterius venae ratio ſuperſit, diaphoretica ſuadeant. F. HOFFMANNVS eum in finem varia commendat, ſed vix vllius efficaciae. SAVVAGES ſudores, ſi parci ſint, ptiſana calida de cichoreo et capillis veneris promouere ſuadet, ſine memorata temporum morbi diſtinctione. Ill. PRINGLE in mitiori quidem morbo diaphoreſin poſt phlebotomias, per antiphlogiſtica promotam, curationem abſoluiſſe, ſed in grauiori ejus genere et maniſeſtius inflammatorio, ſudores haud proficuos fuiſſe retulit. Similisque fere eſt ill. STOERCKII obſeruatio, qui tamen paulo efficaciora, cum leuiorem morbum in principio profligare adniſus eſt, elegit, *neceſſe nempe habuit, vt aeger mox in lectum ſe conferret, et moderato tegminum pondere et copioſo infuſi florum ſambuci, vel trium ſantalorum, vel ligni ſaſſafras, vel foliorum leuiſtici etc. potu ſudorem prouocaret;* quod inſtitutum tamen ſaepe euentus ancipitis eſſe poterit. *Sub finem ſudores modo conuenire*, jam bene BALLONIVS notauerat. Eos autem, quo tunc ſatis moueat natura, ſi antea, prout morbi conditio poſtulauerit, exactius leuata fuerit, raro efficaciori quodam ſtimulo indiget. Sed antequam eo res in paulo difficiliori morbo peruenerit, fracta per ſanguinis miſſiones et antiphlogiſticorum vſum febris vehementia, pulſuque nunc molliori reddito, ac dolorum tormentis nonnihil mitigatis, neque tam pertinaciter amplius quibusdam articulis inhaerentibus, ſed quum relictis plane his, ad alios ſaepe demigrent; inſignis tunc plerum-

que

que deprehenditur purgantium antiphlogisticorum, minori quidem sed repetita dosi, in exacerbationum praecipue interuallis, bis vel ter in hebdomade exhibitorum, vtilitas. Similia huic fere consilia sunt SYDENHAMI, BOERHAAVII, F. HOFFMANNI, MONROI, TRALLESII, TISSOTI, STOERCKII; omnino manifeste plerumque dolorum vehementia, febrisque impetus hac ratione, praesertim interposito, tempore exacerbationis dolorum, nitri cum camphora vsu, magis magisque sensim vlterius imminuuntur; atque leuata sic natura tandem exacerbationes critico cum sudore plerumque finit, vel sponte sua, vel mitiori adjuta diaphoretico; quali virtute et ipsa camphora excellit; quo ipso etiam fine aliis mitissimis, vt Mindereri spiritu, sic dicta mixtura simplici, etc. commode tunc potiri licet. Tunc etiam saepe vrina bonam demittit hypostasin, doloresque sensim plane cessant; restituta etiam haud raro, tum reliquarum functionum corporis, tum et motus artuum, plenaria integritate.

§. XX.

Sed variae supersunt, quae notatu dignae videntur, ad sanationem hujus morbi felicius perficiendam cautiones. Accidit equidem, neque valde raro, etiam in hoc de quo agimus morbo, colluuiei biliosae ad praecordia delatae, sensimque saepius, vbi sibi aliquamdiu morbus relictus fuerit, magis adaugendae, signa deprehendi, siquidem

nempe

nempe nonnunquam in lingua sordes, cum sapore aduerso et quandoque amaro, praetereaque nausea, vertigo, color oculorum et faciei subflauus, aut saltim nimis pallidus, vel quodammodo jam a primis morbi diebus, vel demum post vnam, alteramue, aut saepius quoque repetitam sanguinis missionem, vbi et aliquando flauescens aut virescens in hoc sanguine crusta phlogistica emergit, atque vsurpatis per aliquot dies antiphlogisticis, vario gradu appareant. Praesentibus autem hisce signis, non dubitandum, quin aliqua pars caussae, quae dolores in artubus, ipsamque febrem efficiat, in colluuie ista vitiosa, et secretionum in hypochondriis labe, tunc haereat, et quo majori gradu signa illa praesto fuerint, eo plus commodi ab eductione illius materiae, modo satis mobilis illa fuerit, turgeatque, eo minus vero ab vlterius repetenda sanguinis missione sperare liceat. Atque hoc casu praesertim vtique certior adest ratio continuandi vsus purgantium, ad cujusuis aegri conditiones sollicite accommodatorum; quibus tamen interponere per vnum alterumue diem, vbi minor purgantium ad eliminandam praecordiorum impuritatem efficacitas appareat, salis ammoniaci minores doses, maxime conueniet; dein semper ad leniora purgantia redeundum, vel etiam, si nihil vetuerit, eorum loco emeticum, cujus tunc saepe insignis vtilitas est, exhibendum erit. Insignis praesertim G. Mvsgrave in posteriori hoc euacuante remedio, *ad duras et perti-*

pertinaces rheumatiſmi reliquias praeuertendas, fiducia fuit; qui etiam, *ad dolores rheumatiſmi minuendos, ad ſanguinem alterandum, et τὴν γλισχρότητα deuincendam, ſupra quam quis exſpectaret, vomitionem et quidem vehementem ac iteratam, conducere* aſſeuerat. *a*) De ſimili pertinaci rheumatiſmorum conditione agens HVXHAMVS, emetica pariter laudat, ſed breuiter modo, *eſt etiam*, ait, *vbi per initia morbi vomitus excito. b*) Sed jam ab his digrediendum, et nunc ea quoque expendenda cenſeo, quae ad leuamen dolorum, exacerbationis illorum tempore, externe aut interne commendari ſolent. BALLONIVM topica laudaſſe non reperio, praeter hirudines, in quo ill. PRINGLIVM imitatorem habuit, atque hic multum inde leuamen ſe obſeruaſſe refert, tribus quatuorue ad juncturas dolentes appoſitis, vbi dolor tumorque, imminuta per miſſionem ſanguinis repetitam febre, perſeuerauerint. FRANC. MANDAT inter topica oxyrrhodinum et oxycratum ad morbi contumaciam expugnandam inſeruire teſtatur. *c*) SYDENHAMVS ad dolorem ſedandum, cataplaſma e mica panis ſiliginei et lacte croco tincto, vel fol. braſſicae, parti affectae adplicandum et ſaepe renouandum curauit. Fomenta etiam antiphlogiſtica BOERHAAVIVS et STOERCKIVS ac TISSOTVS

a) *De arthrit. Symptomat. c.* II. §. VIII. *p. m.* 9.
b) *Opp. omn. T.* I. *p.* 364.
c) BALLONII *Opp. T.* IV. *p.* 336.

TVS pluresque commendarunt, et vbi dolorum atrocia talia non admiſerit, balnea tamen vaporoſa, quae efficaciter leuent, TISSOTVS adhibere ſuadet. FR. HOFFMANNVS autem et PRINGLE, quamdiu febris et inflammatio adſunt, ab hujusmodi topicis plane abſtinere jubent. Et omnino, ſi cum ill. PRINGLIO incommoda laxitatis attendamus in adfectis partibus, quam applicata inducunt emollientia, dum non modo vigente morbo, vehementiori materiae phlogiſticae ad illas accumulationi, ſed eodem quoque finito, difficilius abigendis tumoribus ad juncturas mollibus, quibuscum dolor obtuſus, ſi membra moueantur, praeſertim poſt aliquam corporis quietem, conjunctus eſſe ſolet, anſam facile praebent; habebimus recte, quod praeſtantius FR. HOFFMANNI conſilium ſequamur, et per inflammatorium illud ſtadium moderato tantum et aequali lecti ac tegumentorum calore partes dolentes fouere ſuadeamus. Quoad opiatorum vſum, optimum cenſemus eſſe monitum SYDENHAMI, qui eo religioſius ab iis eo tempore abſtinendum tradit, quod illa morbi felicior curationi non ſolum contraria ſint, dum et effuſiorem ſanguinis miſſionem poſtulent, et illorum vſu morbus figatur, ſed etiam, quod ne quidem eam quam titulo pollicentur, ἀναλγησίαν praeſtare valeant. Atque ſollertiſſimo huic obſeruatori aſſenſum merito praebuerunt ſummi Viri, BOERHAAVIVS, PRINGLIVS, TRALLESIVS, TISSOTVS, aliique plures. Et eo minus quidem ab his remediis vllum exſpecta-

ſpectare commodum licebit, quo manifeſtius plerumque vel ab ipſo naturali ſomno, quod bene Tissotvs obſeruauit, antequam veram in declinationem morbus tranſierit, dolores exacerbari ſoleant. Attamen Sydenhamvs, quum ſatis mitigato inflammatorio hoc ſtadio mane purgans exhiberet, dein eadem veſpera liberaliorem ſyrupi ſui de meconio doſin ſubjunxit, quo, vt ait, ſanguinis orgaſmus penitus ſupprimatur. Quod conſilium complures, etiam Boerhaavivm et ipſum Trallesivm, ſecutos eſſe deprehendimus. Tissotvs quidem, ſub hac etiam conditione, ab omni plane vero narcotico abſtinuiſſe videtur; neque forte eſt, quod vllum orgaſmum vel aliud quid mali a purgantibus mitioribus et veriora ſecundum indicantia, ſi virium et integrae conſtitutionis aegri ſimul rationem habeamus, exhibitis et repetitis, metuamus, quod narcoticum ſubjunctum poſtulet, niſi aliquando, quod raro fit, neruoſa vel hyſterica ſenſibilitas ſimul conjuncta fuerit. Neque facile quis praeſtantiſſimum illud Sydenhami conſilium, quo et ſub morbi finem aegris a vino et a liquore ſpirituoſo quolibet, et a cibis aromate conditis, diu plane abſtinere ſuadet, cum illius narcotici vſu conſentire cenſebit, qui hujus vires ſatis perſpectas habuerit. Epiſpaſticis in morbi hujus decurſu haud ſaepe opus eſſe videtur, vbi reliqua exactius obſeruentur; attamen vbi ſanguinis miſſionibus atque aliis quae conuenerint vacuationibus caute vſurpatis, aut ſub

horum vsu, ex deficiente naturae vigore, phlogisticae materiae ad interiora decubitus fiant, iis vere aptissimus nonnunquam locus est; dein et vbi febre vel jam finita, vel modo satis mitigata, dolores pertinacius quibusdam juncturis inhaeserint, neque per diaphoresin sensim abigantur, multum commodi ab istis, tum rubefacientibus modo, tum et vesicantibus ad partes ipsas dolentes applicatis exspectare licebit. *d*) Nonnunquam vero tunc et lenes frequentes frictiones iuuant et linimenta volatilia, qualia FR. HOFFMANNVS *e*) et MONRO *f*) aliique commendarunt, quibus tamen semper, ne ad interiora repellatur nondum ad excretionem parata materies, cautissime vtendum existimamus.

§. XXI.

Sub morbi finem peculiarem nonnunquam curam postulat restituendus functionum omnium, praesertim chylopoieseos vigor, artuumque grauius lacessitorum robur ac flexilitas, etiam cum satis bene omnia processerant; quo fine nunc magis ad soluendum et diluendum, quod reliquum fuerit nimis spissum, nunc ad excitandas firmandasque vires magis attendendum. Polychrestum inprimis censemus connubium Peruuiani corticis cum sero lactis

aut

d) Conf. MONRO *von Feldkrankheiten. p.* 123. TISSOT *avis au peuple. p.* 204. TRALLES *vsus opii P.* II. *p.* 312. STOERCK *Ann. med.* II. *p.* 121.

e) *Med. rat. syst. l. c. p.* 454.

f) *L. c.*

aut aqua Selterana, vel alia ex mitioribus minerali, ad aliquot hebdomades rite adminiſtratum. Vbi forte ad intermittentis genium acceſſerit febris cum arthritide vaga conjuncta, praemiſſis, quae rerum conditio poſtulauerit, aliis, praeſtantiſſimum inprimis auxilium ab hoc ipſo cortice exſpectare licet; quod ipſum exemplo memorabili febris arthriticae cum typo duplicis quartanae incedentis, hoc remedio perfectiſſime ſanatae, confirmatum legitur apud b. WERLHOFIVM. *g*) Nonnunquam vero in aliis aegris differendus potius erit hujus corticis vſus, vbi de neceſſitate vel vtilitate talium excretionum, ad reliquias febriles vlterius educendas, conſtiterit, quas ille forſitan in aegri noxam remoraretur. Atque tunc ſaepe inſignis vſus erit amarorum aliorum et antiſcorbuticorum, a SYDENHAMO, BOERHAAVIO, STOERCKIO, aliisque, merito hic magni habitorum; neque dubium, quin aptiſſimus etiam hic vſus eſſe poſſit noui illius ligni, a perill. Equ. DE LINNE *quaſſiae* dicti et accuratiſſime deſcripti. *h*) Sapor huic amariſſimus eſt, ſine vllo plane ſtiptico aut adſtringente, quae praecipua eſt ejus a cortice Peruuiano

 diffe-

g) *Obſeru. de febr. P. II.* §. *V. p.* 55. 56.

h) *Amoenit. academ. T. VI.* Quoad vſum, formulam, quae Auctori maxime arridet, adduxiſſe forſitan juuabit. *R. lign. quaſſ. raſp. drachm. I. aqu. font. bull. libr. I. Stent in digeſt. per hor. et infuſi detur ſaepius vncia vna pro doſi. Dari autem conducit quoque,* ipſo docente, *in puluere, in pilulis, electuariis, tinctura, infuſo vinoſo. Nec metuenda doſis eſt, ſed porrigi poteſt ad duplum, immo quadruplum ſine omni formidine violenti effectus.*

differentia. Seruus nigrita, nomine *Quassi*, cui ligni hujus notitiam debemus, eo ad mali moris febres intermittentes et remittentes optimo cum successu vsus fuit, neque sine graui ratione ipse perill. de Linne idem ad alios quoque morbos, qui amara efficaciora postulare solent, eosque inter etiam ad arthritidem commendauit; inserto simul reliquis suis experimentis exemplo viri, ex podagra asthmatici et ligni hujus vsu ex voto plane sanati. Cum hisce optime quoque consentiunt, quae cel. Tissotvs de vtilissima hujus ligni efficacia, propriis etiam suis obseruatis suffultus, recentissimo in excellenti scripto judicauit. *i*) Ceterum vero, vbi forte pertinacior quibusdam in articulis rigiditas, tumoresque subduri remaneant, jam finita aut maxime mitigata febre, multum commodi ex gummi guaiaco, ad R. Mead et Pringlii et Hvxhami *k*) consilia vsurpato, exspectare licet, cui, vt aliis etiam, cum fructu sociatur vel pro potu ordinario, vel certis quoque horis adstringendum, decoctum ex vna aut altera radicum, bardanae, lapathi, herbae britann. saponariae, chinae, sarsaparillae, lignorumue, juniperini, santalorum, guaiaci; aut similia, aquae calcis ostrearum vel cochlearum infusa; tali cum regimine, quod liberiorem diaphoresin impedire nequeat, potius ad illam excitandam quid conferat. Locus etiam

i) *De la Santé des gens des lettres. à Laus.* 1768. *p.* 233. 234.

k) Conferri meretur integra et efficacissima hujus Auctoris celeberrimi methodus *de aere et morb. epid. Vol. II. a.* 1745. *mens. April. Oper. edit. Reich. T. I. p.* 364.

etiam tunc non raro erit adhibendo, neceſſaria cum cautione, calomelani, praeſertim ad Hvxhami aut Pringlii methodum, quam et cum fructu imitatus eſt Monrovs, *l*) datis nempe tertia, vel quarta quauis nocte, aliquot ejus granis, nonnunquam majori doſi, dein proximo mane leniora ſemper ſubjungendo purgantia. Inſignis etiam vſus hic variorum eſſe poterit antimonialium, purgantibus interpoſitorum, vel iis etiam aliquando admixtorum, tum crudi ipſius antimonii, a pluribus, *m*) etiam a Monroo laudati, omnino etiam vere efficacis, tum ſulphuris ejusdem aurati, *n*) tum vini, praeſertim Hvxhami methodo parati, *o*) tum ipſius quoque tartari emetici, perexigua doſi, quae vomitum excitare vix queat, cui et nonnihil theriacae, aut apti alius opiati addere conueniet, quo ſimilis fere indolis fiat cum celebratae pariter hoc in morbo virtutis puluere Doveri, ex combinatis praeſertim ipecacuanhae radice et opio parato. *p*) Permultum quoque boni, ex Clerkii praeſertim obſeruatione a Pringlio relata, largiores ac diu ſatis continuatae ſapo-

l) *Libro cit. p.* 124

m) Conf. I. F. FVRSTENAV *Diſſ. de antimonio crudo ejusque vſu interno ſalutifero. Rintelii* 1748. et DE GELDEREN *Diſſ. de antim. crudi vſu interno tuto et efficaci. Duisb.* 1742.

n) Praeter alios, de hoc etiam conſuli meretur Cel. FABRICII *Diſſ. de ſulphuris antimonii aurati eximio vſu in arthritide. Helmſt.* 1758. TISSOT kermes minerale commendat, *avis au peuple. p.* 233. §. 182.

o) *Opp. omn. T. III. p.* 129

p) *Edinb. Verſuche II.* 13. *p.* 536. MONRO *l. c. p.* 120.

nis veneti doses, praestare poterunt, vbi pertinacior aut neglecta fuerit, et nunc sine febre incedat, arthritis vaga, aut quoque firmius impacta quibusdam articulis appareat materies, quam calcareae indolis esse vrina denotauerit. Etiam in refractario ad vnum alterumue articulum decubitu, ex obseruatione MEADII et MONROI pluriumque, insigni adjumento esse poterit fonticulus aut setaceum prope adfectam partem applicata; satisque explorata quoque praesertim in ischiade tunc est actualis cauterii magna vtilitas. *q*) Sed molestis hisce ac terribilioribus auxiliis raro, quod laetamur, opus est. Mitiora gratioraque saepe sufficiunt, ex quibus externe applicatum ceratum viride, MVSGRAVII, *r*) TISSOTI, *s*) pluriumque consilio, laudem meretur singularem, et ex internis praestantissimam exspectare opem licet ab aquarum mineralium efficaciorum, praesertim quidem Pyrmontanarum, diu satis continuato vsu. *t*). Balnea etiam valde commendata reperimus, tum tepida, tum frigida. Tepida quidem vsitatiora sunt, quibus praesertim fontes minerales arte calefacti ac thermae inseruiunt, atque multum omnino probatissimae efficaciae ab vtrisque sperandum, si aquae delectus et illa vtendi modus ad peritioris medici consilium instituantur; quum certe,

q) Conf. modo TRALLES *l. c. p.* 314. et TISSOT *l. c. p.* 205.
r) *De arthrit. symptomat. C. VI. §. XI.*
s) *Avis au peuple.* §. 183.
t) Conf. I. P. SEIP. *Beschreib. der Pyrmont. miner. Wasser, und Anhang der Pyrmont. Kranken Geschichte.*

certe, frequente ex obſeruatione, plurimum praeſtent in meabilibus reddendis humoribus tenacioribus, qui minoribus ad juncturas vaſculis inhaerent; ſiquidem etiam pertinaciſſimae juncturarum ex arthritide reliquae affectiones nunc balneis vaporoſis, nunc ſtillicidiis quoque, nunc et vtrisque ſimul vere ſublatae fuerunt. Frigida autem balnea multi quoque optimi Viri maxime extollunt, quibus vero tunc praeſertim aptiſſimum eſſe locum cenſemus, vbi ſola fere laxitas, in partibus antea grauiter adfectis reliqua fuerit, febris et inflammatio poſt fauſtas criſes plene ceſſauerint, corpusque bene expurgatum ſit, licet quoque nonnihil exſpectandum eſſe concedamus, ab increſcente poſt balneum frigidum perſpiratione. Et haſce quidem, noſtra ſententia, conditiones reſpexerunt, qui frigida balnea ſub morbi hujus inflammatorii finem commendarunt Ballonivs, Pringlivs, Hvxhamvs, Monrovs, et plures; quorum conſilia tamen, Tissoto etiam bene monente, non ſine cautione ſequenda fore exiſtimamus, praeſertim in ſenſibilioribus, et huic remedio minus adſuetis.

§. XXII.

Ad haecce vero ſimul etiam redeunt praecipua et probatiora conſilia, quae aliae et pleraeque arthritides vagae, vel ſine vlla memorabili, vel ſine inflammatoria ſaltem febre incipientes, poſtulant; ſi modo, quoniam iſtorum multae ſunt differentiae,

ad cujusuis morbi singularis indolem, integramque aegrorum naturam sollicita habeatur attentio. Accidit haud raro sub arthritica perexigua febre, immo et hac deficiente, phlebotomia opus esse, vbi modo nimia vasorum plenitudo, et aliquis in sanguine orgasmus adfuerint, iisque alia vacuatione minus apte mederi liceat, praesertim et vbi suppressa soliti sanguinis fluxus aut mittendi sanguinis consuetudo deprehendatur. Attamen nec minus contingit, contrarias hisce corporum dispositiones deprehendi, quae nihil commodi, saltim minus certi, minusque stabilis quam alia indicatiora auxilia, ex venaesectione promittant. Ceterum etiam hic saepe antiphlogisticis, secundum variam rerum conditionem eligendis, nunc diureticae efficaciae, opus est, quo febris forte praesens, pro gradus caussarumque suarum ratione, in aegri commodum dirigatur. Semperque adnitendum, vt morbosae corporum dispositiones, quae ansam hujusmodi arthritidi praebuerunt, aut illam fouent, et augent, ordine modoque aptis, quoad fieri poterit, imminuantur, tollanturque. Qua via humorum depurationem natura facilius admittere, vel etiam ipsa moliri videatur, ea etiam in medendo praecipue legatur, nisi fida satis obseruatio ab illa recedendum, vel illi non nimis insistendum docuerit. Hinc si sputa, praesertim vbi salsus aut dulcis illorum sapor fuerit, in dolorum leuamen, vt aliquando fit, successerint, quam maxime saepius e re erit, juxta vsum demulcen-

centium, pulmonibus liberandis, et ſero iſti acriori alias per aptiores vias, nonnunquam et per vlcuſcula artificialia, educendo, ſollicitam adhibere operam. Vbi ad acidum in primis viis facile generandum pronitas adeſſe deprehendatur, ſaponibus praecipue medicatis, amarisque et antiſcorbuticis, dein etiam roborantibus locus erit. Et quum vere praeſens fuerit ad podagram diſpoſitio, eadem ipſa aliquando ſimilibus aut antea memoratis penetrantioribus, quae praeſens aegri conditio poſtulauerit, vel adhuc auertetur, ſi modo firmiores nondum radices egerit, aut vbi virium defectus roborantibus indigeat, in quo ſaepe culpa reſidet oberrantis in corpore podagricae materiae, illa quoque, ſi promouendus ſit ejusdem ad pedum articulos decubitus, ſub eorundem et excitantium atque deriuantium remediorum vſu, remotis primum, ſi quae ſuperſunt, obſtaculis, cum ſolito paroxyſmi ſui apparatu, erumpet. Vbi minus plene praeparata materies, naturaeque deficiens robur, mitiori, neque corpus reliquum ſatis liberanti, paroxyſmo podagrico anſam praebuerint; aut quoque hic non ſatis ex voto fauſta perſpiratione et diureſi finiatur; vel retineri pars arthriticae materiae in reliquo corpore, hinc inde oberrans, vel rurſum, idque grauiori plerumque cum periculo, reſorberi, ſimilemque tragoediam ludere, aut ad nobiliorem partem quoque depulſa, pertinacius illi tunc inhaerere poterit. Sed haec potius ad ſpecialiorem de arthritide fixa doctri-

nam ſpectant, quae noſtri nunc non eſt inſtituti. Quare ergo, quum et reliquae vagae arthritides a venerea labe et a ſcorbuto vero, ſymptomatum inſtar, oriundae, parte curationum hiſce morbis primariis conuenientium, ſaepiſſime indigeant, harum pariter expoſitione mihi ſuperſedendum atque ſpeciminis mei inauguralis nunc finem eſſe conſtituendum exiſtimo.

X.

Diſſertatio de puris absque praegreſſa inflammatione origine. Publice propoſita Gott. 1766. Reſp. Io. Chr. Grimmann, *Hadelenſi.*

---

§ I.

Vulgaris medicorum ſententia eſt, frequens iſtud malum, quod Latini inflammationem, Graeci vero φλεγμονην, ſ. φλογωσιν vocant, pro diuerſa liquidi in vaſis minimis haerentis natura, varia iſta humorum a tergo alluentium celeritate, vaſorum, in quibus obſtructio nata ſit, majori vel minori rigiditate, ſanguinis denique ipſius vel acriori vel blandiori indole quatuor diuerſis modis terminari: ita nimirum, vt materia ſtagnans vel propitioris naturae beneficio absque vllis priſtinae labis reliquiis ſolua-

soluatur et in societatem circumacti sanguinis rapiatur; vel in liquamen quoddam albidum, puris nomine insigniri solitum, degeneret; vel iniquiori sorte vna cum vasis, quibus coerceatur, in tumorem doloris omnis expertem indurescat; vel etiam deleto omni cum parte affecta humorum commercio, in gangraenam seu sphacelum transeat. Quibus postea venerabile istud academiae nostrae decus, illustris RICHTERVS *a*), ingeniose duos alios inflammationis exitus, alterum, qui rigescendo, alterum, qui desquamando absoluitur, adjecit.

§. II.

Vtut autem verum sit, inflammatione praegressa, abscessum, scirrhum et gangraenam, saepe enasci: non temere tamen originem istam extendere licet, sed e contrario sine vllis inflammationis vestigiis, haud raro vitia ista emergere, fatebitur mecum quilibet in naturae tramite premendo sollertior. Nec mihi firmiori talo illa de eorum natalibus theoria (si nempe de originis constantia sermo est) stare videtur, quam quae inflammationem a liquidorum in angustiora justo vasa impulsione, errorem loci vulgo dicunt, deriuat *b*), vel quae venae sectionem *c*), in inflam-

a) V. *Progr. de duplici nouo inflammationum exitu rigescendo et desquamando* 1748. *Gött.*

b) Quae huic hypothesi aduersentur, abunde exposuit Ill. ab HALLER *in Elem. Physiolog. T. I. p.* 114. *sqq.*

c) Quanti vero sit hac ipsa in re non nimis auctoritati fidere bene docuit cl. KLOECKHOF in *diss. de venae sect. termino in acu-*

inflammatoriis morbis intra exiguos tridui cancellos coercet. Hanc vero originem in abscessibus BOERHAAVIVM vbiuis accusasse, ex capite de inflammatione, de abscessu, de febre, de peripneumonia et pleuritide, de phthisi, in primis apparet. Vnde non mirum quod tot alii, et inter hos famae sane haud exiguae viri, HEISTERVS, PLATNERVS *d*), GRASHVISIVS *e*) aliique eandem sententiam amplexi sint.

§. III.

Tum vero ex inflammatione pus generari dicunt, *f*) quando materia vascula obserans adeo impacta haereat, vt per conuergentes canales liquidi posterius irruentis efficacia non possit in venas impelli, sed quouis cordis ictu arctius firmetur; vnde vascula tenerrima ista sensim diuellantur, adeo vt effusio liquidi fiat, quod dein vna cum vasis, quibus comprehensum fuerit, loci calore in liquidum album

tis, opusc. med. p. 117. *sqq.*; quod ipsum quoque cel. olim BRENDELIVS in praestantiss. *diss. de seriori vsu euacuantium in quibusdam acutis*, memoriae reliquit; nec non cel. TISSOT in *Avis au peuple, a Lyon p.* 48., vbi dicit praemissis momentis, quae seriorem venae sectionem suadent: *il faut sans s'embarasser du jour, faire une saignée, fut ce le dixieme.*

d) b. PLATNERVS non solum in *Chirurgia* sua, sed etiam in Diss. *de noxis ex cohibita suppuratione* (*Opusc. I. p.* 226.) se pro ista stare ostendit.

e) *Diss. de generatione puris*, praemio condecorata (*p.* 8.) vbi *suppuratio*, inquit, *est consequens vel exitus inflammationis, posterior necessario requiritur, vt fiat prior* (*p.* 10.)

f) BOERH. *aphor.* 387.

album homogeneum reſoluatur *g*). Aſt aberrare ab iſta norma haud raro naturam obſeruamus, quin eousque vt ipſa ſuppuratio, inuerſa rei conditione, inflammationem nonnunquam gignat, prout in phthiſicis obſeruamus, quorum pus ad latera vlceris nouam ſaepe inflammationem accendit, et pulſum antea ſuppreſſum et mollem attollit durumque reddit, et veram febrem acutam ſuſcitat, nonniſi ſanguinis miſſione, temperantibusque commodius compeſcendam. Nec minus communi ſententiae aduerſum eſt, quod ſcirrhoſa glandularum durities ſaepe in verum pus vertatur, quod exemplo tuberculorum ſ. ſcirrhorum in pulmonibus repertorum, in quorum meditullio pus natum fuit, ſatis patet. Hinc etiam, qui iniquius de cicutae vi ſentiunt, ill. STÖRCKIO objecerunt, infauſto euentu eandem ſuppurationem in glandulis internis facile poſſe contingere, de qua in externis ſcirrhis practicorum nonnulli gloriantur; cujus vero effectus noxii immunem omnino ſtirpem pronunciat ill. ille Vindobonenſis medicus *h*).

§. IV.

Fatendum ſane eſt, in hoc ipſo, prout in multis aliis argumentis, quae non ratiocinii ſed fidae obſer-

g) V. etiam ill. v. SWIETEN. *Comment. ad Aph. cit.* et GRASHVISIVS *loc. cit. p.* 14. *ſq.*

h) *Libell. II. de cicuta* pag. 285. Eandem vim HAENIVS tribuit Belladonnae, quam vero ſe obſeruaſſe in aegra ſibi commiſſa negat cel. ZIMMERMANNVS (*Periculum de Belladonna* p. 28.) V. HAENII *Rat. med.* 2. *p.* 36. *ſq.*

obſeruationis et experientiae fulcro nituntur, ex veterum monimentis fruges colligi poſſe praeſtantiſſimas; quo tota inprimis de criſibus doctrina pertinet. Ne vero quae de abſceſſuum, ſ. αποϛασιων v. αποϛεματων origine dixerunt, maligne interpretemur, notare oportet, variam iſtis veteres tribuiſſe ſignificationem. Sic HIPPOCRATES tranſitum vnius morbi in alium hoc nomine inſigniuit, docente iſto loco, quo *ex aliis febribus et morbis abſceſſus* (αποϛασιες *in quartanas fieri* refert. *i*) Frequentius vero per apoſtaſin intelligit ſeceſſum materiae cujusdam ad aliquem locum per varia coctionum molimina, ſiue verum pus iſta fuerit ſiue liquamen quoddam iſto crudius minusque elaboratum. Hanc ſpeciem ita veteres diſtinxerunt, vt alios abſceſſus fieri per effluxum (κατ' εκρεν) ſi e. gr. per alui dejectiones vel mictu craſſioris lotii, inflammatorius quidam morbus ſolueretur, alios per decubitum (κατ' αποθεσιν) *k*) dicerent, cujus loci ſunt parotides, absceſſus ad inguina, coxas, aliasque partes. In denominandis abſceſſibus internis frequenter empyematis v. εμπυησεος nomen occurrit, quod ſaepe idem praeciſe vitium, quod Latini vomicam dicunt, denotat *l*), licet haec vox quoque ad effuſionem puris intra pulmones et thoracem *m*) extendatur. Ratio

i) *Epidem. I. Text.* 21. CHARTER *Tom. IX. p.* 44.

k) GALEN. *Comment.* 2. *L.* 1. *Epid. Hipp. Text.* 44.

l) *Hipp. Epidem. L.* 3. *Aphor. V.* 8. CAELIVS AVREL. *Acut. L.* 2. *cap.* 12. *Tard. paſſ. I.* 5. *c.* 10.

m) *Galen. Lib. de tumoribus cap.* 3. *Aegineta. L.* 3. *c.* 32.

tio quoque abſceſſus ad neruos; viſus auditusque variis vitiis, apoplexia, paralyſi, ſpaſmis etc. ſeſe manifeſtantis, ſedulo ab iſtis habita eſt. Generatim igitur ad veterum mentem abſceſſus in duas claſſes diſpeſci poſſunt, quarum altera liquido quodam vel in loco primum laeſo, vel in remotiori, collecto abſoluitur; altera in neruis per conſenſum plerumque modo affectis ſeſe exſerit. Paucis ipſe Hippocrates rem expedit, dum, *abſceſſus*, inquit, *fieri aut per cutem, aut ad oſſa, aut ad ſpinalem medullam, aut ſecundum alias effluxiones* (ἐκροας), *os, pudendum, aures, nares, ex vtero menſes n*). Ego vero abſceſſus ſignificatum ad verum pus conceptum reſtringo, ſiue iſtud aliquo loco decumbat, ſiue, in quo praeeuntem Galenvm habemus, per patulas corporis vias effundatur, et quid de hujus praeciſe origine ſtatuendum ſit, diſputo.

§. V.

In vniuerſum criſeos genus abſceſſus eſſe ſcimus, quibus natura in praeſidium ſanitatis vtitur, vt quidquid vitii in humoribus noſtris contractum ſit, ſubigatur, ſubactum denique ex corporis ſinu eliminetur. Quum vero eaedem cauſſae aduerſam valetudinem gignant, quae ſecundam ſuſtentant, nec inter ſanitatem et morbum aliud quam gradu diſcrimen obtineat: in ſano alioquin homine nec prae-

n) *Epid. 2. Sect. I. p. 688. Edit. Lind.*

praegreffo alio morbo afflicto aliquando oriuntur; vt ex furunculis oris, fcabie, capitis tinea aliisque exemplis conftat. Crebrius tamen poft acutum morbum pullulare folent, nifi ifte fub declinatione febris fudore largiori vel vrina folutus fuerit, nec rarius intermittentes febres vel chronicos morbos excipiunt; licet pro temporis ratione haud exiguum difcrimen fit. Lentius obrepunt, quibus febres longae foluuntur, nec continuo fed partito molimine et febriculis acutioribus haud raro interrupto ifti perficiuntur. Quas ipfas latentes infidias occultas iftas phthifes experiri fatis certum eft. interdum iftud molimen modo in vifcus aliquod internum vel externam quandam corporis partem vim fuam exferit, aliquando autem totam maffam fanguinis inquinat et in confenfum trahit. Saepe quoque fit, vt purulenta materies, quam primum occupauit fedem, relinquat, aliorfum confugiendo. Quod vero hujus in primis loci eft, differre in eo abfceffus videmus, quod quidam inflammationis effectus fint, alii autem fine ifto fymptomatum fatellitio, quod phlegmone fibi vindicat, procedant; de quibus omnibus jam difpiciendum eft follertius.

§. VI.

Quisque nouit inflammatione iftam partem dici affectam, quam doloris fenfus grauat, in qua calor percipitur, rubor quidam apparet, et quae vltra fuperficiem reliqui corporis prominet, quibus febrem

febrem tanquam aliud idque indiuulſum ſymptoma nonnulli addunt o), quam vero SWIETENIVS haud ſine limitatione admittit, ita vt vel in toto (ſcil. corpore) vel in parte tantummodo, (quod nihil aliud quam conſueta iſta pulſatio eſt) ſeſe manifeſtet, reſpiciente nempe illuſtri viro ad doloris connubium, quem veram febris cauſſam habet, et quo mitius affligente, febrem ſaepe deeſſe affirmat. p) Cui SWIETENII effato equidem non omnino ſubſcriberem, quum in diriſſimo dolore colico inflammationem comitante pulſus debilis, nec ita vt alias fit, acceleratus ſentiatur. Et licet largiendum in minori inflammatione deeſſe poſſe febrem, ad majorem tamen requirimus. Neminem autem latet, quaenam ex dictis ſignis ab inflammatione interna excludenda ſint.

§. VII.

Quod vero veteres ad puris prouentum jam perſpexerint prodroma haecce ſigna non abſolute requiri, ita tamen vt appareat iis hoc non omnino vulgare viſum fuiſſe, non vno indicio palam eſt. Docuit quidem HIPPOCRATES circa puris generationes dolores et febres magis accedere, quam ipſo facto. q) Interim ipſe id non ſemper contingere

 aperte

o) PLATNERI ſunt: *omnes, qui inflammatione laborant, febricitant.* *Chirurg. p.* 27

p) *Comment. T.* I. *p.* 649.

q) *Aphor.* 47. *Sect.* 2. *De vlcer.* 11. 8. *et Praenot.* 17. 6. et alibi paſſim.

aperte teſtatur, *r*) ſed, nonnunquam *in morbis abſceſſus ſine febre et facile ferri.* In cujus loci interpretatione etſi MARTIANVS *s*) et VALLESIVS *t*) inter ſeſe diſſentiunt, dum ille iſtum de ſuppuratis, hic vero de iis qui ſuppurantur intellectum cupit: ipſe tamen Cous exemplo Leambii cujusdam in progreſſu mentem ſuam explicat, de quo quum *inteſtinum vlceroſum eſſe putaretur in dyſenteria pharmacis curata, humerum et ſedem vlcerata fuiſſe in ſiniſtra parte citra febrem*, refert. GALENVS autem abſceſſuum duo genera manifeſte conſtituit, his nimirum verbis: *transmutantur autem in abſceſſum inflammationes quaedam, atque ex inflammationibus eryſipelatis participantibus et ex eryſipelatibus inflammationis participantibus non pauca. Sine his vero etiam abſceſſuum diſpoſitio conſiſtit ex multitudine quorundam humorum aut ſpirituum vaporoſorum, ſiue in ipſis partibus in medio generentur, ſiue ex aliis confluant u*) Memorabilis quoque locus eſt, quo, *non ſolum*, inquit, *ex inflammationibus generatis abſceſſibus eſt, ſed etiam ſtatim ab initio nonnunquam propter alium aliquem humorem ſpatio temporis excoriantem et abducentem a ſubjectis ea quae continent. x*) Et alibi eodem modo abſceſſus diſtinguit, duplex eorum genus eſſe perhibens: *vnum cum phlegmone in pus verſa pus ipſum tanquam in ſinu aliquo eſt*

col-

r) *Epidem* 4. 23. ℣. 760.

s) *Annotat. ad hunc locum.*

t) *Comment.* ad eundem locum.

u) *De arte curatiua ad Glaucon. Lib.* 2. *cap.* 7.

x) *Lib. de tumoribus, cap.* 4.

collectum, alterum cum nulla praecedente phlegmone humor aliquis statim ab initio isque alias specie alius, ceterum omnino acris, in parte aliqua colligitur. Nec potuit effugere haec ipsa res perspicaciam veterum, qui adeo analogiam intra sedimentum vrinae, quod FERNELIVS materiam puri finitimam appellat, et ipsum pus cognouerunt. Hoc nempe instructam vrinam jam dudum HIPPOCRATES purulentam libro Prognosticorum vocauit, vbi ait: *soluere etiam purulentam vrinam album et laeue sedimentum habentem*, eamque illi vim tribuit, quod abscessibus alias nascituris praeuertat. Pertinet huc elegantissimus locus: z) *quibus spes est abscessum fore ad articulos, eos abscessu liberat vrina multa et crassa et alba reddita, qualis in febribus, in lassitudine, quarta die quibusdam fieri incipit;* et alius: a) *quibus febre iudicatorie desinente tumores ad aures in febribus cum doloribus suborti neque conquiescunt, neque suppurantur, eos profluuium vt intestinorum difficultas, aut quod in vrinis crassis subsidet, liberat.* Illustrat rem cl. A. I. SCHMITT ad mentem praeceptoris sui, ill. BRENDELII, in dissertatione *de coctione pathologica*, consilio suo, quo jubet praefocare abscessum ad aures in cunis adhuc latentem, repellere tempestiuis emollientibus, materiam stagnantem, quibus factis fore vt plurimum, vt albo sedimine vrina scateat, affirmat. Et FOESIVS in locum praenotionum

 coa-

z) *Aphor. Sect.* 4. 74. *V. et Epidem Lib.* 6. *Sect.* 4. *p.* 807.
a) *Epid. Stat.* 3. *Lib.* 1. *Sect.* 2.

coacar. (Loc. CL.) Hippocratis commentans *Erasistratum* quondam refert sedimentum vrinae in febrientibus pro pure habuisse. Contrarium autem judicium veteres ferebant, si vrina tenuis et cruda mingeretur, praelucente eodem diuino viro, cujus effatum est: *qui vrinas tenues et crudas mejunt multo tempore, sique cetera salutaria signa sint, illis abscessum ad loca, infra septum transuersum exspectare oportet b)* Quae de abscessuum in vrinas purulentas commutatione dixi, satis docent eandem vtrique criseos generi esse originem, et eodem naturae molimine vtrumque perfici. Nec negare ideo licet, verum pus emanasse cum lotio, quod istud in apostemate haerens crassius apparet magisque elaboratum, quod nimirum morae et quieti in loco calido et resorptioni tenuiorum partium tribuendum esse censeo.

§. VIII.

Mirandum igitur quam maxime est, quod in tanta quam veteres circa abscessuum primordia accenderunt lucem posteriorum medicorum plerique de hoc suppurationis genere vel omnino taceant, vel in isto refellendo moram nectant; vnde pauci isti, qui illius meminerunt, refutare potius recentiorum placita, quam veterum nouis argumentis confirmare videntur. Ex seculo 16 inter fautores hujus

b) *Prognostic. N. 78.*

hujus ſententiae FRANCISCVM VALLESIVM, c) commentariis ſuis in Hippocratis libros de morbis popularibus, inconcinna licet dictione exaratis, inprimis celebrem, repono, cujus verba de hac re ſunt, *abſceſſus ad articulos fiunt aliquando citra articulorum dolores ac tumores, qui ſolis effeminationibus ſeu luxationibus cognoſcuntur;* cui ex medio ſeculo 17. adjungendus eſt ANTONIVS SANTORELLVS, quem breuiter hanc rem attigiſſe refert MARCVS AVREL. SEVERINVS. d)

§. IX.

Commodiſſime autem abſceſſus iſti ſine inflammatione in 3. *Species* diſpeſci me judice poſſunt.

Species prima.

Prima haec eſto, in qua *pus eodem quo collectum reperitur loco, originem ſuam cepit*, nec aliunde, niſi per latens et occultum ſanguinis vitium, illuc delatum fuit; locum vero, quo emerſit, ſenſim vi morbi exundante, exulcerat. Haec ſaepe ex acuta quadam febre orta eſt, a qua tam longo nonnunquam intervallo diſtinguitur, vt vera ejus origo omnino fere deliteſcat. Nonnunquam vero ſponte ſubnaſci videtur in corpore ad eandem concipiendam per naturam, vel peculiari corporis conformatione vel haereditaria quadam labe, accedentibus cauſſis procatarcticis, apto.

c) *Epid. Lib. 6. Cert. 1. Text. 11.*

d) *De recondita abſceſſuum natura p. 24.*

§. X.

Subdoli hi sunt natales plerarumque phthisium, quos miror BOERHAAVIVM silentio praeteriisse, ad originem earum vel ex haemoptysi vel ex peripneumonia praegressa vnice respicientem. Excludit istud phthiseos genus vulgares illas caussas, haemoptysin, febres pectoris inflammatorias, exanthematicas vt variolas, morbillos, malignas denique; et intermittentes, vitio vel naturae vel artis male retropulsa, strumas infantum suppressas, rel. Sed inter varias viscerum debilitates et symptomata varia spastica cum corporis extenuatione obrepit. Hi ipsi spasmi doloribus variis, affectionibus hypochondriacis, rubore isto genarum siue fugaci siue constantiori, quin veris nonnunquam motibus conuulsiuis sese produnt. Quo in statu aegri diu saepe vitam, quin per complures annos protrahunt, ita tamen vt certis periodis et pro varia anni tempestate dirius afficiantur. Nec statim ab initio febris sese effert, quae eadem subdola vi emergens catarrhalem subinde refert nec constanter sed per interualla quasi affligit. Sub hisce insidiis tandem suppurationis molimen manifestius redditur doloribus inprimis circa thoracem humerosque mox obtusis, mox acutioribus, respiratione molestiori, pressionis circa pectus sensu, quocum tussis interdum conjungitur, habitu cachectico, aliisque ejus generis signis. Et ne nunc quidem febris semper molestiarum co-

mes

mes eſt, licet aliquando accedat, eaque plerumque valde recondita, et vt ante jam dictum, inducias vel longiores vel breuiores relinquens, vel mitius aegrum grauans; vsque dum rupto abſceſſu verum pus egeratur, et in apertam phthiſin malum tranſeat. Stadium hocce, ſuppuratorium merito dicendum, ſaepe febre alius generis etſi mitiore a catarrhali vel intermittente acceleratur, notante jam Hippocrate: aliquos febre qualicunque ad ſuppurationem perduci. *e*) Ad rariora autem exempla pertinere videtur, quod vlcus in plumonibus per totum tempus nihil doloris vel tuſſis excitauerit, cujus exemplum, ex Nicol. Massa, Bonetvs *f*) recenſet.

§. XI.

Saepe hectica labes praecedit, a variis pulmonum obſtructionibus, ſcirrhis, tuberculis crudis, vt Hippocrates illa vocat, apoſtematibus, calculoſis vel calcareis concrementis, materia ſabuloſa *g*) tuberculis ſ. vomicis non pure ſed tenaciori liquore *h*) muſcoſo alioque repletis, pituita corrupta flacciditatem inducente, *i*) atonia ſingulari, *k*) oſteogenia, ſteatomatibus, vt taceam alia vitia, repetenda. Scite veteres inter hecticam et phthiſin ſ.

e) *Praenot. coacar.* 3. 333.

f) *Sepulchret* I. 731.

g) *Solenander Conſil. med. ſect.* 5. c. 16. WIERVS *de praeſtig. daemon.* L. 3. *cap.* 2.

h) *Bonnet. Sepulchret.* L. 11. *Sect.* 7. *Obſ.* 24. HEVRNIVS *Obſ. hiſt.* 21.

i) SEVERINVS *de abſceſſ. pect.* 2. *cap.* 36. *p.* 269. qui GALENO ſuccenſet, ſemper vlcus accuſanti.

k) *Bonnet theatr. tabid.* E ere 23.

tabefcentes et empyos diftinxerunt, licet diagnofis faepe nonnifi poft mortem pateat, tanto magis fi vomica claufa aeger laborauerit. Nec opus fuiffet WILLISIO *l*), qui ejusmodi tubercula haud raro fe obferuaffe refert, fi ad iftud difcrimen attendiffet, erroris iftos redarguere, qui vlcus pulmonis femper in phthifi fupponunt, eamque per totius corporis contabefcentiam a mala pulmonis conformatione ortam definire. Hinc quoque RICH. MORTON *m*) reprehendens iftos, qui in vlcere pulmonis tantum acquiefcunt, multas alias phthifes recenfet, fcorbuticam fcrophulariam, icteritiam, afthmaticam, melancholicam aliasque, quarum non ita arctum cum vlcere connubium. Multa tuberculorum in pulmonibus repertorum, quibus tabes inducta fuit, occurrunt exempla, quorum autem ea natura eft, vt, licet duriorem materiam, cretaceam quafi feu gypfaceam initio contineant, fenfim tamen in mollius liquidum, quin verum pus refoluantur; vnde hecticae in phthifin tranfitus cognofcitur. Quod inde euidentius fit, quod in vno eodemque corpore materia iis contenta diuerfae naturae fuit, mox durior digitisque comprimentibus refiftens, mox fciffilis, mollior et pultacea, quin aliquando vere purulenta. Sic in actis medicorum Edinb. *n*) quadriennis puer fiftitur, qui conualuiffe perfecte ex incipiente phthifi vifus fuit, poft mor-

l) *Pharmac. rational. Tom.* II. *Sect.* 1. *c.* 6. *p.* 87.
m) *Phthifiolog. L.* 2. *ab initio p. m.* 35. de diuifionibus vero agit. *L.* 3. *c.* 1. 2. 3. 4 13. etc.
n) *Medical. Effays T.* 2. *p.* 298.

mortem vero conuulſionibus acceleratam, pulmones exhibuit tuberculis ſcatentes, quorum quaedam craſſam materiam inſtar caſei recentis, alia pus tenue incluſerunt. De milite BARRERIVS *o*) refert, macilento viribusque valde proſtrato, perque octo fere menſes tuſſi valde afflicto, et febre lenta decumbente, qui poſt ſputorum tenacium alborum ejectionem ſudoresque moleſtos tandem ſuccubuit. In hujus pulmonibus magna tuberculorum copia apparuit, diuerſae magnitudinis et duritiei; quaedam diſciſſa emiſerunt materiam gypſaceam, et vnicum adfuit pure plenum. Quae nec SYDENHAMVM *p*) latuerunt, vtpote qui in aegris phthiſi decedentibus glandulas et tubercula adnaſci, ſanie vt plurimum diſtenta, dicit. Quibuscum etiam MEADII *q*) et PRINGLII *r*) obſeruationes conueniunt. Et hi aegri ſine dubio ſunt, quos HIPPOCRATES *s*) ſubtabeſcentes nuncupat, et quos dein ingruente epidemica, eaque auſtrina aeris conſtitutione vere tabidos euaſiſſe refert, addens: quandoquidem multis etiam dubie ſeſe habentibus tabes tunc confirmata fuit. Poſſunt iſta tubercula per aliquod tempus pus eructare, et ſputis intra reliqua verae phthi-

o) *Obſeruat. anatom. p.* 124. *ſeq.*

p) *V. Proceſſ. integr. Op. Ed. Lugd. p.* 638.

q) *Monit. et praec. med. Sect.* 10. *p.* 27. *Ed. Lipſ.*

r) *In the bodies*, inquit, *vvhich* I *diſſected of thoſe vvho died of the phthiſis pulmonalis*, I *found the lungs full both of tubercles and ulcers*. V. DISEASES *of the army* 1764. *p.* 169.

s) *Epid.* I *Text.* 18.

phthiseos signa, effundere, dein vero minuto sensim riuo iterum consolidari, redeuntibus iterum postea nouis puris screatibus. Quod innuit istud practicae sapientiae Coum oraculum, dum suppuratos ex tabidis et vicissim ex suppuratis tabidos fieri notat. *t*)

§. XII.

Nonnunquam vero etiam sine prodromis hisce vitiis suppurationis negotium peragitur, ita vt protinus ab initio in pulmone pus concipiatur. Quod frequenter in istis hominibus, quibus peculiaris opportunitas ex structura corporis dependens ab Hippocrate in Coacis elegantissime descripta, accidit. Hos φθινωδεις vocauit Galenvs, quoniam isti, phthiseos etsi adhuc expertes, procliuitatem ad eam habent, scapulis prominentibus, pleniori et angustiori thorace, collo longiori carnisque teneritudine, ex placitis medicinae antistitum, cognoscendam.

§. XIII.

Vix opus est operose testimonia auctorum conquirere, qui hancce latenter obrepentem phthisin obseruarunt, quum ill. Swietenivs *u*) nullum medicum esse putet, qui lautam praxin habuerit, quin similes casus viderit. Pluribus locis, in veterum monimentis obuiis, eandem istis cognitam fuisse,

t) *De locis in hom.* XXVII. 8.
u) V. *Comment.* T. 4. p. 3.

isse, constat, in quibus tabescentium, latenter phthisicorum etc. mentio fit. Huc quoque respexisse eos existimo, dum pituitam intra pulmones collectam accusant, et hanc caussam ab aliis manifeste distinguunt. *v*) Adponere huc iuuat locum Galeni *x*) notatu dignissimum: duae namque, inquit, sunt ejus differentiae maximae, vna quidem ex capitis defluxionibus constat; altera vero, quae ex ipsis pulmonibus affectis ortum ducit, prorsus quidem ex cruentis sputis, maximeque rupto vase, saepius et rheumate affecto viscere, ob aliam quandam ex aliis partibus, non ex capite caussam. Dissidium quod inter medicos obtinere dicit Fernelius, *y*) an sine haemoptysi praeuia aliquis contabescere posset, ex propria Obseruatione dirimit, dum complures se vidisse affirmat, quos tabes consumsisset, licet ne vllum quidem per totum morbi decursum sanguinis vestigium exstiterit. Magni ponderis est assensus Lommii, *z*) fidi veterum practicorum interpretis, qui alios latenter etiam, sine sanguinis sputo, sine signis momentaneae destillationis praegressae contabescere ob infirmos natura pulmones notat. Facile patet, haec non potuisse effugere attentum tabidorum scrutatorem Bennetum,

v) *Hipp. de internis affect. c. 2.* CAELIVS AVREL. *de morbis chron. L. 2. cap. 14. p. 410. Cels. L. 2. cap. 7.*

x) *Comment in 1. Libr. Epid.*

y) *Pathol. L. 5. c. 10. V. Ed. Geneu. vniu. med. p. 458.*

z) *Obseru. Med. Ed. VVed. p. 135.*

TVM, *a*) qui et curatius modum, quo ejusmodi abscessus erumpit, definire ausus est. Nec perfunctorie hoc ipsum phthiseos primordium descripsit ELLERVS; *b*) vt taceam varias egregias disputationes a BRENDELIO editas, quae aliquid commercii cum hocce argumento habent.

§. XIV.

Negari quidem nequit, quod praeter pulmones alia quoque viscera latenti isti corruptelae, quae exulcerationem parit, obnoxia sint, prout phthises ex vlceribus in jecore, renibus, splene, mesenterio, tibiis, gutture, aspera arteria aliisque partibus natae manifeste docent. Sed ne sub hisce quidem labis expertes esse solent pulmones, adeo vt rarius in exitium aegri vergant, nisi hi ipsi communi vitio afficiantur. Hinc post febres acutas, quando ex suis signis abscessus exspectare fas est, nisi in parte quadam externa emergant, phthiseos pulmonalis metus merito concipitur. Fauere isti, etiamsi nulla in ipsa thoracis compage labes accusari possit, non structura solum spongiosa pulmonum, sed et copia ista perpetuo alluentis sanguinis videtur. Quum enim, quicquid humorum in corpore reperitur subigi, misceri, densari a pulmonibus debeat: non possunt non vitia, quibus isti laborant, vna inferri et vim suam ad istos dispergere, cui vero

a) *Theatr. tabid. p. 32. n. 34.*
b) *Obs. de cognosc. et curand. morbis p. 208.*

vero injuriae tanto minus resistere possunt, quum mollities ipsius visceris ad fouenda ista adeo apta sit. Eo nempe videmus diathesin purulentam facile ferri, quo minima resistentia est. Hoc quoque in caussa est, quod contagio varioloso hausto plurimae pustulae iis in locis erumpant, quae lanceola hinc inde per cutem leuiter ducta, debilitauimus; et quod in insitione variolarum plurima pars puris per vulnus inflictum effluat. Hinc retropulsa materia arthritica pulmones inprimis afficit. Hinc quoque pectoris oppressiones et anxietates, quae ex retrocedentibus exanthematibus nasci obseruantur. Quae vero labes dum semel in pulmones translata fuit, ob languescens in commodo nutrimento parando officium, totam humorum congeriem vitiari nimium et primo fomiti nouos semper igniculos addi, necesse est, tanto magis si inquilinum quoddam pulmonum vitium praecesserit.

§. XV.

Nec desunt alia, praeter phthisin, puris citra inflammationem concepti exempla. Variolas aliquando sine febre, saltim leuissima, prodiisse, easque vero pure repletas, in variis practicorum libris legimus. c) Et etiamsi cum Wratislauiensibus medicis, d) *Forestum*, *Rhodium* aliosque, qui ejusmodi obseruationes consignarunt, errasse dicendum esset,

c) V. DRELINCVRTIVS *L. de variol. et morbill. op. p.* 649. FOREST. *L.* 6. *Obs.* 49. 50. *Huxham de Variol. T.* 2 *p.* 123. *Ed. Reichel.*

d) *Const. epid.* 1700. *p.* 161.

esset, quum haud facile distinguatur leuissima febris a nulla: haud tamen raro videmus ex contactu pustulas quasdam variolosas enasci, absente omni febris indicio, in iis nempe, qui variolas jam superarunt, inprimis si cutem mollem et teneram habent. De abscessibus spontaneis externis autem cel. ACRELL *e*) tres nobis exhibet casus, in quorum duobus nulla morbi antecedentis suspicio fuit. In altero abscessus mollis in dorso inde a dorsi spina vsque ad scapulam dextram fere, cujus diameter quartam cubiti partem constituebat, natus erat. Per complures tamen annos infirmae valetudinis aegra fuit, et doloribus vagis conflictata; abscessus vero ipse doloris expers fuit. Tandem autem, priori licet abscessu sanato, ob diathesin purulentam, nouo postea abscessu sese manifestante, occubuit. In alia femina pariter nec febris nec alius vllus morbus praecessit. Non valde dissimilis casus est, quem SWIETENIVS *f*) sistit; viri nempe mediae aetatis sani et alacris meminit, in quo sine manifesta caussa ortus tumor mollis in latere sinistro circa os ilei fuit, cui tandem hectica febris accessit, eaque lethalis. Alio loco *g*) mentio fit aegrae, in qua vigesimum morbi diem jam transgressa, subito, quum pridie nulla ejus nota adesset, humoris fluctuantis copia percepta fuit in brachio, nec, quod expresse addit, toto morbi ambitu, vllum topicae inflammationis

vel

e) *Chirurgische Händelser. p. 142. sqq.*

f) *Comment. T. I. p. 718.*

g) *Tom. 2. p. 18.*

vel ſuppurationis veſtigium apparuit. Ad hoc Cl. Bilgver vero *h*) praeter iſtos abſceſſus externos, quos immediate praecedens inflammatio; febris, rubedo, et acutus dolor indicat, alios quoque exſiſtere aperte monet, et magna copia pus ſub cute et pinguedine accumulari, absque omni extrinſecus apparente indicio. In tanta obſeruationum copia non potuit non quoque veri amantiſſimus ill. Morgagni *i*) hanc ipſam abſceſſus originem agnoſcere, qui dum de illa agit, ſe inprimis collegae ſui Pviati obſeruationibus firmari in iſta dicit; qui adeo in hominibus in firma et florente aetate conſtitutis et ſemel in robuſto viro illam obſeruauit. Ad hoc abſceſſuum genus quoque refero vlcera varia venerea, cariem oſſium variam, quae ſi temere ſupprimitur; haud raro veram phthiſin generat, epiphoram purulentam, gingiuarum vlcera; linguae fiſtuloſa vlcera, *k*) vlcera varia mali moris crurum, aliorumque membrorum. Furunculorum, qui nonnunquam deuictis variolis exſurgunt, adſentiente Haenio *l*) eadem ratio eſt, ita vt nonniſi a pure cutis tendatur, et vnica die naſcatur, augeatur tumor iſte, apertus vero nonnunquam eodem die pus fundere incipiat.

Speci-

h) *Wundarzneykunſt in Feldlazarethen p.* 826.

i) *De ſed. et cauſ. morb.* 55. *p.* 341.

k) *Hildan. Obſeruat. Chirurg. Cent.* 4. *p.* 43.

l) *Rat. med.* 2. *p.* 17.

Species ſecunda.

§. XVI.

Jam vero in ſecunda abſceſſuum ſpecie conſideranda occupabor, quam in eo colloco, quod pus non fixo quodam loco colligatur, eundemque lenta vi depaſcat, ſed *libere in ſanguinis maſſa oberret*, data vero occaſione per patula corporis loca effluat. Quicquid in hocce difficili argumento lucis nobis affulget, decurſus morbi cum iis quae in cadauere poſt mortem obſeruantur comparationi debemus. Nam in ſanguine ipſo, dum e vena mittitur, nihil purulenti apparet, ſed omnia in eo accurate commiſta et homogenea reperiuntur. Haud raro vero inciſo cadauere circa cujusuis generis viſcera cruſtas ſubflauas albidas easque inſtar lardi compactas conſpicimus, quibus quum nullae aliae viae, quam tenerrima exhalantia vaſa patuerint, ex ipſo ſanguinis penu promanaſſe credibile omnino eſt. Annuunt obſeruationes, quae, licet magna aliquando copia puris per quaedam loca in vita effuſa fuerit, nullum tamen peculiare ejus receptaculum poſt mortem ſub ſcrutinio anatomico inuentum teſtantur.

§. XVII.

De phthiſi exempla hujus generis varia in ſcriptis medicorum obuiam mihi venere. Pluries ſe vidiſſe fatetur b. Brendelivs *m*) phthiſicos, quibus

m) *Diſſ. de tabeſcentibus ad nares ducenda fluxione p.* 5.

bus ne vestigium quidem vlceris jam elaborati pulmonum vel alius visceris fuisset, sed profusa quaedam per pulmonum substantiam inque interstitiis mediastini extra vasa collecti liquoris proluuies ichorodes spumosa, subcruenta pallida et aliorum colorum. Sic BENNETVS *n*) hominem sistit, qui per longum tempus sputum subdulce summe emaciatus ejecerat, in cujus pulmone praeter laxitatem notabilem nihil alieni visum fuit. Nouum rei fulcrum HAENIVS *o*) dedit, dum variorum aegrorum sibi commissorum historias nobiscum communicat, qui sputorum purulentorum ingentem copiam exscrearunt, vnde consumtionis insignis vel vomicarum haud exiguarum suspicio nata fuit; cujus vero labis adeo insontes post mortem pulmones inuenti fuerunt, vt ne tantillum quidem vel puris vel vomicarum detegi potuerit. Nec quantum scio alius originis illa puris per os excretio fuit, quae aliquando in ipso phthiseos decursu citra febris connubium, ut passim legitur, nata fuit. Quod et jam HIPPOCRATI probabile visum, vtpote quum iis hoc sputum familiare esse pronunciet, quibus consuetae sanguinis excretiones per commodiores vias substiterint. Singulare autem est, quod in quibusdam formae quidam vigor et torositas inter tantae colluuiei corruptae euacuationem remaneat. Huc

n) *Theatr. tab. hist. ad cap. 23. p. 89. aliisque locis.*

o) *Rat. med. T. I. p. 86. sqq. Tom. II. p. 12.*

pertinet matrona ista, quam CVMMIVS *p*) in Ephemeridibus naturae curioforum defcribit, quae menftrui fluxus parcius promanantis loco, fingulis menfibus infignem ad tres faepe libras puris foetentis copiam fputis ejecit et nihilominus vigorem formae fuae feruauit. Prout aliud ejusdem tenoris fere exemplum a BARTHOLINO *q*) memoriae proditum reperitur, juuenis nimirum, qui inter purulentam colluuiem, quam in adftantium haud exiguam moleftiam et intra lentae febris infidias exfpuerat, adeo tamen in dies carnofus euafit, vt veftimenta arctiora fenfim fieri fentiret.

§. XVIII.

Non vnice vero labe ista purulenta per pulmones fefe liberare ftudet natura. Interdum ad nares redundare illam animaduertimus. Veteres inter phthifeos cauffas defluxum pituitae ex capite accufarunt, quem licet, quum nullae viae, per quas defcendere poffit, ex cranio pateant, hodie haud aliquis amplius reum facturus fit; ex catarrho tamen veram phthifin efflorefcere poffe, certo certius eft. Vnde perfpicaciffimus et Hippocraticus practicus, ill. PRINGLE *r*) adeo de tuffi ex refrigerio contracta apud milites metuit, vt neglectam tuffim pro initio

p) *Dec. I. A. I. O.* 94. *p.* 223.

q) *Histor. anat.* 14. *Cent.* 2.

r) *A recent cough from cold may be confidered as the lovveft degree of a peripneumony, and an old neglected cough as the beginning of a confumption.* Vid. *Difeafes of the army Ed. cit. p.* 169.

initio phthiſeos habeat. Non vero adeo mirum, quod veteres, in iſta anatomiae infantia, in hunc errorem incurrerint, quum in hominibus ad phthiſin procliuibus affluxum muci ad nares copioſiorem obſeruarent, ſub quo pectoris moleſtiae leuabantur; cui rei et recentior Cel. b. Brendelii experientia non mediocriter fauet *s*). Neque ideo ſine re conſilium ab ipſo jam Hippocrate captum eſſe videtur in tabeſcentibus reuellendi ſtillicidium iſtud ad nares, vt praepediretur ſuppuratio, vel jam praeſens imminueretur. Cur vero adeo proficuum iſtud aliquando defluuium ſit, exinde apparet manifeſtius, quod ſaepe ad puris naturam proxime accedit. Nec contrarium eſt, quod nonnunquam mere mucoſum quoad adſpectum ſit, quum diſcrimen totum in majori vel minori coctionis gradu tantum conſiſtere videatur. Memorabilis eſt Salmvthi *t*) obſeruatio, qui nares vidit, quemadmodum aliis ſanguine ſtillant, ſic pituita tenui cuidam ſtillare integrum triduum, per interualla tamen; et ipſius venerabilis Morgagni *u*), in lectiſſima Veneta muliere facta, quae ſub corporis conſpicua extenuatione per complures menſes tale profluuium experta fuit. Non ſolum autem ſtillicidium ejusmodi contingere ad nares, ſed veros ibidem abſceſſus gigni, idque nulla febre, minimo dolore, vel ſolum Fernelii *v*)

Hh 3 teſti-

s) v. BRENDEL *de tabeſcentibus etc. p.* 23.

t) BONETI *ſepulchr. Sect.* 17. *Append.* 2. *ad Obſ.* 10.

u) *de ſed. et cauſ. morb. Epiſt.* 14. *Art.* 20.

v) *Pathol. L.* 5. *cap.* 7. *Ed cit. p.* 439.

teftimonium docere poteft, qui ex ruptis ejusmodi abfceffibus pus fincerum per nares affatim profluere perinde atque e purulentis auribus, et quidem nullo valetudinis incommodo, animaduertit. Conftat fimul, quid de diuturna ifta puris per aurium meatum euacuatione, in praefidium aegri ,cum difficultate licet auditus conjunctum, adftantium autem ob foetorem et turpitudinem faftidium, contingente, fentiendum fit. Et fane quae fupra de vrinis purulentis ex ore veterum attulimus, haud leue oberrantis faepe vage puris documentum praebet. Morbos quidem praecipites praeter alias euacuationes vrina purulenta ac vitrea affatim reddita folui HIPPOCRATES innuit; fed et ad ipfos fanos integraque valetudine vtentes eandem extendere licet, quod probe quoque FOESIVS *x*) in annotationibus ad hoc Coi effatum monuit, voracitate et otio peccantibus illam quoque adfcribens. Ego vero citra iftas cauffas eam etiam agnofco, lenibus iftis abfceffibus in perfecte ad fpeciem fanis haud raro propullulantibus innixus. Eandem fluori albo originem tribuo, in quo muci fenfim in pus degenerantis haud obfcure ratio cognofcitur, et qui morbos non acutos modo fed et chronicos imperfecta crifi folutos frequenter excipit. Affinitatem vero praeter dicta habitus cachecticus febrisque lente corpus depafcens diriori malo accedens fatis denotat.

§. XIX.

x) *Praenot. Coac. loc. cit.*

§. XIX.

Multum praeterea lucis ſuppuratio iſta ingens vulnerum majorum, vt ex amputatis membris, accendit, quae nonnunquam omnem vitae conſeruationis ſpem, ex febre hectica, quae ſuſcitatur, et virium ſumma proſtratione, abſcindit. Non poteſt tanta puris et tam diu excreti copia ex loci tam parui inflammatione naſci, ſed diatheſin quandam puri generando commodam et per inflammationem quaſi ſeminio quodam inductam ſupponit. Hanc igitur potius, quam reſorptionem puris, quae vulgo accuſatur, febrem in his accendere exiſtimo. Par quoque abſceſſuum extrinſecus natorum eſt ratio, qui mirum eſt, quantam nonnunquam puris copiam comprehendant, quod apertura facta cognoſcitur. In juuene, dolore lumborum, et ad inguen natesque dextri lateris praegreſſo, tanta, ſectione facta, puris copia effluxit, vt non ſolum ad plus quam 6 libras aeſtimaretur, ſed totum lectum inundaret, reſpectu ne quidem ad eam quantitatem, quae ſequentibus diebus effluxit, habito. y) Eadem de ortu puris adeo copioſi mirandi occaſio MORGAGNIO z) ſeſe obtulit in Archidiacono quodam, cujus crus ſiniſtrum dolor primum, dein abſceſſus corripuit, ex quo tanta copia prodiit, vt de vita deſperarent, redeunte tamen ſenſim, licet in viro jam decrepito et febricula jam valdopere exhauſto, ſummi MOR-

y) *de la Motte Traité complet de Chirurgie Tom. I. p. 357. ſqq.*
z) *Loc. citat. Epiſt. 55. Art. 14.*

GAGNI peritia, priſtinae ſanitatis vigore. Circa coxas praecipue ejusmodi collectiones purulentae crebrius videntur obſeruatae eſſe, haud raro per telam celluloſam, fauente faſcia, quam vocant, lata, vndique ſerpentes; vnde et ipſum potius os corrodi, quam, vt alias fieri ſolet, foras eleuata cute abſceſſum emergere videmus. Hinc diuinus COVS a) jam vſtionem laudauit, vt ne in coxendicis morbo vexatis coxa excideret, crus contabeſceret et claudicatio fieret. Ideo quoque veſicatoriis tempeſtiue vti in dolore iſchiadico experientiſſimus TRALLES b) poſt alios tam ſerio injungit.

§. XX.

Nec momento ſuo vacat ad exulcerationem iſtam attendere, quae a leuioribus ſaepe cauſſis, contuſione, vulneribus, puncturis exiguis, in quibusdam hominibus naſcitur. Quod quum adeo crebro multi in ſemet ipſis experiantur, teſtimoniis firmare amplius ſuperuacaneum, et ne ill. MORGAGNI c) quidem, niſi toti, de quo agimus, argumento tantopere accommodatum eſſet. In ſenatore nimirum jam aetate prouecto, poſt leuem contuſionem in tibia, quam exiguum ibidem eryſipelas et modica febris conſecuta fuerant, tumor emerſit, ſine peculiari febre, ſine rigoribus vllis, vel doloris caloris pulſationisque ſenſu, cujus tumoris naturam fluctuans

a) *Aphor. 6. 60.*
b) *Vſus Opii Sect. 2. p. 314. ſqq.*
c) *Loc. cit. Epiſt. 55. artic. 16.*

ctuans intus materia deinde detexit. Et addit senex amabilis ab expertis Chirurgis sibi similes abscessuum ex leui caussa externa ortorum relatas fuisse historias.

Species tertia.

§. XXI.

Sed praeter duas istas huc vsque recensitas abscessuum species, tertiam constituo, in qua nimirum *pus, aliquo loco in corpore jam collectum, ad remotiorem quendam nullo antea vitio affectum, defertur.* Est metastaseos genus ab alia quadam cujuscunque originis enata. Nolo illam cum ista primaria confundi, quae acutis morbis crisi perfecta non solutis, superuenit. et vel externum corpus ad aures, axillas vel inguina plerumque, vel peiori omine internum aliquod viscus occupat. Nam licet nonnunquam crisis ista imperfecta subito fiat, nec prodromis illis inflammationis signis stipata prodeat, *d*) saepissime tamen illa futuri decubitus praenuncia sese adjungunt. Vnde prisca ista in decursu morborum scrutando industria, quibuscunque ex morbo resurgentibus aliqua pars doluerit, illis abscessus exspectandos esse *e*) docuit, tumque praecise decubitus istos oriri monuit, si viginti dies febris detinens superet. Transitus vero puris, de quo loquor, non vna solet esse ratio. Mox enim ex vno viscere in

d) SWIETEN *Commentar.* 2. *p.* 593.
e) HIPP. *Aph.* 32. *Sect.* 4.

alterum, vel interna quadam parte ad externam ſeſe transfert, mox, poſtquam extrinſecus aliquo loco ſedem fixit, ex hoc intro redundat. Nec adeo rarum eſt, pus, quod interne alicubi haeſit, per emiſſaria corporis vaſa euacuari.

§. XXII.

Ad pulmones purulenta iſta colluuies ex alio quodam viſcere creberrime transuehitur, in cujus rei cauſſam ſupra jam inquiſiui. Ex vlcere vteri, cui obſtetricis cujusdam in ſecundinis extrahendis imperitia anſam dedit, jam ſexto die experientiſſimus MVZEL *f*) ſputa purulenta idque copioſe prodire animaduertit. Et in alio aegro ſputorum cauſſam apoſtema in peritonaeo natum eſſe conſtitit; quod ſagax MVZELII experientia jam initio ex liberiori reſpiratione decubitu ſupino, et quum reſpirare aegrum profundius juberet, tuſſis abſentia praeuidit, dein vero abdominis intenſione, dolore dorſi aliisque notis, et ſectione tandem, quae ingentem puris copiam elicuit, apertius cognouit *g*). Translati ex hepate in pulmones puris exemplum memorat ill. VOGELIVS *h*), quod inopinato ſub metu ſuffocationis prorupit, morte pediſſequa, poſt quam pulmones quidem omni vomica vacui reperti, trachea autem pure repleta fuit inuenta.

f) *Mediciniſche u. Chirurg. Wahrnehmungen, zvveyte Samml. p. 6. ſeqq.*

g) *loc. cit. p. 9.*

h) *Diſſ. de vomica pulmon. ſine cyſtide reſp. S. H. A. Keiſer.*

uenta. Vix vero alius illi similior casus exstare potest, quam iste a MVZELIO consignatus de aegro, cujus hepati in externa superficie saccus quasi putrido pure refertus, adnatus erat, pulmonibus omnis culpae insontibus *i*). Quod autem pus foris alicubi collectum non minus internas corporis sedes affectet, vel vnica MORGAGNI *k*) narratione palam est, quae scilicet feminam adducit, cujus crus ob vlcera cacoethica ante praecidere necesse fuit, quod eo quidem effectu factum est, vt primum parotis ingentem in molem intumesceret, postea autem apoplexia corriperetur, cujus caussam anatome detexit; nempe insignis puris copia in sinistro cerebri ventriculo latuit, absque vllo ceteroquin cerebri vlcere.

§. XXIII.

Sic quoque inuerso ordine decubitus puris extrinsecus haud raro ex abscessu interno contingunt; prout de empyemate ex pleuritide nato et per vlcus brachii judicato in Ephem. naturae curiosorum *l*) historia lectu digna occurrit. Non magis autem mirum, quod nonnunquam abscessus ante extra nati subito dispareant. In exanthematicis morbis, variolis, scabie etc. hoc fieri saepissime obseruamus. Vnde et SYDENHAMVS *m*) bubones in peste lubri-

cam

i) *V. loc. cit. p. I.*

k) *de sed. et caus. morb. Epist. 4. 5.*

l) *Dec. 1. A. 6. 7. Obs. 147.*

m) *Oper. vniuers. Lugd. 741. p. 116.*

cam et aleae plenam morbi judicationem exiſtimat, vtpote quum, quamuis interdum laudabiliter et cum ſymptomatum remiſſione protuberarint, ſaepe ex improuiſo euaneſcant. Fit nonnunquam ſubita iſta metaſtaſis aegri commodo haud mediocri, dummodo malum non nimis vetuſtum ſit, nec loca nobilioribus functionibus deſtinata occupet. Fuit quidam *n*) abſceſſu ad coxam correptus, quem aperire conſtituerat chirurgus proxima die, ſed per noctem diſparuit pus et alui dejectionibus ſeceſſit. Pejus cecidit diarrhoea in alio homine jam phthiſico, quae pariter conſilium abſceſſus ad thoracem ſequenti die incidendi fruſtraneum reddidit. *o*)

§. XXIV.

Tandem et illam puris translationem trutinare oportet, quae ejus per excretoria varia corporis vaſa ejectione abſoluitur. Poſſunt quae de metaſtaſi ſecundaria nuperrime dicta ſunt, huc referri. Nec minus autem crebro ad inteſtina et vrinarias vias pus ruere animaduertimus, Galeno *p*) jam praeeunte, qui pulmonis vomicam per vrinam, thoracis autem per inteſtina et aluum expurgari retulit. Eſt haec iſta diarrhoea colliquatiua phthiſicorum, qua ſcena malorum plerumque claudi ſolet, et qua ingruente homo tandem lampadis inſtar oleo orbae

n) *Miſc. Nat. Curios. Dec. 2. A. 9. O. 49.*

o) HAEN. *Rat. med. 2. p. 9.*

p) *de loc. affect. lib. 6. cap. 4. ad finem.*

orbae exſtinguitur. Naturae tamen beneficio deiectiones aliquando purulentas fieri, tum obſeruatio paullo ante ex ephemeridibus naturae curioſorum deprompta indicat, tum alia, qua tumor brachii inſignis hac ratione ſufflaminatus legitur. *q*) Hiſce vero in caſibus videtur non arcta puris cum ſanguine miſcela, ſed fluctuatio modo locum habere, ita vt pus ſanguinem quaſi ad inteſtina vel vias vrinarias modo comitetur, quem caſum vero tam rarum cenſet ill. Eques et Archiater ROSEN A ROSENSTEIN *r*), qui varias hiſtorias lectu digniſſimas diarrhoeae purulentae recenſet, vt inter eorum millia vix ſemel incidere pronunciet. Idem forſitan accidit, quum rariori ſpectaculo pus verum in vrinis non fundum petiit, ſed in ſuperficie natans conſpicitur *s*). Sic refert SCVLTETVS *t*) in homine, cujus abdomen perfoſſum fuit, cum leuamine omnium ſymptomatum vrinam copioſo pure miſtam ſe vidiſſe.

§. XXV.

Non alienum eſt in modum inquirere, quo iſta translatio puris peragatur. Triplex me judice conſtitui poteſt. Reſorptionem plerumque vnice accuſant. Nec equidem nego vaſis bibulis eam vim

eſſe,

q) V. *Decur*. 3. *A*. 3. *Obſ*. 2. *p*. 6. *Cfr. etiam A*. 5. *et* 6. *Obſ*. 281. *p*. 635.

r) V. Ei. *Anvveiſung zur Kenntniſs u. Heilung d. Kinderkr. verſ. cel. Prof. Murray p*. 119.

s) BRENDEL. *Diſſ. de tabeſc. p*. 25.

t) *Armamentar. chirurg. Obſ*. 61. *p*. 245.

esse, vt haurire queant stagnans aliquo loco pus subtilius vel liquidum illi analogum; quod dum sanguini admiscetur, illum corrumpit et quasi eliquat, febremque istam lente corpus consumentem suscitat. Non vero tam auide resorbere, prout plerumque putant, ex mora, quam pus saepe concipit diuturna apparet. Nec spissum adeo humorem, prout in abscessibus plerumque reperitur, a tam angustis vasis imbibi vero simile videtur. Et quodsi resorberetur, cur non aliquando puris vestigium in ipso sanguine conspiceretur? Resolui putredine quaedam ex mora et tum resorberi ais? sed scimus in repentinis istis metastasibus verum pus colligi non vt sanies resolutum, in remoto isto, quem occupauit postea loco. Alium igitur translationis modum agnoscere debemus, cui miror, quod tum modo subscribant; quum acrimonia sua vicinam plagam consumere pus incipiat. Transmigrationem puris per telae cellulosae cauernulas intelligo, quam acuum, spinarum, globulorum plumbeorum, in remotissimos recessus transitus, et aquae in hydropicis effusio per vulnus alicubi inflictum probabilem reddit. Ea nempe telae cellulosae natura est, vt nisum perpetuum sese contrahendi exerceat. Tum et tertio pus per erosam telam cellulosam adipe consumto transfertur; cujus rei apud auctores occurrunt multa exempla *u*) et in praxi creberrima. Fit

hoc

u) V. in SWIET. (*Com. I. p.* 105.) casus parotidis cujus pus viam sibi parauit ad cubiti flexuram vsque, vbi anchylosin generauit. *Cf. et* HAEN. *T.* 4. *cap.* 4. *de coxario morbo.*

hoc acrimonia, quam pus ex mora in loco calido et miscela rancidae pinguedinis contraxit, quae adeo valida est, vt ne ligamentis quidem, nec musculis, nec ipsis ossibus pareat. Hinc istae fistulae in distantibus saepe locis, et vlcera ad ossa vsque serpentia, et illa puris abundantia ex tumore etiamsi minori prorumpens.

§. XXVI.

Multa ex hisce deduci possunt in praxi latissimum vsum habitura. Ita alteram suppurationem altera leuari, quin omnino sufflaminari notatur, quod tum sensui aegri tum rationi conforme est. Crurum vlceribus bene manantibus scabie leniter eaque sicca modo afficiebatur iste MORGAGNI *v*) aeger, exsiccatis vero istis mox foedae pustulae cutem ferme vniuersam deturpabant. Elucescit simul, quantum in vlceribus artificialibus, vesicatoriis inprimis et setaceis, inter seri lactis vel absente febre, ipsius lactis, et succorum ex herbis antiscorbuticis et balsamicis, connubia, temperantibus interpositis praesidii sit. Nec minus patet quaenam phthises curationem facilius admittant: hasce nimirum existimo, in quibus nulla adhuc vomica formata fuerit, et in quibus natura sponte in metastases istas secundarias inclinat. Vnde quoque detrimentum illud insigne intelligitur, quod pure alicubi collecto, si repellitur, siue

v) *De Sed. et caus. morb. Epist. 55. Art. 13.*

fiue male prouida arte, fiue fponte id fiat, nafcitur. Hinc vitia ifta cerebri, cordis, pulmonum, vifus, etc. ex fcabie, f. alio exanthemate retropulfo, confolidatis intempeftiue vlceribus etc. Hinc reuocatis et refufcitatis iftis falus.

§. XXVII.

Pedem hic fiftere poffem, nifi loci commoditate ad quaedam de ipfa puris generatione tangenda inuitarer. Idque ideo fiet, quod fub meditatione de hoc ipfo argumento et fub lectione auctorum fententiam de ejus ex ipfo fanguine origine, quae hodiernis quibusdam medicis tantopere placet, et quam nouiffime modo, ii auctoris fui infignem gloriam conceptam haud pauci exiftimant, non effe nouam, fed antiquis, et multis pofterioris aetatis jam cognitam comperi; nouis quamuis argumentis confirmari illam vlterius poffe abfit, vt diffitear. Quid de puris ex inflammatione origine fentiendum fit, quae plerisque maxime probatur, ex fuperioribus apparebit fatis euidenter. Alii vero pus ex adipe in loculis telae cellulofae contento deriuare conantur. Cujus hypothefeos patronum modo cel. GRASHVISIVM *x*) cito, qui eam ftudio deditaque opera exfecutus eft, fede puris nimirum cum adipe communi, colore, tenacitate, natura inflammabili, pondere, confumtione pinguedinis in vlceribus, ejusque

x) *De generat. puris p.* 18-28.

que in febribus mutatione ſuffultus. Pleroſque abſceſſus externos in tela celluloſa adipem coercente generari verum quidem eſt, quin fomentum quaſi quoddam ex adipe adipiſci pariter largior. Sed quum multis quoque locis adipe deſtitutis, pulmonibus, hepatis carne, teſtibus, omnibusque aliis viſceribus, pariter naſcatur, non ſufficit in hac ſola cauſſa acquieſcere; vnde etiam ſingularis ingenii vir, ill. AB HALLER y) ad veros ſuos limites illam reſtrinxit. Tutiſſimum vero videtur natales puris in ipſo ſanguine cordis vi per ſua vaſa agitato quaerere. Hos veteres quoque agnouiſſe, quae de quadam humorum putredinis ſpecie, quae de vrinis purulentis niſi abſceſſus ad articulos fierent, oriundis, et quae generatim de abſceſſibus ex acutis memoriae prodidere, innuere videntur. Memorabilia quam maxime GALENI z) verba ſunt, dum *putredo*, inquit, *humorum, quae fit in vaſis, ſimilis eſt illi in inflammationibus et abſceſſibus*, et *aliis tuberculis.* Quid per iſtam putredinem intelligat, ipſe poſtea explicat, duplex ejus genus conſtituens: *alterum nempe fieri, vincente natura, vbi in inflammationibus et tuberculoſis omnibus tumoribus pus fit; in humoribus autem arteriarum et venarum illud, quod ſubſidet in vrina puri analogum. Haec autem putredo non ſimpliciter putredo eſt, ſed aliquid coctionis habet. Manente enim concoquente facul-*

tate

y) *Element. Phyſiol. T. I. p. 45.*
z) *De febribus L. I. cap. 7.*

tate vaſorum, putreſcens tunc humor ad talem alteratio-nem deducitur. Ab hoc FERNELIVS *a*) nomine quidem non vero ipſa re diſcrepat, puri inter putredinem et corporis noſtri ſubſtantiam mediam naturam tribuens. Eandem tamen vtrique adjudicat originem, prout ad tenorem veteris doctrinae dicit: non aliter calorem corporis alimentum, aliter putridum humorem concoquere. Praeter pus autem et aliam materiam, quam vocat puri finitimam gigni pronunciat. Pergit nempe eodem loco: venarum majorum ſuccus putreſcens in aliquid mutatur, quod eſt puri finitimum, hujus in vrinae ſedimento conſpicuae ſunt notae. Ex variis quoque locis BENNETVM, cujus in obſeruatione rigor, quicquid ſtilo inconcinni inſit, abunde compenſat, puris ex ſanguine ortum perſpexiſſe colligo. Nam liquores naturae congeneres, vt et alienatos et redundantes, non diuerſo diſtrahi motu, ſed iisdem importari vaſculis, (ſunt ejus verba) *b*) exiſtimat. Quam ſuam ſententiam fuſius alio loco *c*) explicat, quum omnigenae fluxionis materiam ſanguini importari dicit, et dum quoquouerſum ei innatauerit, haud grauare - - aliquando autem tumultuoſe agitari et in partem magis ſuſceptiuam deponi. Conferendum quoque ejus *Auctarium d*) eſt, quod dicta antea corollarii inſtar colli-

a) *Method. med. Libr. 3. cap. 12. p. 218. Ed. cit.*
b) *Theatr. tabid. cap. 9. p. 31.*
c) *Cap. 10. p. 34.*
d) *Loc. cit. p. 87.*

colligit, ex quibus prono alueo fluere putat: ſanguinem liquoresque alienatos συνοδευειν i. e. vna iter facere. Referendus huc quoque illuſtris SWIETENIVS *e*) eſt, qui ſubita iſta et inflammationem excludente abſceſſuum origine inductus exiſtimat cauſſam materialem febris per febrem ſic ſubigi et mutari poſſe, vt puris analogam naturam acquirat, licet adhuc cum reliquis humoribus per vaſa fluat, et deinde deponi illud pus jam factum in quaedam loca corporis, in quibus collectum inuenitur. Quae et eximii BRENDELII ſententia fuit, vt ex pluribus notis manifeſtum eſt, ex nulla vero manifeſtius, quam vbi *f*) aliquando ſine vlla ſolutione continui, quibusdam ex organis ſecretoriis niſi pus, ſaltem aliquid puri analogum in ſtatu praeternaturali ſecedere ait. Et ill. MORGAGNI variis locis ſupra citatis eandem pariter amplexum eſſe, cuilibet eadem relegenti conſtabit. Tandem ill. HAENIVS *g*) nouum rei robur proprio ſcrutinio addidit, qui et curatius, quidnam eſſet in ſanguine, quod generationi puris faueret, rimatus eſt.

§. XXVIII.

Quod vero ex ipſo ſanguine producatur, tum ex difficultatibus, quibus ceterae recenſitae hypotheſes laborant, tum aliis haud infirmis argumentis

 elucet;

e) *Comment. 2. p. 81.*

f) *Diſſ. de tabeſcentibus ad nares ducenda fluxione p. 25.*

g) *Tom. I. cap. 7. ſqq. Tom. 2. cap. 2.*

elucet; quorum quaedam ex ſuperioribus huc adducenda ſunt. Sane haud parum me mouet copia iſta puris, in quibusdam morbis, vt variolis, lepra, ſcabie exundantis, et iſta, quae abſceſſibus apertis vel vulneribus majoribus ſub deligatione in conſpectum venit, quae, vt bene monuit ill. HAENIVS, etiam ſub prodromis inflammationis notis loci affecti ambitui non reſpondet. Nec minus aliter ſentientibus celeritas, qua pus nonnunquam contrahitur, nec non iſta, qua repente et improuiſo aufugit, aduerſatur. Nam licet in vulneribus externis nonniſi tertio vel quarto die puris notae appareant, longe citius id fieri in multis aliis caſibus ſuperius indicauimus.

§. XXIX.

Quidnam autem iſtud ſit in ſanguine, ex quo pus naſcatur difficillimum dictu eſt. Speciosa ill. HAENII conjectura eſt, pus ex eadem ſanguinis parte pullulare, quae in cruſtam inflammatoriam, ſanguine vaſe excepto, coit, et huc quoque ante eum inclinaſſe SAVVAGESIVM exponit. Eandem etiam eſſe exiſtimat, quae tam ſaepe poſt mortem non acuta ſolum, ſed et lenta febri decumbentium circa viſcera reperitur; cujus rei argumenta lectores velim ex ipſis HAENII monimentis petant. Quodſi vero ita eſſet, cauſſa tamen, quae hanc ipſam diatheſin pariat, et particulas ſanguinis puri generando fauentes euoluat, nos etiamnum latet. Praeſtat hac in re

igno-

ignorantiam suam fateri, quam hypothesibus suum aliorumque animos demulcere. An miasma quoddam subest, quod non extrinsecus solum inferri possit, sed et intra corpus vt in rabie spontanea generari, quod fermenti instar totam sanguinis massam inquinet, et exundanti per quaedam loca puri nouum semper pabulum praebeat? An hisce fauent variolae istae malignae, quae puris copia jugulant? An ideo phthiseos ex consortione cum aliis illa afflictis diuturniori haud adeo rara origo?

XI.

Programma exh. experimentorum ad veriorem bilis cysticae indolem explorandam captorum Sectionem primam. Gott. 1764.

---

§. I.

Ex variis animati corporis humoribus, medicorum attentionem, et ab ipsis quidem artis incunabulis, plane singularem, bilis promeruit, succus, quem propriis suis characteribus, errori minus obnoxiis, quisque facile, etiam quo tempore parum culta fuerat anatome, ab omni reliquo distinguere nouerit. Quod solertissimum in Graecis medicis laudatur obseruandi studium, id ipsum in vitiis etiam bilis compluribus, horumque frequen-

tioribus noxis ſollicite notandis, occupatum ſaepe fuiſſe neminem certe latere poteſt, cui cedro digna illorum monumenta accuratius perluſtrare libuit. Neque noſtro aeuo facile fuerit, vel parum etiam in artis ſalutaris exercitio verſatus, aut quodammodo ſaltim ad fideliores morborum hiſtorias attentus, qui non compertum aut perſuaſum habeat, maxime ancipitem eſſe bilis alienatae efficaciam, neque raro pernicioſam. Vtut vero non ipſa modo haec obſeruata, ſed iisdem quoque ſaepiſſime exoptato reſpondentes curationum ſucceſſus, ita videantur eſſe peruulgata, ut exinde vberius declarandis, aut plura per argumenta ſtabiliendis hujus doctrinae momentis me nunc ſuperſedere poſſe exiſtimem; etiamnum tamen varia medicorum theoremata, quibus commoda noxasque bilis explicare contenderunt, ſuis laborare difficultatibus, quemlibet edoceri opinor, cum ipſis aegrorum phaenomenis illa ſollicitus conferentem. Suffecerit nunc exempli loco ſubmonuiſſe, quam diſſona ſaepe ex perientiae communis illa ſententia de maxima et ſingulari bilis ad putredinem, eamque foediſſimam, procliuitate, cuiuis omnino videri debeat, qui auriginem, diu ſine ullis putredinis humorum indiciis, ab aegro toleratam obſeruauerit. Et quis de hoc vniuerſalius recepto dogmate non dubitaret, cum quoque meditetur bilis turgentis et abundantis ad hebdomades protractam aliquando retentionem, in febribus praeſertim intermittentibus, nec non aliis

in

in morbis manifeſte bilioſis, ſine vllo praeſente putredinis aut multum auctae acritatis ſigno, neque raro quidem deprehendi, vbi forte neglectum vel intermiſſum fuerat optimum, quod HIPPOCRATES tradidit, hujus colluuiei noxiae, artis auxilio tempeſtiue excutiendae, monitum? *a*) Verumtamen etſi videatur ex pluribus etiam exemplis de veritate minus firma dogmatum, ad explicandas bilis vires receptorum, conſtare, atque fere vnice per phaenomena, ipſis in aegrorum corporibus obſeruabilia, praecipua certioraque hactenus innotuiſſe, ad vſum ſatis tuto vertenda: minime tamen ideo rejiciendam aut parui habendam eſſe cautam argumentationem ex naturali bilis indole, vbi aliquando illa ſatis euicta fuerit, ad eandem vitiatam, et ex officiis, quibus in valetudine integra deſtinatur, ad eadem in morbis varie laeſa vel impedita ducendam, ipſa vtique ſcientiarum natura, ſanaque ratio, quam apertiſſime declarant.

§. II.

Quaecunque autem bilis conſtituatur indoles, et qualicunque ratione ejus officia explicare medicis libuerit, vtilitatis tamen, quam ſanis praeſtat, inſignia eſſe monumenta, ſine dubio omnes largientur, qui vel apparatum ſecretionis eximium, vel peculiarem loci, quo deuehitur, nobilitatem, *b*)

 vel

a) *De vet. Med. n. XXXIV. et aph. XVI. Sect. IV.*

b) In omnibus animalibus, ait perill DE HALLER *el. phyſiol. T. VI. p.* 611. bilis in principium inteſtini affunditur.

vel grauia etiam damna, ab impedito ejus primum in inteſtinum acceſſu, fractaue efficacitate, oriunda, meditati fuerint. Ipſam vero illam bilis indolem, efficaciam, et quas ab aliis rebus mutationes pati poſſit, complures quoque praeſtantiſſimos viros per experimenta jam inueſtigaſſe conſtat; habitaque ad ea omnia, quae natura vnquam de his docere viſa, attentione, ingenii ac doctrinarum principes viri certas bili functiones dudum attribuerunt, quarum de veritate ſatis euicta vix quidem ſine opprobrio dubitandum quis exiſtimaret c) A confutatis enim HELMONTII SYLVIIQVE ſectis, et ab immortalis praeſertim BOERHAAVII tempore, cum accuratiori modo et frequentius inſtituerentur humorum animalium examina, vnanimem fere omnium applauſum illa promeruit ſententia, quae ſaponaceam bili naturam, cum ſingulari validaque acrimonia, et inſigni ad putreſcendum procliuitate tribuit. d) Ipſe quidem BOERHAAVIVS, aliique, etſi bili efficaciſſimas adſcribant ſaponaceas vires, non minus tamen alcalicam quam acidam indolem diſer-

tis

c) Auctores experimentorum, cum bile captorum, recenſuerunt b. BOERHAAVE et perill. DE HALLER in *meth. ſtud. med. emacul et acceſſ. locupl. p.* 144. *et* 374. Singulari autem ſtudio omnia, quae aliquam fidem mereri Viro ſummo viſa ſunt, etiam recentiſſima experimenta, ſelegit, propoſuitque perill. DE HALLER. in *elem. phyſiol. T. VI. p.* 542. *et ſqq.*

d) V. BOERHAAVE *inſtit. med.* §. 99. *et praelect. c. comment. perill.* DE HALLER *T. I. p.* 432 *et ſeqq.* Conferri quoque merentur ſummi Viri v. SWIETEN *commentaria in aphor.* BOERHAAVII *ad* §. 63. *et* 69. *n.* 3.

tis verbis illi denegarunt; contra vero complures, etiam recentiſſimi, nominisque magni, Scriptores ſal omnino verum alcalicum in bilis mixtione contineri, idque cum inflammabili parte arctiſſime junctum, proprie dictum ſaponem conſtituere, per experimenta comprobatum eſſe contenderunt. *e*) In eo autem vtriusque ſententiae fautores conueniunt, quod bilem aptiſſimum iudicent humorem, oleis aquae miſcibilibus reddendis; gummi et quibusque tenacibus reſoluendis, attenuandisque; indoli alimentorum acidae magnam partem corrigendae, ſuperandae; diſſoluendo lacti coacto; abſtergendo ſuperfluo nimis glutinoſo muco; inteſtinorum denique motui periſtaltico, acrimonia ſua irritante excitando. Atque ita ſuffultam eſſe hancce doctrinam firmiſſimis experientiae fundamentis, laudatos apud auctores reperiundis, quisque lector facile crediderit, vt operae facere pretium forſan haud videatur, qui nouis vlterius periculis bilis naturam, quae omnino cognita jam ſatis appareat, inueſtigare, temere quaſi ſuſceperit.

e) Perill. de HALLER *prim. lin. phyſiol* §. 693. et in *Comment. ad* BOERH. *prael. T. I. p.* 433. *n.* 9. ad offam Helmontianam propius bilem accedere affirmat, ſi e ſale ammoniacali volatili et ex oleo humano conflatum dicas ſaponem. Omnino tamen conferri merentur *elem. phyſiol. T. VI. p.* 557. 578. Vbi quoque alcalinam aeque ac acidam bili naturam denegauit, verumtamen et p. 610. alcalinae naturae vtique proximam eſſe bilem aſſeruit.

§. III.

Verumtamen, quae proprietas esse rerum solet, ab opifice infinito elaboratarum, vberem nempe semper manere notitiae mortalibus concessae campum, quo addendorum aut corrigendorum spicilegiis animus humanus exerceri queat, illam quoque ipsam in bile locum obtinuisse, clarorum virorum tentamina, cum eadem vlterius instituta, omnino confirmasse videntur. Quae sagacissimus Vir, Jo. Pringlivs, in appendice laudatissimi sui de morbis exercituum libelli, a se capta enarrat pericula, quantum ad aliam de chylopoiesios modo doctrinam inclinant, tantum quoque fere sententiae hactenus receptae videntur detrahere, quae nempe soluenti et attenuanti succorum, pro saponaceis habitorum, potestati plurimum in digestionis negotio tribuit. Viderat autem exercitatus ille naturae scrutator, in rebus quibuslibet vegetabilibus, ad alenda animalia destinatis, inprimis quidem in cibis farinaceis, etiam in ipso pane, quamuis hic fermentationem jam passus sit, vbi cum partibus aut succis animalium variis vnam in pastam, aqua dilutam, intritae essent, isque caloris gradus, qui homini et affinibus ipsi animalibus naturalis est, applicaretur, veram sponte fermentationem concipi, et quod memorabile, manifeste vehementiorem, cum addita bilis recens fuerat, quam sine hac admista *f*) In quam ipse quoque conjecturam incide-

rat,

f) *Exp. XXXVIII.*

rat, ea nempe ciborum genera, quae facilius in ventriculo digeri conſtaret, ad fermentationem forte citius admittendam procliuia fore, ſua per experimenta ſe dein omnino confirmatam deprehendiſſe aſſeuerat *g.*) Immo praeterea contrariam variis in rebus conditionem, impediendae videlicet alimentorum fermentationis poteſtatem, ſe obſeruaſſe refert, quae concoctioni perfectiori, vbi debilis eſt ventriculus, obeſſe plerumque ſolerent *h*) Quodſi autem veritatem conceſſerimus a Pringlio traditis experimentorum ſucceſſibus, eorumque ſingularem cum naturali et vitiata digeſtione conſenſum, quem expoſuit, *i*) probe meditemur: minimum quoque annexis ſummi Viri de modo digeſtionis conſectariis, iſti bilis efficaciae, quae ſaponi reſponderet, vix quid vel nihil tribuentibus, illud fidei et momentorum eſſe largiendum videtur, quo lectori, nulli addicto hypotheſi, ſententia de bilis functione magis recepta dubia reddi queat, donec eandem aliamue, vlterioribus confirmari experimentis manifeſtius deprehenderit.

§. IV.

Sed omnino directius efficaciam bilis ſaponaceam quibusdam ſuis experimentis dubiam reddidit cl. Georg. Gottlob Kürchelbecker *k*), etſi tantum

tum

g) *Exp. XXXV.*

h) *Exp. XXXVII. n. 5.*

i) *Exp. XXXVI. n. 2.*

k) *In diſſ. inaug. de ſaponibus, Lipſ. hab. 1756. §. VII.*

tum is quoque tribuerit illuſtrium virorum, qui eam bili naturam adſcripſerunt, auctoritati, vt ſimul *nimis forte durum in bonam bilem*, *ejusque virtutis ſaponatae optimos patronos fore*, exiſtimet, *omnem omnino oleum aquae committendi vim bili denegare, atque hinc illi nihil*, quae auctoris argumentatio eſt, *quod ad chylopoieſin vna conferat*, *relinquere velle.* Admittit etiam lubens, ad inſtar ſaponis forte tunc agere illam poſſe, cum admiſta reliquis eſſet humoribus, qui ad primas vias confluerent, praeſertim auxiliantibus tum ciborum ſalibus, tum viſcerum, quae cibos continerent, blando calore et motu. Vtique vero memorabilia ſunt, quae ipſe inſtituit experimenta, et purae bilis cum ſapone comparationi certe contraria, talisque ſucceſſus, qui, vt ipſi auctori, ſic aliis forte plerisque, horum peritis, minus exſpectatus apparere potuit. Vidit enim vir clariſſimus ex commixtis bilis bubulae ſemuncia, olei amygdalarum dulcium guttis XX, et aquae frigidae ſeſcuncia, hisque una bene agitatis et in locum temperatum per octo horas repoſitis, oleum rurſus extricatum, eodem fere modo, ac in aqua fieri pura ſolet, mixturae innatare, coloremque bilis ab aqua affuſa dilutiorem quidem factum, ceterum non mutatum. Cum vero hujus mixturae drachmis tribus ſpiritus ſalis ammoniaci vnam drachmam admiſcuiſſet, multa enata ſpuma, etiam poſt horas quindecim perſeuerante, non modo con-

tentum

tentum oleum diſtinguere non potuit, ſed inſtillatas quoque denuo preſſi olei guttas quinque, poſt leuem concuſſionem, ocyſſime abſorptas eſſe, deprehendit. Commixtis praeterea bouinae bilis et ſalis culinaris, ſingulorum drachma, et olei amygdalini guttis XX, cum aquae duabus vnciis, hisque manu agitatis, perfecte aequalem obtinuit mixturam, emulſioni, ex colore lacteo virideſcenti, analogam, quae poſt horas duas, praeter cuticulae variegatae paruas areolas, vix quidquam, quod ſuperficiei innataret, oſtendit, olei vero nullum vlterius veſtigium praebuit. Dein etiam olei terebinthinae ſemidrachma et bilis bubulae integra drachma confuſis, oleum ſubigi vidit, atque ſuperaddita frigidae aquae vncia, concuſſione peracta, mixturam obtinuit ſpumeſcentem, obſcuram, et virideſcentem, cujus in ſuperficie olei nihil apparuiſſe retulit. Axungiae canis tandem ſcrupulum cum bubulae bilis, ad medium inſpiſſatae, drachma in mortario contriuit, et cum inter ſe miſceri viderentur, aquae ſeſcunciam affudit. Sed quum dein binas per horas repoſita haec fuiſſet mixtura, eandem emulſioni ſimilem virideſcenti, atque pinguedinis quid ſolutum veriſimiliter continenti, ſimul tamen hujus quoque plurimum, ſquamularum forma albarum, partim vitro adhaereſcens, partim ſuperficiei liquoris innatans, tunc deprehendit. Adnectit autem hiſce propoſitis vir cl. aſſertum vniuerſale, neutiquam per ſe fel bubulum aquae oleum

miſci-

miſcibile reddere poſſe, neque ſibi, longo etiam adhibito motu mechanico ac tepore temperato, mixtionem veram ſucceſſiſſe.

§. V.

Verum et, qui ex inſtituto in bilis naturam et efficaciam inquiſiuit, cl. ROBERTVS RAMSAY eos quoque retulit experimentorum ſuorum, cum cyſtica bile bubula captorum, ſucceſſus, quibuscum ſententia plerumque recepta conciliari poſſe non videtur. *l*) Summa vnice confectariorum, quae ex ipſis experimentorum hiſtoriis elici potuerunt, hactenus mihi ſaltim innotuit, nondum ipſius tractationis inſpiciendae copiam nacto. Et confectaria quidem ſequentia eſſe accepi, „ bilem non facile putreſcere, ex ejus mixtione partem per „ acida praecipitari, ſaponem vero illam non eſſe; „ ex intime commixtis conſtare partibus, reſi- „ noſa, in vini ſpiritu ſolubili, gummoſa, quam „ aqua ſolueret, et peculiari alia, quae muco ſi- „ milis, neque in aqua nec non in vini ſpiritu „ ſolui poſſet; haud parem eſſe aquae cum pin- „ guibus rebus vniendae; neque acidis illam re- „ ſiſtere, aptam tamen videri, irritandis ad con- „ tractionem, aluique dejectionem, inteſtinis. *m*)

§. VI.

l) *In diſſ. de bile, Edimb. habita* 1757.

m) *v. Götting. gel. Anz.* 1760. 33. *St. et Erl. gel. Anm.* 1761. *Beytr.* XII. *Woche.*

§. VI.

Minime tamen propter haec veri atque certi quisque cupidus plane ſtatim rejiciendam facile exiſtimauerit receptam illam de bilis virtute ſaponata ſententiam, vtpote quae tot experimentis, vt ſummi ajunt viri, maxime jam ſtabilita ſit, niſi plurium repetitis periculis de contrario manifeſte conſtiterit. Quum ideo ſingularem hujus materiae dignitatem eſſe judicarem, quam quoque artis exercitium mihi maxime confirmare videbatur, et quum tanta, ipſis etiam in conſtituendis phaenomenis, cernerem ſententiarum diuortia, quae ad neutram partem inoffenſo pede tranſire lectorem permitterent, me quoque ad explorandam, quo liceret ſtudio, bilis naturam conuerti. Sperare ſaltem poteram, me ἀυτόπτην, quae veriora eſſent, proprios in vſus, non penitus inauſpicato, fore aſſecuturum, ſiquidem nihil impedire videretur, quo minus de ipſo experimentorum ſucceſſu ſatis euidenter, et hiſce meis propriis ſenſibus, demum conuincerer. Quum autem acciderit, vt ex multis hactenus a me inſtitutis experimentis, haud exiguus etiam numerus fuerit, quorum longe alia euenta deprehenderim, quam quae ſecundum receptiores auctorum ſententias exſpectari potuiſſent, operae me pretium eſſe facturum exiſtimaui, ſi memoratu illorum digniora quibusdam in ſpeciminibus proponerem. Vt vero mea ad pericula eo minime animo acceſſi, qui certam ornare ſtabilire hypotheſin geſtiret, ſed potius eui-

dentius

dentius verum discendi vnice cupido: ita quoque nunc, dum illorum aliquam partem enarrare aggredior, a me longissime abesse adsero iniquum omne, sententias aliorum, nedum magni nominis virorum, qui a meis diuersa tradiderunt, refellendi studium. Sed quamuis nunc etiam quisque facile animaduertit, enarrata hic pericula nondum sufficere pro constituenda, de veris bilis officiis et potestatibus, certiori quadam sententia, non ideo tamen sine omni illa doctrinarum commodo fore putaui, etiamsi modo aliqua, ex errore pro certis saepe habita, potius dubia aut falsa esse, quaeque dubia esse creditum fuit, veritate non destitui, manifestius edocere valeant.

§. VII.

Ad experimenta autem, quae sanae bilis, etiam in homine, indolem et efficaciam declarare queant, illam, ex bene valentibus recenterque mactatis animalibus domesticis desumtam, humanae praeferendam esse, quam cadauera largiuntur anatomicorum dissectionibus destinata, nemo non concesserit. *n*) Nimis enim raro contingit, hominum, violenta morte extinctorum, cadauera, prius ad dissecandum concedi, quam aliqua corruptionis initia bilis concipere potuerit; ideoque paucissimis saltim bonis experimentis humana bilis locum dare potest.

Et,

n) Quod ipsum quoque approbauit perill. DE HALLER *el. physiol.* *T. VI p.* 552.

Et, quae in viſcerum pro ſecretione bilis apparatu, ejusque defluxione ad inteſtinum tenue, vniformitas plurimis in animalibus homineque deprehenditur, officii quoque et vniuerſae poteſtatis analogiam extra omne dubium ponit. Ad ea vero, quae nunc proponam, experimenta, bilem cyſticam, et frequentiſſime quidem bubulam, dein porcinam quoque, et aliquoties humanam, prout occaſio ab initio mei inſtituti conceſſerat, adhibui, et priorem quidem ideo inprimis, tum quod inſigni, qua reperiri ſolet, copia ſe prae alia quauis commendet, tum etiam, quod pleraque aliorum auctorum pericula, quae imitari primum animus fuerat, cum eadem illa quoque bile facta ſint. Quae ex reliquis, cum humana et brutorum animalium bile factis, vlteriusque faciendis periculis memoratu digna viſa fuerint, aliis in ſcriptionibus enarrare animus eſt, quum primum de notabiliorum quorundam ſucceſſuum veritate mihi euidentius conſtare exiſtimauero.

§. VIII.

In ipſis autem experimentorum hiſtoriis, ea praemittere conuenientiſſimum duxi, quae bilis recentis integraeque in alia efficaciam declarare poſſint, et primum quidem hac vice, in eorum praecipuis, quae ad explorandam ejus vim ſaponaceam, toties a phyſiologis laudatam, cepi, ſubſiſtere conſtitui. Non ea quidem mihi mens eſt, vt argumentorum pro ſententia communi, ejusue contraria,

omnium, hac in tractatione momenta ponderare ſuſcipiam, cum ne quidem principiorum bilis chemicorum mentionem vllam nunc injecturus ſim; ſed cum nullius plane hypotheſeos defenſorem agam, in vitium, ſpero, mihi non vertetur, quod eorum libertatem vſurpauerim, quibus naturam interrogare animus eſt, neque experimenta etiam omnia, ex methodo ſyſtematis, ad eam doctrinam referenda, hac in ſcriptione complexus fuerim. Cum quoque minime fidendum eſſe exiſtimauerim argumentis, quibus rerum naturalium efficacitates chemicis ex principiis, quantumuis clare expoſitis, eisdemque fauentiſſimis, conſtituuntur, niſi illae ipſae in mutatis quoque rebus manifeſte cernantur; eo minus dubitare potui, quin et ab hiſce meis experimentis analyſin chemicam, quippe de ſaponacea bilis virtute nihil pro certo decidentem, ſejungere, et ad aliud ſchediaſma illam reſeruare mihi liceret.

EXPERIMENTA.

Exp. I.

Lactis vaccini recentis non cocti tres portiones, cum bile bubula itidem recente, varia in proportione, mixtas, vnamque lactis puri, quatuor in vitris, in meum conclaue repoſueram, quo bilis in lac efficaciam cernerem, dum in puro lacte cremoris et caſeoſi coaguli a ſero pellucido ſolita ſeceſſio contingeret. Vitra autem ſecundum literas diſtinguere

guere liceat. Primum A lactis et bilis aequalia pondera, ſingulorumque II vncias, continebat. Alteri, B, lactis vnciae II, bilis VI drachmae infuſae erant. In tertio *C*, lactis erant vnciae II et bilis modo II drachmae. Quartum denique, *D*, lactis puri III vncias continebat. Infuſae lacti bilis portiones ad inferiora vitrorum decidebant, ibidemque fere ſola pellucidaque bilis collecta reperiebatur, etſi limites bilis inferius collectae lactisque ſeſe contingentes ita ſibi intermixti apparerent, vt liquida haec diuerſa ibidem jam adunata eſſe viderentur, et aliquando, cum lente bilis inſtillaretur lacti, illius nonnihil hujus in ſummitate aliquantiſper innataret. Ad commixtionem bilis cum lacte neque valida agitatione opus erat, quae vtpote facili negotio aequalis obtineri poterat; verumtamen, ne deſiderari quid poſſet, longam validamque mixtorum commotionem eburnei ope ſtili ſuſcepi. Dein vitra haecce quatuor, chartis tecta, ſibi propinqua in menſa conclauis reponebantur. Dies erat 9 Octobr. quo et ſequentibus, a fornace calefacto, conclauis pars, vbi experimenta ſuſcipiebantur, interdiu a 67 ad 72, noctu vero non infra 57 thermom. Fahr. calere ſolebat. A primo jam horae quadrante, in vitris *A*, *B*, et *C*, ad liquidorum ſummitates, a parte reliqua inferiori ſeparata conſpiciebatur materies, cremoris inſtar ſuperius colligi coepta, multo magis quam reliquum liquidum ad alborem vergens, minus etiam fluida, et facillime, vt axungia liquidior,

vitro inclinato adhaerescens. Augebatur sensim innatantis hujus materiei crassitudo, simulque differentia coloris et consistentiae eam inter et inferiorem, etiam intra horam reddebatur manifestior. Quum nempe per horam vitra steterant, maxima pinguioris hujus partis altitudo deprehendebatur in vitro *C*, et fere $1\frac{1}{2}$ lineae, minor in *B*, 1 lin. minima vero in *A*, fere $\frac{1}{2}$ lin. Inuersa autem ratio differentiae colorum erat, cujus praesertim ope diuersae materies distingui debebant. Non equidem asseruerim ipsas natantes pinguiores partes, diuersis alboris gradibus fuisse conspicuas, quum illi potius aequales mihi visi sint, sed inferius liquidum eo magis colore ex flauo viridi tinctum apparuisse, quo plus bilis continuit; manifestissima hinc erat colorum differentia in vitro *A*, minor in *B*, minima in *C*. In vitro autem *D*, lac purum continente, cremoris dulcis ad superiora colligendi initia, absolutis $\frac{4}{5}$ demum horae, ab infusione lactis in vitrum facta, obseruari poterant. Purus hicce cremor cum natante illa parte crassiori, quae ex mixtis liquidis vitrorum *A*, *B* et *C*, adscenderat, tantum conuenire videbatur, quoad volumen, lubricitatem, viscidam indolem, sedem, colorem, vt omnino vix dubitare quis potuerit, quin verus etiam lactis cremor materies illa spissior fuerit, ex lactis bilisque mixtione his in vitris extricata. Nouem transierant horae, calore interea ad 70° fere consistente, cum in vitro *A*, proxime infra partem cremori simillimam, circularis

liquidi

liquidi pars ad pelluciditatem quodammodo manifeſtius vergere videretur. Immo reliqui etiam liquoris omnis inferioris ita tunc mutata facies apparebat, vt naturali bilis colori magis appropinquaret, clariorique ille luci expoſitus, faciliorem quendam radiis tranſitum concederet. Similia plane in vitro *B*, ſed hora demum, poſt factam commixtionem, decima ſexta, obſeruari poterant. Ex quibus binis vitris, *A* et *B* odor manifeſte ſubacidus, ſimulque aliquo modo ſpirituoſus, cum illo debilioris recentisque cereuiſiae nonnihil conueniens, nunc percipiebatur. Sequente ſummo mane, diei nempe alterius, in vitro *A* ſub cremore, liquidum aequalis, et ad ſubuiridem ex flauo vergentis coloris, omneque paulo magis nunc ac antea, luci peruium eſſe, nondum tamen ex puro lactis ſero et bile conſtare, apparebat. Ad fundum vitri vero dejecta etiam conſpiciebatur maſſa quaedam ſolidior, grumoſa, magis quam liquidum flaua, pauca tamen, vt fere dimidium cremoris volumen ipſi vix tribui potuerit. Cremoris altitudo ſeu craſſities nonnihil increuiſſe videbatur. Reliquis in vitris vix quid hoc die mutatum obſeruari poterat. Primo mane tertii diei aliquantulum aucta tenuioris illius mediae partis vitri *A* pelluciditas erat, cremorque nonnihil intumuerat, de reliquo nulla mutatio facta. Sed liquoris vitri *B* nunc eadem fere conditio erat, quam die praecedente in illo vitri *A* deprehenderam. Tres nempe a ſe inuicem diſtinctae conſpiciebantur par-

tes, siquidem sub cremore nondum vlterius mutato, tenuis nunc, aquosus, et pelluciditati propinquus humor, colore conspicuus aequali, ad illum admixtae bilis maxime accedente, praeterea in vitri fundo sedimentum grumosum, profundius flauum apparuerint. Etiam in vitro *C* sedimentum, et major quidem copia quam in *A* et *B*, et fundo, cum vitrum inclinaretur adhaerescens, idque ipsum, aeque ac liquor hoc inter et cremorem constitutus, aequali subalbo, lacteoque colore praedita, cernebantur. Odor quoque subacidus ex hoc nunc vitro percipiebatur quam apertissime. Neque minus puri lactis, in vitro *D* seruati, liquida sub cremore pars in serum pellucidum, aquosum, limpidum, et in coagulum caseosum secesserant, ita quidem, quemadmodum initio fieri semper solet, vt coagulum occupare integrum illud spatium sub cremore ad fundum vasis, serumque paucum inter ejus partes distributum esse, videretur. Proximis diebus in vitris *A*, *B* et *D* memorabile nihil contigit, praeter aliquod augmentum pelluciditatis in media, tenuiori nempe, parte priorum, et voluminis in eorundem cremore conspicuum. In vitro autem *C* coagulum solidius, ejusque major copia quam in *A* et *B*, die quarto, vt vltra dimidium sub cremore spatium occuparet, serique color adhuc idem, qui diluti lactis est, obseruabatur. Die quinto, serum vitri *C* limpidum quoque et mere aquosum apparebat, magis aucta simul coaguli caseosi copia. Mollius tamen

hocce

hocce coagulum erat, quam illud in puro lacte, etiam cremor in tribus vitris *A*, *B* et *C* non aeque ſolidus eſſe videbatur, quam in vitro *D*. Sedimenti in *A* et *B* conſpicui exigua illa memorata copia permanſit, vt pro omni materie caſeoſa lactis admiſti neutiquam haberi potuerit. Corruptionis putridae in liquidis hiſce nullum indicium ad diem nonum, cum effunderentur, notari poterat. Odor in omnibus ad acidum ſatis manifeſte vergebat; explorata tamen fluidiori parte ex vitris *A*, *B* et *C*, admiſtis varias ad portiones acidis ſpiritibus, et alcalicis ſalibus, et violarum ſyrupo: neque ſalium oppoſitorum conflictus, neque color a coeruleo ſyrupo ita mutatus apparuit, vt acidae vel alcalicae liquorum indolis argumentum praebuerit. In ipſis vitris *A*, *B* et *C*, effuſo ſero et molliori omni maſſa, fundo adhaereſcens addenſata pars obſeruabatur, quae non niſi difficillime, aqua aliquoties infuſa dilui et abſtergi poterat; cum purum contra lactis coagulum, ex vitro *D*, facile integrum abſcederet.

SCHOLION.

*) Superſedere quidem forte mihi liceret characterum illorum expoſitione, quibus recens et ſana bilis a vetuſtiore et corrupta differt, quod occaſio neminem deficiat, propriis quotidie ſenſibus humorem iſtum vſurpandi. De ſanitate quidem beſtiarum minor eſſe ſolet ſollicitudo, quam ne putrida bilis loco recentis obti-

 neatur;

neatur; verum de putredine, cum quoad illam, teſte quoque perill. DE HALLER, ita ſibi oppoſita ſint experimenta, vt vix poſſint conciliari, o), omnino ſeorſim agendum erit. Ad repetenda autem experimenta, non plane ſine commodo aliorum fore viſum eſt, ſi, quae cautiones obſeruandae mihi innotuerint, paucis referam. Quin bilem vetuſtiorem loco recentis obtineas, vix metus erit, cum per plurium hebdomadum haud interruptum tempus omnem emas, nullamque fere conſeruandam lanioni relinquas. Sed parum attentus quoque ex tepore cyſtidis, et ex facie parenchymatis hepatici, cujus partem veſicae annexam ſimul abſcindunt, ſumme probabilem conjecturam, et ad vſum ſaepe ſufficientem, de diebus primo vel altero faciet, a quibus mactatum animal fuerit. Praeterea tamen in bile, quam ex recens mactatis bobus et porcis obtinui, differentiam reperi coloris, viſcoſae indolis, odoris, et pelluciditatis, omnino notabilem. Bubulae colorem frequentiſſime fere ſpadiceum deprehendi, qui autem nonnunquam ad viridem, etiam aliquando ad dilute rubrum, nonnihil vergit. Eſt autem is color magis minusue profundus, a varia praeſertim animalis aetate. Porcina bilis recens fere ſemper dilute flaua reperitur. Vidi tamen quoque, ad ſpadiceum propendentem, vt

o) *El. phyſiol. T. VI. p. 557.*

vt a bubula difficulter diſtingui potuerit; vidi etiam, in cyſtide per nychthemeron conſeruatam, ſubatram, etſi corruptionis indicium tunc nondum vllum exhiberet. Quum corruptioni magis obnoxiam ſaepius illam bilem deprehenderim, etiam recentem, quae obſcurior, minus cum pelluciditate ſplendens, manifeſtiusque odora fuit, non perfecte naturalis illa mihi viſa eſt. Pelluciditatem vero optimam, et ſingulari cum ſplendore, fere qualis in gelatina animali per artem bene parata eſſe ſolet, ſaepiſſime deprehendere licet in bile tum porcina, tum praeſertim bubula, ſi recentiſſimae fuerint; inde tamen minime quis recentem ideo habeat, quod pellucida ſit ſplendeatque, cum ad tertium diem in temperato 60° fere calore, non raro talis permaneat, praecipue extra cyſtidem in obturato vaſe conſeruata. Odorem haud raro plane nullum in bile recente, et optime comparata, diſtinguere valui, frequentius tamen aliquem adeſſe deprehendi exiguum, mihi ſaltim minime aduerſum, et myrrhae quodammodo, etiam ſaluiae nonnunquam, affinem, ſcilicet ex leniter quaſi balſamico et aromatico mixtum *p*). Aliquando ex recente bubula bile,

p) Conſentit BOERHAAVIVS, dum, bilis (recens), inquit, nec foetet vrinoſum, et ſi quem odorem habet, aromaticum et gratum habet. *Praelect. in inſtit. cum* HALLERI *comment. T. I. p.* 435.

le, per alias etiam notas integra, odor percipitur, qualem abdomen animalis ſani, modo, breuique poſt mortem apertum, ſpargere ſolet q), *ſuburinoſum* dicunt; quod nomen tamen, ſi vera ſunt experimenta PRINGLIANA, quae hactenus omnino vera deprehendi, facile in errorem ducit. Videtur autem ejusmodi bilis prima jam corruptionis initia feciſſe, quantumuis perexigua ſint. Viſcoſam indolem in recentiſſima et ab animalis calore adhuc tepente bile perexiguam et lacti modo analogam reperio, vt ipſa etiam, aquae inſtar, in guttis facile ſtillari ſe patiatur. r) Quum refriguit, praeſertim in veſicula, ita viſcoſa eſſe ſolet, vt effuſa in longa craſſaque fila trahatur, atque ſe ſtillari plane renuat. In cyſtidis praeſertim e bobus deſumtae fundo, mucum libere fluctuare nunquam non obſeruaui, a cujus admixtione caueas, cum pura bile pericula facturus.

EXP. II.

Nunc vaccini lactis recentis, neque cocti, binis vnciis, cum bilis bubulae ſubuiridis, ceterum integerrimae, ſex drachmis, in obturato vitro multum agita-

q) Quem odorem bili recenti quoque tribuit perill. DE HALLER, fatuumque, fere inciſi abdominis, nominat, ſimulque clariſſimum RAMSAY aromaticum recentis bilis odorem dicere, refert *El. phyſiol. T. VI. p.* 549. Vtrumque verum eſſe reperi.

r) Idem ipſum NEVMANNVS quoque teſtatur *chem. med.* edit. KESSELIANAE *T. III. p.* 545.

agitatis et aequabiliter mixtis, calorem ſtatim conciliaui fere 96° thermom. Fahrenh. quo nempe thermometro his in experimentis ſemper ſum vſus. Binas per horas illum calorem ſemper aequalem conſeruaui, leniterque interea vitrum aliquoties commoui. Quum vna fere hora tranſiiſſet, conceſſa nunc vitro quiete, ad ſummitatem liquidi portionem, duas fere lineas altam, magisque reliquo albam, ab inferiori parte facillime diſtinguere poteram, quae nempe viridi bilis colore profundius tincta comparebat. Portio iſta ſuperior, cum vitrum lente inclinaretur, manifeſte arctius eidem adhaereſcebat, quam inferior, tardeque iterum erecto vitro ſuam ſedem occupabat, quae vtique cremoris indoles eſt. Concutiendo liquorem, aequalis quidem cremoris admixtio contingebat, poſt bina tamen fere minuta hicce denuo extricatus ad ſuperiora rediit. Altera etiam abſoluta hora, ſuperior ſpiſſa portio quoad colorem a reliquo liquido nunc multo facilius diſtingui poterat. In odore peculiare nihil obſeruabam, quum is tum a bile aliquis, tum a lacte, mixtus videretur. Sera veſpera erat, qua repoſui vitrum cum hoc liquore in conclaue, cujus calor tunc erat fere 62°. Primo mane, calore conclauis 58, conſpiciebatur manifeſtiſſime ſeparatus cremor, ſubalbo ſuo colore, eaque viſcoſitate, quae parum emolliti per calorem butyri eſt, praeditus, et a liquido reliquo, cujus aequalis mixtio hactenus perſtiterat, facile diſtinguendus. Nunc etiam odor

ad

ad ſubacidum ſatis manifeſte vergebat. Impoſito vitro in fornace calefacto, vbi calor eſſet ab 80° 100°, circa meridiem ad fundum dejici coepit flocculenta ſubalba materies, magis magisque dein addenſata, ſimulque paucis poſt horis, ſerum, in medio vitri conſtitutum, tenue, aquoſum et quodammodo pellucidum reddebatur, ſubflauo tamen ejus colore permanente.

Exp. III.

De eodem lacte vaccino, exp. II., vnciam vnam, eademque de bile drachmam, cum ſaliuae ſani hominis et recentiſſimae drachmis binis, eadem veſpera probe agitando miſcueram. Aequalis et ſubuiridis quoque reddebatur mixti color. In eodem caloris gradu cum altero vitro, non minus hac veſpera quam per ſequentem diem, ſemper etiam hoc ſeruabatur, ſubinde leniter motum. Etiam, cum vna modo hora ab inſtituta mixtione tranſierat, in ſuperiori liquoris parte, ſimiliter plane atque in lacte, quod ſolam bilem immixtam habebat, portio quaedam, cremorem exacte referens, obſeruari poterat; quae tamen hora ſecunda ad manifeſtius diſcrimen haud peruenit. Cremor per alterum diem, copia et externa facie cum illo plane conueniebat, qui lacti cum bile ſola commixto inſidebat. Verum grauior pars ad fundum vitri nulla dejiciebatur integro hoc ſecundo die, etſi tenuioris ſeri quid proxime ſub cremore, a reliquo ſeparatum liqui-

liquido, veſperi apparuerit. Tertio tamen die, et quidem ſummo jam mane, copia quoque ſatis magna, craſſioris, et caſeoſae ſimilis, materiae ad vitri fundum ſeceſſerat; in ſero autem intermedio nulla pelluciditas, major tamen, quam quae in lacte eſt fluiditas, obſeruabatur. Color ejus ſeri ſubflauus etiam continuabat. Putredinis plane nullum hactenus indicium aderat.

Exp. IV.

Eorum quoque experimentorum praecipua imitaturus, quae a Viro ſummo, cel. Gavbio, publice inſtituta eſſe cl. Narcissvs retulit, *s*) quaeque plurima fide digna nemo non cum perill. de Haller *t*) habuerit, etiam illud repetii, quo coagulatum lac, cum bile coctum, priſtinum recepiſſe fluorem, tradidit. Binas nempe lactis puri vncias, per ſeptem dies conſeruatas, cum in cremorem, caſeum, atque ſerum ſponte diſceſſiſſent, nec vlla in his putridae corruptionis nota neque minima quidem obſeruaretur, cum bilis bubulae recentis tribus vnciis in mundo figulino vaſe permixtas, coctioni lentae commiſi. Peracta vix coctione, modoque deſinente ebullitione, pars quaedam craſſior, dilutius flaua, et nonnihil ſpumoſa, in liquoris mixti ſuperficie innatabat; et inter effundendum, pluri-

s) *In diſſ. de generat. et receptaculis chyli. Lugd bat.* 1742. *p.* 9. *n.* 10. quae extat in perill. de HALLER *collect. diſſ. anat. T. I. p.* 777.

t) *Elem. phyſiol. T. VI. p.* 552.

plurimum coagulati, pro caseosa vtique lactis materie habendi, prope fundum vasis collectum reperiebatur, cujus etiam haud exigua pars vasi fortius adhaerescebat, vt excuti non potuerit. Fluida tenuiorque mixti pars colore nunc flauo conspicua, sed pelluciditate illa priuata*) erat, quam alias tum puro lactis sero, tum bili quoque recenti conuenire satis constat. Cum haec omnia vitro infusa per noctem stetissent, tenuior in medio liquor puram fere bilem, ex fusco flauam referebat, crassiores vero mixti partes, minus profundo tinctas colore, ad superiora inferioraque, a medio liquido manifestissime separatas, cremorisque et casei externa facie omnino adhuc praeditas esse, deprehendi.

*) Coctionis calore, et minori quoque, nempe vix 150°, pelluciditate sua bilem etiam solam priuari, aliquoties obseruaui.

Exp. V.

Recentissimi dein sanique lactis vaccini octauam mensurae partem, cum bubulae recentisque bilis duabus vnciis commixtam, lente coxi, etiam in mundo vase figulino. *u*) Coctioni magis quam purum lac resistere hoc mixtum videbatur, etsi prunarum ignis satis fortis subesset. Dein tamen succedente coctione, et statim cum incepisset modo ebulli-

u) Etiam cl. NARCISSVS laud. diss. §. VIII. n. 9. inter experimenta GAVBIANA retulit, cum bile coctum lac non coagulatum, sed potius tenuius redditum fuisse, illudque postea nec repositum neque coagulum acedinem contraxisse.

ebullitio, ab igne vas remouebatur, vt in quiete relictum ſponte nunc tepeſceret. Quo facto, cum in vitrum, ampla praeditum apertura, liquidum infunderetur, plurimum coactae maſſae, liquido innatantis, deprehendi, aliamque coaguli portionem vaſi figulino fortius adhaerentem, reperi. Sera erat veſpera, qua mutationes, breui poſt ſuccedentes, vlterius attendere non poteram. Altero mane, materies, ſubalbo colore, pinguique indole cremori ſimillima et a reliquo manifeſte diſtincta, hujus ad ſummitatem aequaliter expanſa comparebat. Tenuius liquidum, cremori huic ſubjectum, aequali flauo colore praeditum, conſpiciebatur; neque tamen pellucidum illud erat, nec inſtar ſeri fluidum, ſed quoad ſpiſſitudinem cum lacte potius conueniebat, quod quaſi purum cum bile mixtum referre videbatur. Caſeoſa pars in vitro nunc nulla, tertioque demum die pauca, ad fundum vitri dejecta obſeruabatur, forte quod ejusmodi maſſae plurimum in olla remanſerit. Dein vero ſequentibus diebus augebatur ſenſim, lente tamen, ſedimentum, ſimulque tenuioris liquidi, medium locum tenentis, pelluciditas ac tenuitas increſcebant. Odor in hoc mixto peculiaris, neque verbis facile exprimendus erat, circa VII. tamen diem ad illum tenuis cereuiſiae perparum vappeſcentis accedere videbatur. Die X magis manifeſte ad acidum odor vergebat. Neque vero initio experimenti, nec vllo ſequentium dierum in cremore et caſeoſa parte tanta co-

haerentia

haerentia nascebatur, nec serum ita pellucidum euadebat, quantae esse solent hae qualitates in iisdem partibus, ex puro lacte discedentibus. Corruptionis putridae indicium etiam ad X diem, deprehendi plane nullum poterat. Quum hoc die ad seri biliosi portionem salis tartari fixi tantillum admiscerem, nullam plane bullam, nullamque aliam mutationem obseruare poteram. Syrupus violarum alii portioni sollicite admixtus, minime vere viridem illum, qualem in alcalicis rebus efficere solet, colorem excitabat. Alii portioni instillatum quid aquae fortis, ibi loci, quo guttae cadebant, sine omni bullula, membranulas producebat coagulatas, profundius quam ipsum illud serum flauas, dein sponte ad vasculi fundum delapsas. Acetum vini stillatitium quoque in aliam portionem instillabatur, eo successu, vt albesceret ea seri pars, in quam inciderant aceti guttae, nihil autem vere cogeretur; quamuis dein mucosi quid ad fundum vasculi sensim descendisse obseruauerim. Neque horum in commixtione vllus cernebatur salium oppositorum conflictus.

Exp. VI.

Ad bilis in olea efficaciam nunc progressurus x), bilis bubulae, omni nota integerrimae, vnciis duabus,

x) Contraria hisce meis experimenta esse videntur, quae laudat perill. DE HALLER *el. physiol. T. VI. p.* 549. *et* 550. Dolerem sane meorum aduersum illis euentum, nisi magni habenda veritas esset, quam in meis naturam docuisse proprio

bus, admiſcui aquae purae fontanae coctae, iterumque tepentis ſemunciam; in manu aliquamdiu continui, quo calor naturalis mixto conciliaretur, dein affudi olei amygdalarum dulcium recens preſſi binas drachmas. Agitaui fortiſſime vitrum atque diu, indeque turbidum quidem factum liquorem vidi, multamque innatam ſpumam; attamen quiete per vnum vel alterum horae minutum vitro conceſſa, pellucidae dilutaeque bili rurſus innatans obſeruaui oleum; tanta quidem copia, vt ejus nihil plane in bilem receptum eſſe videretur. Denuo quam maxime vitrum agitando, bili oleum admiſcere ſtudui, dein per integrum diem in calore fere 96° conſeruaui, vitrique commotionem ſaepe repetii; inſpecto autem liquido, cum agitatio per breuiſſimum temporis, vnius ſaltim vel alterius minuti horae, ſpatium remitteret, bili pellucidae, naturalique calore praeditae, oleum ſemper, et ex probabili conjectura omne, innatare; immo manifeſtius etiam a bile ſeparatum eſſe, quam cum loco bilis puram aquam ſumerem, parique vi agitarem, deprehendi.

Exp. VII.

Sed nunc modo guttas X olei amygdalini bilis recentis bubulae vnciis tribus adjeci. Probe agitato

ſenſu perſuadeor. Puto enim, cum bili facultas tribuitur oleum aquae miſcibile reddendi, non eam intelligi poſſe mixtionem, quae, in breuiſſimo tempore, ſua ſponte, intermiſſa agitatione, ceſſat.

tato vitreo vaſe, quo continebantur, per aliquot dies, motu etiam ſaepe repetito, in caloris illo gradu, qui homini naturalis eſt, illud conſeruaui. Semper tamen, quum liquidum, breui quiete conceſſa, inſpicerem, eandem, quoad contemplando aeſtimare liceret, olei quantitatem bili innatantem reperi, quam illi inſtillaueram, etſi fortiſſima agitatio ſaepe omnino repetita fuerit. *)

SCHOLION.

*) Aliquam ſed exiguam in dignoſcendo ſupra bilem oleo difficultatem ſpuma nectere poteſt, conquaſſatione forti excitata. Qui vero ſatis attenderit, breui ſibi conceſſa mora, oleoſas bullulas ſub aquoſa bilioſaque ſpuma, aut ipſas olei particulas, colore illarum ad flauum magis vergente, facile diſtinguet. Ceterum hoc experimentum ſaepiſſime, cum ſuilla etiam bile, et pari ſemper cum ſucceſſu, repetii.

Exp. VIII.

Varia inter pericula, quae cum humana bile inſtitui, etiam quid haec in oleo ſoluendo et aquae adunando praeſtaret, aliquoties explorare ſtudui. Primum ex cadauere infantis triennis, ſine conſpicua viſcerum labe, atrophia demortui, bilem, tertio a morte die, ex cyſtide inciſa in vitrum fudi, ejusque pondus drachmae vnius et ſemiſſis reperi. Color ex flauo fuſcus erat, pelluciditas nulla, tenacitas aequalis, tantaque, vt in fila longa tenuiaque trahi potuerit. Frigus haud acre, cui expoſitum hactenus cadauer, nec infra 60°, fuerat; nullum tamen putredinis indicium odor praebebat,

bebat, vt ne quidem cum illo fatuo, ex recenter aperti animalis abdomine percipi ſolito, comparari poſſet; ſed vere cum illo myrrhae balſamico potius conueniret. Omni huic bili aquae decuplum affudi, et probe agitando admiſcui. Satis nunc fluidum hocce mixtum reddebatur, colore dilutiori et aequali conſpicuum; nondum tamen, niſi in collo vitri anguſtiori pellucidum apparebat. Quiete per $\frac{1}{4}$ horae conceſſa, lenteque aliquoties inclinato vitro, quo fundus conſpici poſſet, ſedimenti nihil dejectum obſeruari poterat. Inſtillatis nunc olei amygdalarum dulcium recentis XII guttis, obturatum ſubere vitrum in manu diu ac validiſſime agitaui. Initio quidem oleum, conceſſa vitro quiete, occultatum deprehendi, verum abſoluto vix horae minuto, ad bilis dilutae ſummitatem illud quam manifeſtiſſime rurſus colligebatur. Neque alius concuſſionis effectus erat, iterum iterumque repetitae; neque calor homini naturalis, cum vitro, binas per horas, blandam inter commotionem, communicatus, ad faciliorem perfectioremue olei ſolutionem quid conferebat. Tantum enim olei, in circumferentia ſummae planitiei bilis dilutae, a breui poſt agitationem quiete, ſemper natare deprehendebatur, quod additis XII. guttis aequari poſſe nemo fere dubitaſſet. Idem repetii experimentum in bile cyſtica ex adultae feminae cadauere deſumta. Sed cadaueris conditiones praecipue memorabiles breuibus antea deſcripſiſſe iuuabit. Femina, aeta-

tis XXX. fere annorum, enixa fetum in vtero mortuum, et prope maturum, die XXVII. Sept. h. anni, fato ſuo die XXVI. Octobr. functa fuerat. Infantis corpus, cum tertio a partu die in theatrum obtinerem, maxime putridum liuidumque comparebat, eaque viſcerum ejus ratio deprehendebatur, vt ante partum eſſe exſtinctum, dubitationi nullus plane locus fuerit. Ex matre adhuc viua, ſtatim poſt partum ac dein ad mortem vsque, peculiarem cadaueris foetorem ſe percepiſſe obſtetrix aſſeruerat, et praeſentem viſceris alicujus gangraenam inde collegerat. Quoad reſciui, confecit illam febris lenta putrida, cum impeditis lochiis. In cadauere prope vteri corpus ligamentum latum ſiniſtrum vomicam continebat, puris ſpiſſi et foetidi inſigni copia, minimum dimidia libra, plenam. Ipſe vterus interius inflammatus, flocculisque, a placenta forte reſiduis, atris et ſphacelo corruptis, obſeſſus reperiebatur. Ad baſin oſſis ſacri ſinus erat gangraenoſus, oſtio exterius conſpicuo, qui ad perioſteum vsque oblique deſcendebat. Vtriusque pulmonis magnae partes vlceribus ampliſſimis, maxime foetentibus, conſumtae, etſi nec pinguedo infra vniuerſam cutim, nec illa meſenterii, contabuerit, ſolumque fere omentum, quod nempe maxime extenuatum erat, reliquae adipis copiae non reſponderit. Memorabile quoque permagnum erat volumen hepatis, cujus quippe ſiniſtra extremitas vix 1 1/2 poll. a coſtis hujus lateris diſtabat. Ma-

culae

culae complures liuidae prope marginem hepatis anteriorem, in ejus vtraque ſuperficie, et in contracto ad exiguum ſpatium ventriculo, juxta pylorum, rubrae inflammatae obſeruabantur. Ab exſudata bile cyſtica, magis quam alias flauo colore tincta conſpiciebantur propinqua viſcera. Quum anatomicae demonſtrationi hepar die demum XII. Nou. inſeruiiſſet, in aqua frigida eatenus conſeruatum, neque ſolum id minime parum foeteret, ſed in omnibus quoque ejusdem cadaueris muſculis, ſubater jam putredine color eſſet conſpicuus, bilem ex inciſa cyſtide in vitrum effudi. Haecce vero, die quidem a morte feminae XVIIIvo, etiam nonnullis ex optimorum commilitonum numero teſtibus, plane nihil foetoris, nec odoris alius aduerſi quid ſpargebat. Nequaquam tamen plane nullus erat, qui diſtingui amplius potuiſſet odor, nam ad inſtar myrrhae quam proxime olere videbatur. Pondus erat fere drachmarum trium, color flauus, latericius, pelluciditas nulla. Complura, quae exiguum quantum admittebat, experimenta, haecce cum bile inſtituta, et alia vice recenſenda, vix drachmae dimidium ad explorandam ejus efficaciam in oleo aquae vniendo reliquum fecerunt. Amygdalarum dulcium quoque oleum adhibui, ejusque guttas quinque bilis illi portioni, aquae tepidae duplo dilutae, inſtillaui. Vitrum in manu retentum diu fortiſſimeque agitaui, ante, vero, quam bina tranſirent horae minuta, oleum ad ſummita-

tem bilis dilutae collectum, non minori quam instillatum copia, obseruari poterat. Etiamsi quoque nihil in repetenda concussione omitteretur, idem tamen semper continuabat experimenti euentus.

Exp. IX.

Cl. Küchelbeckeri artificia, §. IV. memorata, quibus bilem soluendo amygdalarum oleo parem fieri tradidit, etiam imitaturus, primo bilis bubulae pellucidae, integerrimae, drachmam, salis culinaris tantundem, olei amygdalini guttas XX, aquae coctae iterumque tepescentis vncias II, omnium ergo ipsa cl. auctoris pondera, in vitrum confudi. Statim diu, fortissimeque, vt nihil plane desiderari potuerit, vitrum agitaui, omniaque sic arctissime commiscere studui. Spuma in summitate liquoris copiosa excitabatur, quam tamen sola etiam bilis recens, tanta peracta ejus quassatione, concipere solet. In primo fere horae minuto ita collapsa erat spuma, vt quartam tantum partem spatii liquoris ipsius occuparet. Liquor autem ipse aeque fere, ac bilis antea sola, pellucidus erat, subuiridis, emulsioni nequaquam similis. Quiete liquori per vnum vel alterum horae minutum concessa, inclinato vitro, sub spuma alba oleum quam manifestissime comparuit. Repetita fortissima agitatione, concessaque denuo quiete, et vitro inclinato, tantum olei conspexi in liquore natans,

quod

quod facillime guttis XX additis aequari potuerit. Poſt horae quadrantem, ſeruato interea vitro in calore conclauis 74°, etiam adunatae majuſculae olei portiones, multo facilius ac antea dignoſcendae, ſub ſpuma comparebant. Iterum fortiter liquorem concuſſi, et in calore 96-100° per aliquot horas conſeruaui, agitationem ſaepe repetii, ſemper vero, cum eundem inſpicerem, conceſſa per vnum vel alterum minutum quiete, tot olei natantes particulas, eaque ratione pellucidum integrumque ſubjectum liquidum reperi, vt ex probabili conjectura, olei nihil in diluta illa et cum ſale mixta bile ſolutum eſſe apparuerit.

Exp. X.

Alterum quoque repetii cl. Küchelbeckeri artificium, etſi quoad miſcendorum proportionem quoddam diſcrimen admiſerim. Bilis bubulae recentis et integerrimae drachmis quinque admiſcueram ſpiritus ſalis ammoniaci vrinoſi drachmam vnam. Fortiter agitaui vaſculum, vidique multam enatam ſpumam, non plurem tamen dixerim, quam in concuſſa vehementer ſola bile oriri ſolet. Huic nunc mixto inſtillaui olei amygdalarum dulcium recentis guttas XX, easque commotione vaſis continuata illi admiſcere ſtudui. Majorem nunc ſpumae, ejusque denſae, copiam, ex minimis bullulis compoſitam, ipſumque liquorem ſua pelluciditate nunc ex parte priuatum, deprehendi. Olei nihil ſeparatum

apparebat. Retinui in ſani hominis calore. Poſt horae dimidium ſpumam ſupereſſe paucam deprehendi, de oleo tamen nondum quid vidi, neque liquor pelluciditatem priſtinam recuperauerat. Abhinc iterum per dimidiam horam exſpectans, oleum in tanta copia bili innatare deprehendi, vt vix de integris XX guttis, ex mixtione extricatis, dubitare quis potuerit. Aucta quidem nunc, ſed non perfecte reſtituta pelluciditas. Admiſcui iterum de ſalis ammoniaci eodem ſpiritu drachmam, fortiterque vitrum agitaui, ſpumamque copioſam denuo exortam vidi. In ſani hominis calore adhuc ſemper vitrum fere quietum ſeruare perrexi. Poſt horae fere dimidium vero, quum ad liquoris ſuperficiem ante lumen candelae attenderem, ſub laxiori nunc ſpuma, partem aliquam ſubalbam, exiguam, pro oleo veriſimillime habendam, cernere poteram, ita diſſolutam tamen, vt, cum leniſſima inſtitueretur agitatio, illa pars nubis inſtar ad medium fluctuaret, dein lente iterum quieto in liquido adſcenderet. Eaque conditio hujus mixti continuauit per horas hujus diei reliquas, ad ſeram veſperam, conſeruato interea vitro in calore hominis naturali. Veram ergo olei ſolutionem hoc in mixto factam eſſe, aſſerere nemo quidem auſit, etſi phaenomenon illi maxime appropinquauerit. Relinquebatur nunc mixtum per noctem in conclaui caloris fere 62°. Primo mane nondum quidem redierat priſtina pelluciditas, ſed oleum infra reliquam paucam ſpumam, inclinato pa-

rum

rum vitro, quam manifeſtiſſime apparebat. Paſſim quoque exiguae, in media liquidi ſuperficie, oleoſae natabant areolae. Agitaui denuo fortiter et in calore fere 96 iterum retinui, poſt horae autem dimidium, oleum, aliqua bile, vt videbatur, intermixtum, in lineae dimidiae altitudine, ad ſuperficiei liquidi marginem natans cernebatur, a leni agitatione tantiſper quidem diſparens, dein iterum, quieto in liquore, viſui denuo manifeſtum.

Exp. XI.

Bilis etiam bubulae drachmis tribus vnam olei terebinthinae drachmam affudi, quae ambo, a concuſſione forti et continuata, in vnum aequaliter mixtum liquidum tranſire videbantur. Hujus mixturae color ex viridi ad ſubflauum vergebat, liquido ſimul pelluciditate omni deſtituto. Elapſo horae minuto, in vitri parte infima, liquor priſtinam bilis ſolius faciem perfecte recuperabat, et in ſuperiori vnice, magis magisque tantum decreſcente, quantum inferior ſenſim augeſceret, color ille perſiſtebat ex viridi ſubflauus, cui ipſi etiam ſuperiori, vt antea omni mixto, pelluciditas deficiebat. Spumae quidem faciem referebat quodammodo haec ſuperior pars, certe tamen ſpuma non erat, cum a vera illi inſidente ſpuma, ſollicitius attendendo, manifeſte diſtingui potuerit. Concuſſi denuo mixtum fortiſſime, et in manu retinui, eundemque iterum colorem, quem breui ante in ſuperiori modo parte videram,

deram, per totum mixtum aequaliter expanſum cernebam, etiam pelluciditatem ſimul per integrum liquidum plane deletam. Sed a dimidio fere vel etiam integro horae minuto, prior facies diuiſarum liquidi portionum perfecte redibat. Et mihi quidem nullum ſubeſſe dubium videbatur, quin ſuperior haud pellucida pars, ex mixtione iterum ſurſum protruſa, pro vero habenda fuerit terebinthinae oleo, in minimas particulas disrupto, quibus bilis pauxillum per concuſſionem intritum eſſet. Aquae nunc etiam purae, antea coctae iterumque tepeſcentis, vnciam ad illud mixtum affudi, et cum probe prius agitaſſem, et quietem in manu illis conceſſiſſem, omnia praecedentibus plane ſimilia obſeruabam. Diffuſus nempe antea per totum liquidum ex viridi ſubflauus color, quocum pelluciditas deficiebat, ſuperiora verſus contrahebatur, isque abſolutis binis, vel tribus etiam, horae minutis, ad octauam vel decimam partem illius ſpatii, quod integrum occupabat liquidum, redactus comparebat. Itaque ſemper ſatis manifeſte conſtabat de ſupremae portionis cum oleo terebinthinae conuenientia, minusque apta bilis ad hoc oleum ſoluendum poteſtate. Neque tamen plane nihil de hoc oleo in bile diluta retentum fuiſſe, ideo veri videbatur ſimillimum, quod illi priſtina pelluciditas ex integro non redierit; qua tamen in re bili prae aqua ſimplici puriſſima praerogatiuam tribuere non auſim, quum pariter haec, probe cum oleo terebinthinae agitata, perinde ac bilis, priſti-

priſtinam pelluciditatem perfecte recuperare non ſoleat.

Exp. XII.

Etiam olei abſynthii ſtillatitii guttas XV. bilis bubulae drachmis VI, vitreum diu agitando vaſculum, aliquantiſper admixtas, deſidente ſpuma, omnes breui ad ſummitatem bilis iterum adſcendiſſe mihi viſae ſunt, redeunte ſimul naturali hujus pelluciditate et colore. Neque repetita cum aliis ſimilibus oleis aethereis experimenta, euentum ab hocce diuerſum hactenus mihi exhibuerunt.

Exp. XIII.

Bilis dein bubulae recentis ſemidrachmae, cum ſemuncia ſaliuae, a ſano homine collectae, commiſcui, hisque olei amygdalini guttas X. inſtillaui. Probe agitata haec et concuſſa in vitro ſubere clauſo ſeruaui in calore fere 96°, quatuor per horas, repetita interim ſaepiſſime vitri agitatione. Semper vero, cum liquorem per breue modo tempus quietum adſpexiſſem, oleum illud vice qualibet, et quidem, prout mihi videbatur, omne, in plurimas perexiguas diuiſum portiunculas, liquido innatare deprehendi; nec vnquam apparebat, veram olei ſolutionem ſucceſſiſſe, quae nempe ſeparationem ejus, breui et ſponte contingentem, non facile iterum concederet.

Exp. XIV.

Cum butyro dein periculum feci, cujus recentiſſime parati, nec loti nec ſaliti, ſcrupulum vnum bilis bubulae duabus vnciis adjeci, dein valide vitrum clauſum, quo haecce continebantur, agitaui. Etſi vero in ſpuma ſic excitata, initio, aliqua etiam quiete conceſſa, oleum butyri dignoſci haud potuerit, eadem tamen ſenſim deſidente, illud quoque, in exiguas diuiſum portiunculas, et quidem ex probabili conjectura omne, ad ſummitatem liquidi collectum comparuit, bilisque ſimul pelluciditatem cum ſplendore ſuo naturalem fere ex integro recuperauit. Poſtea in calore quoque 96 ad 100° per integrum diem conſeruaui, intereaque ſaepe vas commoui, ſed nullam vidi ſucceſſiſſe butyri ſolutionem; ſemper enim hocce rurſus extricatum, breui poſt ad ſummitatem bilis adſcendebat.

Exp. XV.

Saliuae ſani hominis rec. ſemunciae, grana X butyri recentis, non ſaliti nec loti, aliquamdiu ſimul agitando, ita commiſcebantur, vt butyrum in ſaliua, lacteo mixti colore facto, plane diſſolui, et poſt horae quoque ſpatium, vitro interea in calore ſani hominis conſeruato, perfecte immiſtum permanſiſſe, nec ejus quid in quiete quadrantis horae extricari, mihi videretur. Affudi nunc bilis bubulae recentis ſemunciam, quae ad fundum vitri ſtatim deſcen-

deſcendebat, et a reliquo liquore ſeparata, ibidem conſpici poterat. Dein his fortiter agitando commixtis calorem fere 95° impertii. Bilis quidem et ſaliuae commixtionem facillime ſuccedere animaduertebam; ſed ſpuma nunc primum pinguior reddi incipiebat, dein quoque breui oleum butyri manifeſtius diſcerni poterat, et omnino pauca poſt minuta tantam butyri portionem in liquidi ſummitate natantem obſeruaui, quam ſine dubio adjectae ejus moli aequare liceret. Admiſcere hanc denuo ſtudui, fortiſſima ſatisque diu continuata vitri commotione; ſemperque ſeruaui in eodem ſani hominis calore; ſed poſt horae quadrantem butyri quaedam portio, etſi manifeſte nunc minor eſſet quam antea, ad ſummitatem collecta reperiebatur. Repetita dein frequenter forti agitatione, ita tandem butyrum videbatur diſſolui, vt praeter complures natantes miculas, ſaltim inſtar leuis nubeculae, profundius quam ipſe liquor flauae, ad aliquam vsque a ſumma planitie profunditatem extenſae, et quieto in liquore fluctuantis, illud obſeruatum ſit, a leni autem vaſis commotione ſtatim diſparuerit.

Exp. XVI.

Vnciis duabus bubulae recentisque bilis adjeci pinguedinem de jure carnis bubulae, in aqua modo coctae, ponderis quidem ſcrupuli vnius. Bili pinguedinem diuturna vaſis commotione admiſcere, omnem operam adhibui, ſed in quieto vaſe illam

ad

ad ſuperiora bilis breui ſemper adſcendere obſeruaui. Retinui dein vltra XII horas in calore fere 95-100°, concuſſionem ſaepe repetii, nihil tamen adjectae pinguedinis, quanto ejus ex probabili conjectura aeſtimato, in bile ſolutum ire videbatur. Repetii experimentum ſaepe, etiam cum bile porcina, et ipſo jure carnium diluta, nec minus addita quadam ſaliuae portione, ſemper tamen adjectam pinguedinem in hiſce mixtis humoribus, parum ſaltim quieſcentibus, natantem, immo etiam in calore 96° ſolideſcentem, deprehendi.

Exp. XVII.

Recentis porro et ex naturali tepore fluidiſſimae bilis vnciam, in mortario marmoreo parum calefacto, adhibito etiam piſtillo ex eadem materie confecto, contriui cum ſaponis veneti ſcrupulo. Commixtioni valde renuebant, etſi fortis tritus aliquamdiu inſtitueretur. Tandem, exorta multa ſpuma, ſapo in bilem ſe inſinuaſſe videbatur. Conceſſa autem breui quiete, ſpuma deſedit, atque nunc in turbida et ſplendore ſuo naturali priuata bile pingues albae plurimae miculae innatabant. In vitrum nunc fuſo hocce mixto, et probe agitato, multa iterum oriebatur ſpuma, intra horae tamen minutum quoque diſparens, conſpicuis etiam nunc in bilis ſuperficie albis et pinguibus miculis, quae breui poſt majori copia comparebant, et inclinati vitri lateribus facillime adhaereſcebant. Turbida tamen

ipſa

ipſa primo hoc die bilis permanſit, vt etiam de ſapone quid admixtum retinuiſſe videretur. Altero die perpaucae ſaltim natantes miculae ſupererant, materies vero pinguis, ejusdem ac illae coloris et ſubſtantiae, ad vitri fundum delapſa cernebatur, quae vitro etiam manifeſte, multo arctius quam ipſa bilis, adhaereſcebat; atque nunc pelluciditas, color, ſplendorque, bili alias purae naturales, redierant. Tertio die nihil amplius micarum bili innatabat, memoratae vero maſſae pinguis major copia ad fundum vitri collecta cernebatur, nullumque plane hujus bilis a naturali et integerrima diſcrimen apparebat, cum neque corruptionis coeptae vllum hactenus indicium obſeruari poſſet.

Exp. XVIII.

Bilis quoque bubulae recentis ſemunciam, ſimili ratione in mortario marmoreo, cum balſami Peruuiani nigri optimi ſcrupulo, contriui. Multo adhibito labore aliqua quidem, ſed maxime imperfecta ſaltim commixtio ſic obtinebatur, ſiquidem balſami quaedam portio bile ſubigi plane non potuerit. Liquor ipſe tamen turbidus, et magis quam ſola bilis, profunde fuſco colore conſpicuus erat. Is cum in vitrum fuſus eſſet, hoc probe prius agitatum, in menſam conclauis reponebatur. Quo facto deſcendentem ſenſim balſamum, et in ſemihora fere omnem ad fundum vitri relapſum, facillime obſeruare poteram, parum tamen adhuc turbida

manen-

manente bile. Poſtero die ad naturalem fere pelluciditatem rediit bilis, quodammodo viridiori tamen quam alias conſpicua colore, et balſamus nunc ad vitri fundum fortius quam initio adhaereſcebat. Alia vice balſami Peruuiani drachmam bilis recentis bubulae vnciis duabus adjeceram, et inſtituta valida agitatione, plures integros per dies, interdiu in calore 96 - 100° conſeruaui, vaſisque commotionem ſaepiſſime repetii. Statim ab initio pelluciditatem et ſplendorem bilis plane deletos, ejusque natiuum colorem in viridem permutatum videram, tantam tamen prope fundum vitri permanentem balſami portionem nunquam non deprehendi, vt vel nihil vel perparum ejus in bile ſolutum eſſe conjiciendum fuerit. Et quamuis dein primo, ſecundo, tertioque die balſami portio ad vitrum fortiter adhaereſcens agitatione vaſis validiſſima, quoad fieri poterat, aliquando abſtergeretur, ea tamen breui omnis, quoad probabili fides aeſtimationi, ex mixtione detruſa, et prope fundum collecta cernebatur. Quum nec tertio die vllum coeptae corruptionis indicium animaduerterem, bilis recentis bubulae vnam vnciam cum ſemiſſe affudi, ſaepeque mixtum, hoc et ſequente die, agitaui, ſed neque haec bilis major copia ſoluendo balſamo aptior eſſe minori prius adhibita videbatur. Tandem vitrum hocce in aquam repoſui ad 150° calentem, eoque in calore per $\frac{3}{4}$ horae ſeruaui, agitationem aliquoties interea repetii, ſed ne hac quidem ratione notabilis balſami pars in

bile

bile diſſolui poterat. Hujus autem nunc bilis portioni, a balſamo defuſae, vigecuplum aquae admiſcui, quo aequaliter initio diluebatur, ſed poſt horas fere duas prope vaſis fundum nubeculae quaedam apparebant. Demto ſuperiori pellucido liquore, reliquo inferiori turbido quid alcoholis vini inſtillaui, quo facto nubeculae diſparebant, ſimulque miculae exiguae, pulueris inſtar, ad fundum vaſculi dejiciebantur. Etiam alii portioni iſtius purae viridis bilis, quae balſamo infuſa fuerat, alcoholis quid inſtillaui, vnde album coagulum liquori innatans, inſtar molliſſimae tenuis pelliculae, excitabatur, quod per agitationem in denſiores nubeculas ex mixtione detruſas, dein minores in miculas prope fundum fluctuantes, permutabatur; liquore quidem ipſo nunc manifeſtius ad pelluciditatem ſuam redeunte.

Exp. XIX.

Myrrhae dein etiam electae, et in puluerem redactae, grana X cum bubulae bilis drachmis III. in tepido mortario marmoreo contriui. Longa demum et valida quaſſatione efficiebatur, vt puluis ille bili admiſtus videretur; ipſe liquor autem nunc turbidus apparebat. Quum liquor hicce vitro infuſus in quiete relinqueretur, fere omnis puluis in ſemihora ad vitri fundum dejectus erat. Natiua tamen bili pelluciditas perfecte non rediit, neque diebus nec hebdomadibus inſequentibus, quartum illa

illa vltra tres, et quamdiu ad indolem ejus attentio fuit adhibita, ab omni putrida corruptione immunis permansit. Alia vice bilis bubulae etiam recentis duabus vnciis et semissi grana tantum quinque pulueris myrrhae adjeci, validissime haec in obturato vitro agitaui, dein aliquos per dies in calore fere 95-100° retinui, intereaque vitri commotionem saepe repetii. Sed, quum per pauca modo minuta vitro quies concederetur, eam semper pulueris myrrhae copiam fundo insidentem deprehendi, de cujus quinque granorum pondere quid euanuisse et in bilem receptum esse, nullus conjecturae locus apparebat. Permanens tamen alienatus et subuiridis bilis color, quem ab injecta myrrha contraxerat, aliquam quantulamcunque bilis potestatem ex myrrha quid extrahendi, confirmare videbatur.

Exp. XX.

Extracti myrrhae gummosi, sicci, quale obtinueram ex pharmacopolio, in pollinem prius redacti, grana X adjeci bilis bubulae recentis vnciae I, dein mixtum hoc in caloris illo gradu, qui sano homini naturalis est, vltra XII horas retinui, saepeque interea fortiter vitrum, quo continebantur, subere obturatum agitaui. Ab initio statim bilis reddebatur opacior, et pulueris dimidia fere portio, absolutis quatuor horis euanescebat, reliquo autem tempore nihil amplius, et probabili conjectura, solutionem admittebat.

Exp. XXI.

Gummi ammoniaci grana X cum bilis bubulae recentis tribus drachmis in tepido mortario marmoreo probe conteri feceram. Lacteum inde colorem in bile excitatum videbam, et hujus quidem materiae portionem bili non difficulter admiſceri poſſe, aliam tamen partem integram relinqui, quae ſubactionem plane reſpueret. Alba autem facta haec bilis, nunc in vitrum fuſa, tantum breui de ſoluto gummi ammoniaco dejiciebat, vt admiſtam illi partem aequare nemo forte dubitaſſet, niſi albus aliquis bili color manſiſſet, quadantenus quidem ſequentibus diebus imminutus, aliquo tamen gradu, vltra tres hebdomades perſiſtens, quo tempore nec vlla putredinis initia poterant obſeruari.

Exp. XXII.

Bilis bubulae rec. vnciae vni gummi arabici in pollinem contriti grana X adjeci, iisque vna probe in vitro conquaſſatis, calorem conciliaui fere 95°, per integrum diem continuatum. Quum vna modo hora tranſierat, gummi partem ſolutam fuiſſe, absque pelluciditatis et natiui coloris in bile detrimento, manifeſte obſeruabam. Abſolutis dein IV. horis omne fere gummi diſparuit, praeter paucas exiguas particulas, prope fundum vaſis, etiam poſt horam XII relictas, neque validiſſima diuque continuata vaſis commotione in bile diſſolubiles.

Exp. XXIII.

Bilis ſimilis drachmas tres cum reſinae gialap- pae granis X, in pollinem primum redactis, in mortario marmoreo calefacto fortiter quaſſaui, atque tritu hoc ſatis diu jam continuato nihil reſinae bili admiſceri poſſe, atque haec turbida ſaltim inde reddi, videbatur. Tandem vero omnem reſinam ſubactam eſſe apparebat, ita tamen, vt ſimul cognoſcerem, quam longiſſime bilem, hac ſua reſinam diſſoluendi poteſtate, inferiorem eſſe emulſione amygdalina aut alia, praeſertim ſacharata, aut oui vitello. Quum autem hicce nunc liquor, ex reſina et bile mixtus, in vitrum effuſus eſſet, et quies ipſi in loco, ad 68° calente, concederetur, ante horae abſolutum quadrantem aliqua, neque exigua, reſinae pars ad fundum relapſa cernebatur, finitaque hora dimidia, tantum ejus ex mixtione detruſum erat, vt de granis X reſinae quid amplius bili ineſſe poſſe, nemo facile ſuſpicatus fuiſſet. Parum tamen turbida et opaca permanſit bilis, etiam poſtero die; dein vero ſenſim, ſequentibus diebus, abſque corruptionis inceptae nota, ad majorem, immo naturalem quoque pelluciditatem rediit.

CONSECTARIA.

Abrupto nunc hiſtoriae experimentorum filo, ad pauca, quibus locum jam eſſe conceſſum exiſtimamus, inde colligenda conſectaria progredimur.

Mecum

Mecum quidem facile et alius quisque perſpexerit, multum abeſſe, quin vel veriſimile quid, ex traditis hactenus meis periculis, de vera et naturali bilis efficacitate pro certo erui, et in ſyſtema transferri queat. Verumtamen, cum ſententia illa, quam plerosque recepiſſe conſtat, et quae bilis officia ex conſtituta ejus cum ſapone alcalico conuenientia explicare ſolet, minus haec mea experimenta conſentire, nemo non ſtatim animaduerterit. Videtur autem ex his eluceſcere:

I. Seceſſionem cremoris ex lacte, quae in hocce puro ſponte ſuccedit, bilis admixtione neutiquam impediri, quin potius pinguioris illius partis ex lacte adſcenſus per additam bilem quodammodo promoueatur, et acceleretur. Neque illum caloris gradum, qui homini et animalibus ipſi affinibus naturalis eſt, nec admiſtam ſaliuam praecauere, quo minus illa cremoris ſeparatio contingat.

II. Lactis coagula caſeoſa, a bile, etiam per coctionem admiſta, tota non diſſolui, aut ſero adunari, nec etiam, ſponte alias contingentem caſeoſae partis e lacte diſceſſionem ſolius bilis admiſtu plane impediri; potius eam ejus, quae fundum vaſis petiit, portionem, magis addenſatam, vaſique arctius adhaereſcentem apparere, omnino tamen quid ſimul caſeoſae partis, quo ſerum pelluciditate priuetur, in eo ipſo retineri.

III. Aceſcentiae, quae in lacte cum bile mixto contingit, aliam eſſe rationem quam in puro lacte;

haec vero vlteriora omnino et peculiaria poſtulat, quibus dilucidetur, experimenta.

IV. Quod ad olea et pinguedines attinet, ſatis conſtare videtur, veram eorum, quae in experimentis memorata fuere, ſolutionem in bile haud contingere, niſi forte perexiguam, neque notabilem oleorum partem in bilem receptam fuiſſe, aſſerere quis ſuſtinuerit. Apparet quoque, nec ſal culinare, nec vrinoſum ſalis ammoniaci, neque ſaliuam, ſatis adjumenti praebere, quo vera et integra olei ſolutio obtineri queat, etſi ſaliua quid, in butyro praeſertim, effeciſſe viſa ſit. Manifeſte praeterea liquet, ad pinguedines et olea, aquae miſcibilia reddenda, bilem minime parem cenſendam eſſe, ſi talis mixtio intelligatur, quae non breui mixtorum ſeceſſione iterum auferatur.

V. Omnino bilis aliquando ad extricandum ex mixto quodam oleum quid conferre videtur. Celerior cremoris ex lacte adſcenſus, pinguedinis e ſapone veneto facta ſeparatio, butyri, ſaliuae antea intriti, denuo ſuborta apparentia, cum admiſta bilis fuiſſet, iſti forſitan conjecturae concedunt locum. Obſeruaui quoque, ex emulſione amygdalina, cum bile mixta, purum oleum, poſt dierum aliquot interuallum, in ſummitate liquoris collectum fuiſſe, qui tamen euentus pura in emulſione, ſimul repoſita, minime contigerat. Sed ſemel tantum inſtitutum hocce experimentum, vario in calore, et illo qui homini naturalis

eſt,

eſt, et aliquamdiu majori, ſuſceptum, ex numero certiorum, ſaepiusque repetitorum adhuc excludendum duxi.

VI. Nec reſinis neque gummeo reſinoſis materiebus, illis minimum, quarum ſolutio a nobis tentata fuit, vere ſoluendis ſatis par aeſtimanda videtur bilis efficacia; puri autem gummi aliquam, etſi non magnam, portionem ab humore recipi et contineri poſſe, plane dubitari nequit.

VII. Annon ergo cum experimentis minus conuenire cenſendum, illud bili attributum in chylopoieſi officium, quo ad inſtar ſaponis illam ſe habere, tenaciora quaeque emollire et attenuare, pinguia aquoſis humoribus, potulentis atque ciborum ſolidiorum ſuccis, miſcibilia reddere, hisque omnibus in maſſam homogeneam ſubigendis, inſeruire, toties aſſertum fuit? Quum enim nec iſta violentia, qua opus eſt ad commixtionem aliqualem oleorum et pinguedinum cum bile vel pura vel diluta efficiendam, in officina chyli adhibeatur, neque ea in chylo ſit indoles, quae oleum ex aequali ſua mixtione facile dimittat, vix auſim a diſſoluente bilis poteſtate, qua inſtar ſaponis in alia lente penetraret, multum efficaciae in conficiendo chylo exſpectare. Et quisque, arbitror, niſi qui meis forte experimentis omnem fidem denegauerit, facilius mecum ſentiet, cum perpenderit, quotuplicia et quam tenacia complura ſint alimentorum genera, quae bene

tamen

tamen a nobis digeri poſſe, ex quotidiana obſeruatione quam certiſſime conſtat. Non dubito quidem fore multos, qui per alia experimenta, etiam ſaepe ad confirmandam bilis indolem ſaponaceam allegata, quorum vero inter mea hactenus nulla fit mentio, receptam de bilis efficacia doctrinam ſatis jam eſſe ſtabilitam exiſtiment. Verum praeterquam, quod nec eorum experimentorum ſucceſſus, quoad ego comperi, ipſeque hactenus pericula feci, meis modo propoſitis contraria videantur; hoc etiam conſectarium per enarrata mea experimenta ſatis jam ſuffulciri crediderim.

Sed liceat mihi ab hiſce dubiis hac vice abſtinere, quae alia in ſcriptione propriis experimentis diluere conſtitui.

